


648.

1966

Z BIBLIOTEKI  
SEMINARIUM  
SANDOMIERSKIEGO

Sequitur Ex Ceremoniali Fratrum  
M<sup>o</sup>ni Regularis Observantia S. P. N. S.  
Sequitur

Sequitur



*applicat Bibliothecae Cantus Josephinensis M. Bernatolinorum p. N. S. S.  
Josephat pro tunc Guardianus Josephinensis 1.*

# ORDINARIUM

S E U

# CÆREMONIALE

FRATRUM MINORUM REGULARIS

OBSERVANTIÆ S. P. N.

FRANCISCI

ALMÆ PROVINCIÆ RUSSIÆ IMMACUL. CONCEPT. B. V.

MARIÆ

JUXTA RITUM SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIAE

CONFORMITER AD RUBRICAS NOVI BREVIARII ET MISSALIS,  
NEC NON SAC. RITUM CONGREGATIONIS DECRETA.



AUTORITATE ET MANDATO

PROVINCIÆ TOTIUS DEFINITORII

A B

A. R. P. ANDREA JORDAN,

S. THEOLOGIÆ LECTORE JUBILATO, EJUSDEM  
PROVINCIÆ ALUMNO.

EX PROBATAIS AUCTORIBUS

COLLECTUM.

83



83

LEOPOLI,

TYPIS ANTONII PILLER,

SACR. CÆS. REG. GUBERN. TYPOGR.

*A 20 Junij*

1777.

*1777mo Anno*

1966

Ostendas Populo Cæremonias, & Ritum colendi DEUM,  
*Exod.* 18. v. 20.

Offeret Holocaustum in odorem suavissimum Domino, & Sacrifi-  
cium ejus, ut Cæremoniæ postulant, *Numer.* 15. v. 24.

Præter Holocaustum cum Sacrificiis suis, eisdem Cæremoniis of-  
feretis in odorem suavissimum incensum Domino, *Numer.*  
29. v. 6.

Audi Israël Cæremonias, quæ ego loquor in auribus vestris, di-  
scite ea, & opere complete, *Deuteron.* 5. v. 1.

3

# C E N S U R A THEOLOGORUM ORDINIS.

**J**ussu Rev. P. VENANTII TYSZKOWSKI, Ex-  
Commiffarii Cismontaneæ Familiæ, ac Ministri  
Provincialis Provinciæ Russiæ, Opus intitulatum:  
*Ordinarium, seu Cæremoniale Fratrum Minorum  
Regularis Observantiæ S. P. N. Francisci*, ab A.  
R. P. ANDREA JORDAN, Lectore Jubilato con-  
cinnatum; attente perlegimus & revidimus. Quod  
cum nihil contineat Legibus Ecclesiasticis ac Ru-  
bricis Classicis adversum. Hinc ut in lucem prodire  
possit, ad hujus Provinciæ uniformitatem servan-  
dam, necessarium censemus. Datum in Conventu  
Leopoliensi ad Sanctum Andream Apostolum, Die  
19. Maji Anno Domini 1774.

**FR. PETR. ULITOWSKI,**  
S. Theol. Lector Jubilatus per Archidiœcesim  
Leopoliensem Censor Synodalis, mppr.

**FR. SYMPH. RAZMUSIEWICZ,**  
S. Theol. Lect. Gener. per Archidiœcesim Leopo-  
liensem Censor Synodalis, mppr.

**L**ibrum intitulum: *Ordinarium, seu Cæremo-  
niale Fratrum Minorum Regularis Obser-  
vantie S. P. N. Francisci*, magno studio &  
labore compillatum ab A. R. P. ANDREA JOR-  
DAN, S. Theol. Lectore Jubilato, istius Francisca-  
no-Observantis Provincia Ruffiæ Ex-Definitore,  
jam a duobus Theologis ejusdem Provinciæ revifum & recognitum, utpote ad perfolvenda ordinate  
peculiararia Religiofis Noftreis munia & Officia peruti-  
lem, publicæ Luci Typisque reddi, noftream imper-  
timur Facultatem; Si Eis, ad quos de jure perti-  
net, id expedire videbitur. Datum in Conventu  
Noftro Dubnensi, ad Immaculatam Conceptionem  
Beatiffimæ Virginis MARIÆ, hac die 2 Decembris  
Anno 1776.

FR. SYMPH. RAZMUSIEWICZ,  
Minifter Provincialis Obf. Provinciæ Ruffiæ,  
mppr.



57

PRÆFATIO  
AD  
LECTOREM SERAPHICI ORDINIS  
HUIUS ALMÆ PROVINCIÆ.

 *Dilectissime in Christo JESU Fra-*  
*ter, Seraphici Patris Nostri*  
*Sancti Francisci Fili, hujus Almæ Pro-*  
*vinciæ Immaculatæ Conceptionis B. V.*  
*MARIÆ Alumne: Post exhibitam Tibi*

\* 3

Manu-

## P R Æ F A T I O.

*Manuductionem ad recte, & rite celebran-  
 dum Sanctissimum Missæ Sacrificium, nunc  
 Tibi offero hoc Cæremoniale, in quo col-  
 lectas habes reliquas Sacras Cæremonias  
 observandas, tam in debite, & devote per-  
 solvendo Divino Officio, quam in celebra-  
 tione Sanctissimi Sacrificii Missæ, aliisque  
 Spiritualibus Exercitiis, collectas ex pro-  
 batis Auctoribus, conformiter Rubricis  
 novi Breviarii, & Missalis, ac S. Rit.  
 Congreg. Decretis. Nunc Tuæ curæ, &  
 sollicitudini committitur, ut sicut ego ex,  
 & in Virtute Sanctæ Obedientiæ ad Man-  
 datum Colendissimorum nostrorum Superio-  
 rum hæc Opuscula collegi, ita & Tu ex,  
 & in Virtute Ejusdem Sanctæ Obedientiæ  
 ea non solum sæpius legas, & relegas; sed  
 etiam*

A 4

P R Æ F A T I O.

*etiam executioni demandes, & opere compleas. Hæc faciendo, & opere complendo imitaberis Seraphicum Patrem Nostrum Sanctum Franciscum, cui in vita sua hac mortali nihil magis cordi erat, quam Sancta Obedientia: imitaberis B. V. MARIAM Immac. Concept. singularissimam Patronam, & Protectricem hujus Provinciae, quæ obediendo voci Gabrielis Archangeli, facta est Mater DEI: imitaberis denique ipsum Filium Altissimi Salvatorem Nostrum Christum JESUM, qui propter nostram Salutem factus est obediens usque ad Mortem Crucis. Exhibebis quoque debitam Laudem, Gloriam, & Honorem DEO: Ædificabis Populum Christianum: Tibi ipsi promerebis Gratiam DEI*

## P R Æ F A T I O.

*in præfenti vita mortali, & beatam Gloriam in futura æterna Beatitudine: In qua, ut in æternum jubilando cum Beatissimis Spiritibus Seraphicis, non cesses inexplicabili Seraphici amoris incendio, affectu inenarrabili, totaliter immersus in Divinæ dulcedinis Pelago, cum iisdem Angelicis Seraphinis, Nostroque Patre Seraphico, ac omnibus Cælicolis sine fine decantare Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus DEUS Exercituum &c. &c. &c. Hoc ex corde Tibi opto. Interim bene vive, & vale.*



INDEX

I N D E X  
T O T I U S O P E R I S.

P A R S P R I M A.

|          |  |        |
|----------|--|--------|
| CAPUT 1. | De Divino Officio in genere.                       | Pag. 1 |
| CAPUT 2. | De Præmittenda Præparatione ante Divinum Officium. | 6      |
| CAPUT 3. | De Meditatione sub Divino Officio.                 | 12     |
| CAPUT 4. | De Statione, & Sessione tempore Divini Officii.    | 16     |
| CAPUT 5. | De Inclinationibus.                                | 18     |
| CAPUT 6. | De Genuflexionibus.                                | 21     |

P A R S S E C U N D A.

*De Divino Officio in particulari, aliisque Spiritualibus Exercitiis totius diei.*

|                       |  |    |
|-----------------------|--|----|
| CAPUT 1.              | De Matutino.   | 25 |
| CAPUT 2.              | De Laudibus.   | 34 |
| CAPUT 3.              | De Officio parvo B. V. Mariæ.  | 38 |
| CAPUT 4.              | De Meditatione matutina, & aliis Exercitiis Spiritualibus usque ad Primam Canonicam.                   | 45 |
| CAPUT 5.              | De Prima, Tertia, Sexta, & Nona: De Intonatione Hymnorum prædictarum Horarum: Et de Missa Conventuali. | 50 |
| CAPUT 6.              | De Missa Solemni, cantanda á Sacerdote cum Ministris Sacris.   | 59 |
| <i>Ad Titulum II.</i> | <i>Rubricæ Missali. De Ingressu Sacerdotis ad Altare.</i>  | 60 |

## I N D E X.

|  |         |
|--|---------|
| <i>Additio.</i> De Asperſione Aquæ Benedictæ diebus Dominicis.                 | Pag. 70 |
| <i>Ad Tit.</i> IV. De Introitu, Kyrie eleiſon, & Gloria in excelsis.           | 76      |
| <i>Ad Tit.</i> V. De Oratione.   | 89      |
| <i>Ad Tit.</i> VI. De Epiftola, Graduali, & aliis uſque ad Offertorium.        | 91      |
| <i>Ad Tit.</i> VII. De Offertorio, & aliis uſque ad Canonem.                   | 106     |
| <i>Ad Tit.</i> VIII. De Canone uſque ad Conſecrationem.                        | 127     |
| <i>Ad Tit.</i> IX. De Canone poſt Conſecrationem uſque ad Orationem Dominicam. | 131     |
| <i>Ad Tit.</i> X. De Oratione Dominica, & aliis uſque ad factam Communionem.   | 132     |
| <i>Ad Tit.</i> XI. De Communione, & Orationibus poſt Communionem dicendis      | 143     |
| <i>Ad Tit.</i> XII. De Benedictione in fine Miſſæ, & Evangelio S. Joannis.     | 148     |
| CAPUT 7. De Obſervandis a Cantantibus Miſſam a Choro                           | 150     |
| CAPUT 8. De Prandio.   | 156     |
| CAPUT 9. De Veſperis, & Completorio.   | 158     |
| CAPUT 10. De Veſperis Solemnibus.  | 166     |
| CAPUT 11. De reliquis Officiis Acolythorum.                                    | 178     |
| CAPUT 12. De Officiis Sacriſtæ.  | 181     |
| CAPUT 13. De Officio Præfecti Chori, & Cæremoniæ.                              | 186     |

## P A R S T E R T I A.

*De Sacris Ritibus, & Eccleſiaſticis Cæremoniis, in quibusdam præcipuis diebus, & Feſtis, occurrentibus intra annum, ſervandis.*

|   |     |
|---|-----|
| CAPUT I. De Sacrorum Rituum, & Eccleſiaſticarum Cæremoniarum obſervantia. | 191 |
|---|-----|

I N D E X.

|           |  |          |
|-----------|--|----------|
| CAPUT 2.  | De Adventu.  | Pag. 201 |
| CAPUT 3.  | De Vigilia, Nocte, & die Nativitatis Domini.                               | 204      |
| CAPUT 4.  | De Benedictione Candelarum, & Processione in Festo Purificationis B. V. M. | 213      |
| CAPUT 5.  | De Feria IV. Cinerum.  | 220      |
| CAPUT 6.  | De Tempore Passionis.  | 222      |
| CAPUT 7.  | De Dominica Palmarum.  | 225      |
| CAPUT 8.  | De Matutinis Tenebrarum.   | 233      |
| CAPUT 9.  | De Feria V. in Coena Domini.   | 237      |
| CAPUT 10. | De Processione SS. Sacramenti in Coena Domini, & Denudatione Altarium      | 243      |
| CAPUT 11. | De Mandato, seu Lotione pedum Feria V. in Coena Domini.                    | 250      |
| CAPUT 12. | De Feria VI. in Parasceve.   | 256      |
| CAPUT 13. | De Denudatione, & Adoratione Crucis in Parasceve.                          | 261      |
| CAPUT 14. | De Processione, & Reliquo Officio in Parasceve.                            | 267      |
| CAPUT 15. | De Sabbato Sancto.   | 273      |
| CAPUT 16. | De Processione ad locum novi Ignis, & Benedictione ejusdem.                | 276      |
| CAPUT 17. | De Præconio Exultet.   | 280      |
| CAPUT 18. | De Prophetiis, & Litanis.  | 282      |
| CAPUT 19. | De Missa, & Vesperis in Sabbato Sancto.                                    | 284      |
| CAPUT 20. | De Sabbato Sancto in locis particularibus.                                 | 288      |
| CAPUT 21. | De Tempore Paschali.   | 291      |
| CAPUT 22. | De Festo Corporis Christi.   | 294      |
| CAPUT 23. | De Processione cum SS. Sacramento.   | 300      |
| CAPUT 24. | Quædam universaliter notanda de Processionibus.                            | 305      |

PARS

INDEX.

|           |   |          |
|-----------|---|----------|
| CAPUT 25. | De Officio Defunctorum.                                   | Pag. 308 |
| CAPUT 26. | De Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum.            | 315      |
| CAPUT 27. | De Dominicis post Pentecosten, si fuerint plures quam 24. | 320      |
| APPENDIX. | De Præcipuis Indulgentiis Ordini nostro concessis.        | 322      |



*Handwritten signature or mark, possibly 'J. J. J.'*


*Handwritten signature or mark, possibly 'W. J. J.'*



# PARS PRIMA.

DE

DIVINO OFFICIO IN GENERE,  
NEC NON DE ANTECEDENTIBUS,  
ET CONCOMITANTIBUS ILLUD.



## CAPUT I.

DE DIVINO OFFICIO IN GENERE.

I.

**D**ivinum Officium est actus Virtutis Religionis, qua Deo, tanquam primo omnium Principio, & Creatori nostro, Supremoque Domino cultus debitus exhibetur cum quadam submissione nostri erga ejus Excellentiam. Si enim Principi terreno, & cui-libet Superiori propter quandam ab ipso dependentiam cul-  
A rus

tus aliquis exhibendus est, multo magis Deo, ob infinitam ejus Excellentiam, & Potentiam, a quo omni momento dependet nostrum esse, & vivere, ac omne bonum nostrum, singularis cultus cum submissione nostra deferendus est velut quoddam tributum, quo Excellentiam ejus, nostramque subjectionem, & dependentiam protestemur, tam actu interno, considerando Dei infinitam Majestatem, & omnium rerum Conditorum, nostrique nihili ab ipso continuam dependentiam, cum profunda submissione: quam etiam actu externo, ut oratione vocali, cantu, genuflexione, complicatione, sive elevatione manuum, aliisque modis; cum enim corpus, & animam habeamus a Deo, eum tanquam utriusque Creatorem, utroque venerari obligati sumus.

2. Vocatur autem *Officium Divinum*, quia est institutum ad Dei cultum, & magna ejus pars constat variis precibus, seu petitionibus ad Deum, & per ipsum potissimum Deum oramus, & precamur. Dicitur *Officium Ecclesiasticum*, quia nomine Ecclesie perfolvitur, & quidem a Personis Ecclesiasticis, quarum munus est Orationi insistere, & Deum orare pro omnibus Sacrae Ecclesie Fidelibus. Appellatur *Officium Canonicum*, seu *Horae Canonicae*, quia fit juxta regulas, & constitutiones Sacrorum Canonum, & quidem certis, ac determinatis horis. Nominatur etiam *Breviarium*, quia est breve, & admirabile Compendium veteris, & novi Testamenti, Sententiarum Patrum, & vitae Sanctorum.

3. Obligatio recitandi praedictum Divinum Officium, seu Horas Canonicas oritur ex triplici Titulo; scilicet Sacri Ordinis, Beneficii Ecclesiastici, & Religionis Choro adstrictae. Titulo *Sacri Ordinis* obligantur sub mortali ad recitandum Divinum Officium omnes Subdiaconi, Diaconi, & Presbyteri, quamvis nullum habeant Beneficium, nec aliquo voto ad id sint adstricti; & obligatio incipit a prima die, & hora suscepti Subdiaconatus Ordine. Titulo *Beneficii Ecclesiastici* obligantur sub mortali ad recitandum Divinum Officium

cium Beneficiati omnes, etsi Sacros Ordines nondum habeant, sive habeant Beneficium curatum, sive non curatum. Titulo *Religionis Professæ Choro adstrictæ* obligantur sub mortali ad recitandum Divinum Officium, seu Horas Canonicas, sive publice in Choro, sive privatim omnes Regulares, qui profitentur Religionem Choro adstrictam. Et quidem in nostra Religione Fratrum Minorum adest speciale præceptum Regulæ sub peccato mortali obligans omnes, & singulos Professos a die, & hora Professionis, *Cap. 3. Clerici faciant Divinum Officium secundum Ordinem S. Romanæ Ecclesiæ.*

4. Tempus pro absolvendo toto Divino Officio a Matutino ad Completorium inclusive, ex primæva institutione incipit a media nocte præcedenti usque ad mediam noctem sequentis diei. Ex consuetudine tamen jam recepta apud omnes, potest nunc Matutinum cum Laudibus anticipari, & recitari vespere pridie, incipiendo eo tempore, & nequaquam prius, quando Sol jam propinquior est occasui, quam meridiei; ut in Decembri, quando Sol occidit hora quarta, Matutinum sequentis diei potest incipi recitari primo quadrante pro tertia: in Junio, quando Sol occidit hora octava, Matutinum sequentis diei potest incipi recitari primo quadrante pro hora quinta, quia eo tempore Sol jam est propinquior occasui quam meridiei; & sic de aliis temporibus. Laudes quoque a Matutino separari possunt, ita, ut Matutinum pridie, & Laudes altera die dicantur; & tunc Matutinum concluditur cum Oratione diei, & Oratione Dominica, sine aliis commemorationibus, quæ dici debent post Laudes: & quamvis tunc ante Laudes non sit omnino necesse dicere *Pater*, & *Ave*, id tamen facere, consultum, & laudabile esse censetur. Quod si rationabilis, & justa adsit causa, secundum communiorem opinionem Auctorum, etiam unus Nocturnus ab alio per aliquot horas sejungi potest.

5. Pro publica recitatione Horarum in Choro omnino servanda consueta tempora Ecclesiæ, & in Statutis Pro-

vincialibus expressa, cui etiam privatim recitans, quo ad commode fieri potest, laudabilissime se accommodabit, non peccabitur tamen graviter in privata recitatione, dummodo intra diem naturalem, id est, ab una media nocte ad alteram mediam noctem recitentur, & finiantur. Quod si adfit iusta, & rationabilis causa non servandi tempora præscripta in privata recitatione Horarum, tunc melius, & consultius est eas anticipare, quam postponere, juxta illud dictum: *Ante horam orare, providentiæ est; post horam negligentia, in hora obedientia.* Justæ autem, & rationabiles causæ censentur esse Concio, vel Lectio paranda, major commoditas studendi, major devotio, periculum impedimenti obventuri, iter obeundum, & hujusmodi. In Quadragesima Vesperas privatim recitans, potest illas dicere sive ante, sive post comestionem, seu meridiem.

6. Modus, quo Divinum Officium persolvi debet, traditur ab INNOCENTIO III. *Cap. Dolentes, de celebrat. Missar.* ubi sic expresse habetur. *Et si quando dum hæc celebrantur, intersint, Chori silentium fugientes, intendunt exterius colloctionibus, dumque auditum ad indebitos sermones effundunt, aures intentas non porrigunt ad Divina. Hæc igitur, & similia sub pœna suspensionis penitus inhibemus, districte præcipientes in virtute obedientia, ut Divinum Officium nocturnum pariter & diurnum, quantum eis Deus dederit, studiose celebrent pariter, & devote. Ubi Glossa notat, studiose, quantum ad Officium oris; & devote, quantum ad Officium cordis. De hoc habentur sequentes versiculi:*

*Non vox, sed votum; non musica chordula, sed cor,  
Non clamans, sed amans cantat in aure Dei.  
Dirige cor sursum, bene profer, respice sensum;  
Inque Choro ne sis corpore, mente foris.*

7. Studiose itaque, ut celebretur Officium Divinum, debet primo pronuntiatio esse vocalis exterior, distincta, & intel-

intelligibilis, ita, ut in recitatione privata saltem ipsemet recitans se audiat, & intelligat, si non impediatur propria surditas: in Choro vero etiam a circumstantibus audiatur, & intelligatur. *Secundo*, debet esse integra pronuntiatio sine Syncopa, mutilatione verborum, & syllabarum; & peccat pro quantitate materiæ, qui voluntarie mutilat verba, vel syllabas; vel non ita articulate exprimit verba, ut eorum, quæ dicit, sensus intelligi possit. *Tertio*, debet esse recitatio continua unius Horæ Canonice sine ejus interruptione, ubi non adest rationabilis causa. *Quarto*, debet esse ordinata, ut ordo in Horis non invertatur sine causa; & Horæ dicantur statuto per legem tempore, ut dictum est supra Num. 4 & 5. Demum *quinto*, ut Divinum Officium non persolvatur cum præcipitantiâ, & festinatione, quæ manifestum signum indevotionis est; sed unus Chorus expectet, donec alter suum versum integre finiverit; nam alias nec uni, nec alteri integre Officium persolvunt; ad quod maxime advertere debent Patres Superiores, & Patres Vicarii, nam alias hi tot peccatorum participes se facient, quot sunt in Choro, qui Officium integre non persolvunt. Nec tamen etiam nimium protrahatur, sed fiat omnium verborum, syllabarum, ac literarum uniformis, integra, & per omnia æqualis, ac devota pronuntiatio: omnes simul incipiant, & omnes simul finiant, ac in medio versus debitam pausam observent.

8. Pausa observanda in toto Divino Officio, seu Horis Canonicis, tantam moram capere debet, ut interim Nomen JESUS articulatim, una syllaba post aliam non præcipitanter, sed ordinate proferri queat. In Officio parvo B. M. V. Officio Defunctorum, Psalmis Gradualibus, & Pœnitentialibus, dum choraliter dicuntur, loco Pausæ, Suspirium conveniens adhibeatur, nec unquam totus versus unico tractu proferatur, sed in medio, loco Pausæ, quilibet novum suspirium trahat. Omnis quoque festinatio evite-

tur; nam in Divinis Laudibus omnis festinatio, & præcipitania, & Deo, & hominibus displicet: quin imo abominabilis esse videtur in oculis Dei, cum manifestum signum fit, in hujusmodi festinantibus, & ad finem solum properantibus, parvam, vel nullam adesse devotionem, & fervorem Spiritus. Quæ omnia, ut exacte observentur, & Divinæ Laudes *studiose* celebrentur, conscientiæ, & obligationi Patrum Superiorum, & Vicariorum præcipue incumbit.

9. Devote autem, ut celebretur Divinum Officium, debet celebrari cum intentione, & attentione. Intentionum Formulæ, quibus debet quis velle laudare, & orare Deum per solutione Divini Officii, exhibentur infra capite sequenti de Præparatione. Attentio vero debet esse non solum externa, quæ consistit in totius corporis religiosa compositione, excludens omnem actionem impossibilem cum attentione interna, quales actiones sunt scribere, pingere, ludere, fabulantibus attendere &c. Sed requiritur etiam Attentio interna, quæ est conversio mentis ad Deum, vel Divina cum affectu, & reverentia erga Deum, & est triplex: *Prima*, qua attenditur ad verba, ut integre, & cum reverentia ad Deum orandum, & colendum pronuntientur. *Secunda* est, qua advertitur ad sensum verborum, & ei affectus accommodatur, & cum Psalmista varii virtutum actus eliciuntur. *Tertia* est, qua quis meditatur v. g. de humanitate Christi, ejus Passione &c.

## CAPUT II.

DE

### PRÆMITTENDA PRÆPARATIONE ANTE DIVINUM OFFICIUM.

I. **D**ivinum Officium cum sit celebris actus quidam Ecclesiæ, peculiarisque Personarum Ecclesiæ Oratio, & satisfactio obligationis contractæ propter Beneficium, vel  
susce-

susceptionem SS. Ordinum, vel Professionem Religiosam; sitque præterea Sacrificium Laudis, quo Deum O. M. honorificamus, & colimus, teste Psalmista; ideo illud, momente Apostolo, cum magna solitudine, non pigre, sed Spiritu fervente, utpote coram oculis Divinæ Majestatis, absolvendum est. Hinc ait S. David: *Meditatus sum nocte cum corde meo, & exercitabar, & scopebam Spiritum meum;* ut scilicet jucundo Spiritu, & ferventi laudes Deo nostro decantemus. Ac proinde Isaias inquit: *Nomen tuum, & memoriale tuum in desiderio animæ meæ, anima enim mea desideravit te in nocte, sed & Spiritu meo in præcordiis meis de luce vigilabo ad te.* Et sic hujusmodi cogitationibus quilibet se se exercere debet, illisque in se devotionem, fervorem, & attentionem excitare. Effunde (inquit ille) sicut aquam cor tuum, consurge, lauda in nocte, in principio vigiliarum &c.

2. Unde quilibet Religiosus, sive de nocte excitatus ad Matutinum, sive de die audito primo pulsu campanæ pro Divino Officio, dicat: Hoc signum magni Regis est, eamus, inquiramus eum, & offeramus ei munera, aurum amoris, thus devotionis, myrrham vigilantia, & patientia: & ad Ecclesiam sine mora properet, ac mente revolvat, quis, quo, & ad quid vadat; quia nimirum *primo* creatura vilissima ad adorandum Deum suum, a quo ex nihilo ad hoc præstandum producta est. *Secundo*, peccator quidem indignus, Dei tamen servus voto, & Sacramento illi obstrictus. *Tertio*, ad Deum, a quo vocatur, & incitatur ad illius servitium, tanquam amantissimus Filius a Patre suo. Ad quid autem vocatur? Ad laudandum Deum cum Astris matutinis; ad solvendum Deo debitum Officium servitutis suæ; ad memorandam Passionem Domini; ac demum, ut nomine totius Christianæ Reipublicæ, præsertim Benefactorum ejus loci, Deum adoret, laudet, & gratiarum actiones reddat, ac necessaria beneficia impetret. Quo autem? Ad Templum Domini,

mini, & habitaculum Divinæ Majestatis, in conspectu Angelorum, qui jam eo nos prævenerunt. Deinde ante fores Ecclesiæ Aquam lustralem accepturus in frontem dicat: *Asperges me &c.* vel: Per hujus aquæ benedictæ asperionem, & Christi Sanguinem, & Passionem, det nobis Deus noster suam sanctam benedictionem, & peccatorum omnium remissionem, Amen.

3. Tempestive autem ad Horas Canonicas tam nocturnas, quam diurnas conveniendum est, ita, ut ante earum inchoationem omnes in Choro adsint; quia ultimi campanæ signi præstolatio, est manifestatio modicæ pietatis, & exiguæ devotionis indicium: & tales demonstrant se non duci ad Chorum ab amore Dei, sed solum compelli a servili timore pœnæ. Ingrediens autem Templum dicat: Introibo in Domum tuam Domine, in Sæcula Sæculorum laudabo te: in conspectu Angelorum psallam tibi, adorabo ad Templum Sanctum tuum, & confitebor Nomini tuo.

4. Ingressus vero Ecclesiam, coram Venerabili Sacramento genuflexus procumbet osculata terra, quasi pedibus Domini Nostri JESU Christi crucifixi advolutus, & se pulverem vilissimum agnoscendo dicat: Omnis terra adoret te, & psallat tibi, ego quoque vilissimus terræ vermiculus coram Divina tua Majestate prostratus cum summa humilitate, devotione, & reverentia te adoro cultu Latriæ omnium Angelorum, & Electorum tuorum, & tuam benedictionem, & gratiam supplex imploro ad te devote laudandum, & serviendum tibi. Postea expansis manibus, & brachiis orabit cum S. Francisco Patre suo Orationem, quam illi Christus revelavit: Adoramus te Domine JESU Christe &c. Gloria Patri &c., & dicat: Tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio, o amantissime, benignissime, dulcissime Domine JESU Christe, Salvator, & Redemptor noster pro omnibus Sanctissimis pretiosissimi Sanguinis tui guttulis, quas pro nobis miseris peccatoribus fudisti in Circumcisione, sanguineo Sudore,  
Fla-

Flagellatione, spinarum Coronatione, Crucis bajulatione, Crucifixione, & Cordis transfixione, esto propitius, & clemens, quos tuo sanctissimo Sanguine redemisti. Deinde adhuc expansis brachiis dicat Pater noster, Ave Maria, & Credo cum Gloria Patri &c. significans per hoc, paratum se esse omnia sua membra impendere servitio Dei, & Redemptori suo velle reamando recompensare illius cordialem amorem, ac manuum, & pedum dolorosissimam in Cruce extensionem.

5. Supradictis expletis, surgat, & vadat ad locum suum, ibique genuflexus faciat internam, & externam præparationem. *Interna Præparatio* est, qua anima ante Horas Canonicas se præparat ad mentis elevationem ad Deum, amputando sensuum evagationes, derelinquendo pro eo tempore omnes Sæculares imagines, vanas cogitationes, omnesque causas distractionum, removendo pro illo tempore omnes alias curas, & sollicitudines, ac negotia, totumque se ad colendum Deum applicat: & qua totum cor ante Divinum Officium colligitur, & pius mentis in Deum affectus ad beneficiorum ejus, præsertim Passionis Christi Domini recordationem excitatur, considerando, quod Deus vilissimum terræ pulvisculum secum colloqui permittat, eumque in hoc cum Angelis Deum assidue laudantibus coæquare dignatus sit. Unde ex corde gloriari debet, quia ad alloquendum, colendum, laudandum, & adorandum Deum suum, qui est Dominus infinitæ Majestatis, & Excellentiæ, vocatur.

6. *Externa vero Præparatio*, est corporis modesta dispositio, qua se Religiosus exteriori cultu, & corporis compositione ad rem Divinam peragenda componit; quandoquidem internus mentis habitus, ut plurimum manifestatur per exteriorem corporis compositionem. Quapropter cum omni humilitate, modestia, gravitate, diligentia, & fervore ante oculos Dei se inspicientis, & intima cordis penetrantis, se stare meminerit, & mediante hoc Divino Officio persolvere

vere laudes ipsi Deo, quem universa creatura nunquam pro dignitate laudare sufficit, & coram quo omnes Angeli contremiscunt, ac universum cælum adorat, dicens: Tibi gloria, honor, potestas, imperium, gratiarum actio in Sæcula Sæculorum, Amen. Post hæc formabit intentionem ad absolvendum Divinum Officium, dicendo sequentem Orationem, vel aliam, juxta cujuslibet devotionem.

*Subjungitur Oratio formandæ Intentionis ante  
Divinum Officium.*

7. O Sanctissime Domine JESU Christe, Fili Dei, & semper Virginis Mariæ, Deus, & homo perfectissime, cui ex amore servire, & obedire prout tenemur, ita etiam desideramus. Tu cum Patre, & Spiritu Sancto unus es Deus, unus es Dominus, quem laudant Angeli, ante cujus conspectum Beatissima Virgo Maria, omnesque Angeli, & Sancti tui cum summa humilitate, & reverentia procidunt, teque jugiter adorant, atque sese totos in omne obsequium tuum in tempore, & æternitate resignatissima voluntate offerunt, ac impendunt. Ego autem vilissimus terræ vermiculus, & peccator miserrimus, qui nihil habeo præter innumera peccata tibi soli plene cognita, propter quæ non solum non sum dignus Nomen Sanctum tuum invocare, sed etiam dignissimus, quem in infernum dejicias, vel certe velut immundum a te repellas. Sed quia tanta est dignatio, & benignitas tua, ut digneris, & velis a me, licet indignissimo, laudari; ideo non ex aliqua præsumptione, aut confidentia mea, sed ex hac sola intentione, ut voluntati, & beneplacito tuo obediam, multum desidero id nunc facere, & ne indignus te laudem, quoniam non est speciosa laus in ore peccatoris: obsecro te per tuam cum Patre, & Spiritu Sancto inseparabilem unionem, & amorem, ac per merita Sanctissimæ Virginitatis, & Mortis tuæ, nec non per merita, & inter-

cessio-

cessiones Genitricis tuæ Mariæ, omniumque Angelorum, & Sanctorum tuorum, ut nos in sacrosancto Sanguine tuo ab omnibus peccatis abluas, atque te tuo Passionis infinito thesauro plenam Satisfactionem pro peccatis nostris Deo Patri offerens, eum nobis placatum reddas, ut ex hac hora usque in sempiternum nos suscipias in domesticos, & servos tuos, nosque in omnibus per suavissimum Spiritum tuum, & Angelicum ministerium dirigas, sicut magis expedit ad honorem tuum, & animarum nostrarum salutem. Quod ut digne fiat, adjuva nos, ut has Horas Canonicas, cæterasque hujus diei; & totius vitæ nostræ exercitia, pure propter te, tuumque honorem, amorem, ac beneplacitum, per suavissimum Cor, & Spiritum tuum, devote inchoare, prosequi, & perficere valeamus. Quæ omnia tibi Deo meo offero in unione perfectissimæ laudis, & ardentissimi amoris, quo altissima Trinitas se ipsam laudat, & amat; in unione ferventissimarum Orationum, quas tu benignissime Domine JESU Christe, & devotissima Mater tua Maria, & omnes Beati hic quondam in terris fecistis, & nunc in cælo peragitis: In unione omnium bonorum operum, quæ in Ecclesia tua ab omnibus Fidelibus tuis facta sunt, fiunt, & fient. In unione sensuum, quos intendit Spiritus Sanctus; juxta intentionem Ecclesiæ Catholicæ, & Ordinis nostri, nostramque specialem devotionem. Ad Sanctissimæ Trinitatis, tuæque Crucifixæ Humanitatis supremam Latriam, tuæque Matris Mariæ Hyperduliam, ac Beatorum Angelorum, omniumque Sanctorum Duliam; Animarum existentium in Purgatorio refrigerium, & liberationem; Ecclesiæ necessitatem, nostrum profectum, & salutem, atque obligationem: denique pro omnibus, pro quibus orare tenemur, & Sanctissima tua Majestas vult a nobis exorari. Ecce tibi Domino meo offero omnes, quas persolurus sum Horas Canonicas, una cum dilectissima Sponsa tua, Matre mea Sancta Ecclesia Catholica.

## CAPUT III.

DE

## MEDITATIONE SUB DIVINO OFFICIO.

Ne mens hinc inde, ut equus indomitus divagetur, & orantem aliquid distrahat, quietare debet Religiosus intellectum, & imaginationes occurrentes cohibere triplici attentione: vel ad verba, ut ea bene, & integre proferat cum pia interna intentione, & animo laudandi, colendi, & orandi Deum: vel ad sensum, quem verba proferunt: vel ad mysterium, quod illa Hora v. g. Matutinum, vel Prima præsentat.

*Meditabitur autem ad Matutinum, & quidem sub primo Nocturno, tria in horto, ac si oculis mentis ante se videret.*

JESUM ( ) A Juda traditum.  
( ) A Judæis captum.  
( ) In Hierusalem tractum.

*Sub secundo Nocturno in Domo Annæ tria.*

JESUM ( ) De Discipulis interrogatum.  
( ) De Doctrina examinatum.  
( ) In maxilla verberatum.

*Sub tertio Nocturno in Domo Caiphæ tria.*

JESUM ( ) In facie velatum.  
( ) Consputum.  
( ) Collaphisatum.

*In Laudibus meditabuntur quinque Salutaria Passionis Christi in cellario.*

- 1) Intrusionem Christi Domini in carcerem.
- 2) Locationem in sedili carceris Christi Domini.

3) Alli-

- 3) Alligationem ejusdem in carcere ad columnam per collum.
- 4) Velationem faciei, conspuationem, percussionem.
- 5) Multorum horribilium ludibriorum sustinentiam, idque tota nocte, & a vilissimis, ac ebriosis personis.

*Vel sub primo Psalmo Laudum recogitabis: Creationem tuam, cum gratiarum actione humillima.*

*Sub secundo: Redemptionem tuam, invitando omnia ad laudem Dei per: Jubilate Deo omnis terra.*

*Sub tertio: Vocationem tuam ad S. Religionem: In terra deserta, inaquosa, in Sancto apparui tibi.*

*Sub quarto: Beneficia in Religione accepta spiritualia, & corporalia; ideo: Benedicite omnia &c.*

*Sub quinto: Promissionem Regni cælestis; ideo: Laudate Dominum de cælis.*

#### SUB OFFICIO PRIMÆ.

- 1) Adductionem ad Pilatum ignominiosam.
- 2) Accusationem Judæorum clamorosam.
- 3) Missionem ad Herodem probrosam.

#### SUB MARTYROLOGIO.

Examen Pilati ad instantiam Judæorum.

#### SUB TERTIA.

- 1) Remissionem Domini ab Herode ad Pilatum ludibriosam.
- 2) Flagellationem, & Coronationem, & vestem purpuream dolorosam.
- 3) Decretum, & Sententiam ad mortem turpissimam.

#### SUB SEXTA.

- 1) Crucis bajulationem ponderosam.
- 2) Matris Dei, & Fæminarum lachrymationem lamentosam.
- 3) Ad Crucem affixionem probrosam.

## S U B N O N A.

1) Post trium horarum pensionem, mortem acerbissimam. 2) Lateris apertionem cum effusione Sanguinis, & aquæ profundissimam. 3) Totius creaturæ compassionem vehementissimam.

## S U B V E S P E R I S.

1) Depositionem Corporis Christi lugubrem. 2) Virginis Beatæ Corporis Divini in gremio suo collocationem funebrem. 3) Ablutionem Corporis Domini celebrem.

## S U B C O M P L E T O R I O.

1) Aromatibus conditum Dominum suaviter. 2) Deductionem ejus ad Sepulchrum lamentabiliter. 3) Sepulturam ejus, & lapidis impositionem dolenter.

## I N F I N E C O M P L E T O R I I I N R E C E S S U E X E C C L E S I A.

B. Mariæ Virginis abscessum, & omnium piorum, de monte Calvariæ.

Septem præcipua Dominicæ Passionis Mysteria, in quorum commemorationem septem Horæ Canonice recitantur, sequentibus exprimuntur versibus:

*Hæc sunt septenis, propter quæ psallimus Horis:*

*Matutina ligat Christum, qui crimina solvit:*

*Prima replet sputis, condemnat Tertia morti:*

*Sexta Cruci nectit, Suffixum Nona necavit:*

*Vespera deponit, Tumulo Completa reponit.*

Cum nihil sit in hac vita mortali, quo possimus Domino Deo nostro familiarius jungi, quam laudibus ipsius; ideo ex prædictis quasi corollarie sequitur, quomodo Horæ Canonice recitandæ sunt.

*Primo quidem pura mentis elevatione intellectualiter.*

Quia stas in conspectu ( Tui æterni Judicis.  
Tui Angeli Custodis.  
Tui Inimici persequentis.

*Secundo plena cordis attentione affectualiter.*

Quia desiderare debes ( Ut Deus ex fundo cordis laudetur.  
Ut cælestis Curia lætetur.  
Ut totus Mundus juvetur.

*Tertio perfecta oris pronuntiatione integraliter.*

Quia cavere debes ( Ut nihil omittatur dicendum.  
Ut nihil superaddatur inordinatum.  
Ut nihil hinc inde transponatur.

Post Divinum Officium subjungenda est Oratio: *Sacrosanctæ &c.*

## O R A T I O

*Oblationis persoluti Divini Officii.*

**D**ulcissime, ac clementissime JESU! propitius esto mihi miserrimo peccatori, ego tepidum, & distractum Officium, & servitium meum commendo mellifluo Cordi tuo emendandum, & perficiendum: Tibique illud offero simul cum omnibus aliis meis operibus bonis, atque indifferentibus cum omnibus bonis intentionibus, & oblationibus, quas omnes Sancti, & Electi tui unquam habuerunt, habebunt, vel habere possunt; cum illis omnibus intentionibus, & oblationibus, quibus te ipsum obtulisti Deo Patri Sacrificium in Ara Crucis, omnesque tuas actiones eidem obtulisti, & quotidie offers in Sacrificio Altaris; ut tibi Supremo Domino meo omnem possibilem honorem, laudem, gloriam, & beneplacitum præstem, omne bonum gratuler, ac pro universis beneficiis gratias agam, & holoçauptum amoris tibi offeram:

ram: in laudem quoque, & memoriam Sanctissimæ Humanitatis tuæ, in commemorationem vitæ, Passionis, & Mortis, omniumque Mysteriorum tuorum: nec non in venerationem, cultum, & augmentum beatitudinis B. Mariæ Virginis, Sanctorum meorum Patronorum, Angelorum, atque omnium Sanctorum: pro impetranda mihi, & omnibus hominibus adhuc in hac vita militantibus, gratia proficiendi in virtutibus, pro satisfactione peccatorum nostrorum, pro conversione Infidelium, Hæreticorum, & Schismaticorum ad Fidem; & peccatorum ad pœnitentiam: pro inimicorum reconciliatione; agonizantium felici transitu: animarum in Purgatorio existentium liberatione; pro omnibus meis necessitatibus spiritualibus, & corporalibus; sicuti & pro necessitatibus omnium vivorum, & defunctorum totius meæ parentelæ; notorum, & commissorum, Fundatorum, & Benefactorum nostrorum: omniumque Sacerdotum, & Religiosorum, præsertim Religionis nostræ, hujus Provinciæ, & hujus Conventus, ac pro omni eo, quod tu Deus meus vis me debere a te postulare. Denique omnia tibi offero in unione illius perfectissimi amoris, orationis, laudis, & oblationis, qua tu, o bone JESU! amasti, orasti, laudasti, & te obtulisti Deo Patri in terris: responde quæso, satisfac, & supple Divinæ justitiæ pro me plenissime. Amen.

## CAPUT IV.

DE

### STATIONE, ET SESSIONE TEMPORE DIVINI OFFICII.

I. **T**otum Divinum Officium in Choro, quando plane sine cantu absolvitur, dicitur stando, & solummodo in Matutino, quando leguntur Lectiones (ad verba tamen S. Evangelii in tertio Nocturno omnes stare debent), & in  
Priua

Prima tempore Martyrologii Fratres sedent. Quando vero Horæ Canonicæ persolvuntur cum cantu, tunc extra tempus Paschale (nam tempore Paschali nunquam sedetur, præterquam ad Lectiones Nocturnorum, & Martyrologium), sub Psalmis stant, & sedent alternatim; nempe sub primo Psalmo stat primus Chorus, & secundus sedet; sub secundo Psalmo primus Chorus sedet, & secundus stat, & sic consequenter. Ad sequentes vero Psalmos, in Laudibus: *Laudate Dominum de cælis*. In Prima ad Symbolum: *Quicumque vult salvus esse*. In Vesperis ad: *Laudate Dominum omnes gentes*; & *In exitu Israel*. In Completorio ad: *Ecce nunc benedicite*. Item ad Cantica: *Benedictus*, *Magnificat*, & *Nunc dimittis*: Sicut etiam ad omnes Antiphonas, Capitula, & Hymnos omnes stare debent. Similiter omnibus diebus Dominicis incipiendo a primis Vesperis stando dici, aut cantari debent Antiphonæ finales B. M. V. *Alma Redemptoris* &c. *Ave Regina cælorum* &c.

2. In Officio parvo (*sunt expressa verba antiqui ordinarii*) Beatæ Mariæ Virginis tam in Choro, quam extra Chorum semper itatur. Unde solum seniculis, & dolore pedum laborantibus sedere permittitur. Totum Officium Defunctorum absolvitur sedendo, excepto *Invitatorio*, *Laudate Dominum de cælis*, & *Benedictus*; & quando absolvitur in cantu, etiam ad Antiphonas, & Responsorialia standum est. Ad *Pater noster* vero, Preces, & Orationem omnes genuflectunt, surgente solo Hebdomadario ad Orationem.

3. Ad servandam in statione disciplinam, notandum est primo: Fratres Clericos, & juniores Sacerdotes, quando psallunt, stare debere in medio Chori ex utraque parte ante pulpitum, versis vultibus ad Altare, ad *Gloria Patri* autem, & ad alia, ad quæ profunde se inclinare debent, vultus ad se invicem convertant.

4. Notandum secundo: Omnes stare debere compo-  
site, & reverenter, non divaricatis, nec distentis more au-  
lico-

licorum pedibus; & junctis manibus ante pectus, in manicas habitus simul complicatis: Oculis vel ad Altare, vel ad libros, vel ad terram conversis.

5. Notandum est tertio: Illi, qui stant in Stallis, stare debent, non more Statuarum Stallis affixi, vel appodiati, sed leniter Stalla contingentes: *ad Magnificat* tamen, & alia Cantica; ad Antiphonas finales B. M. V. *Regina cæli* &c. in medio Stallo stabunt, compositis manibus, atque demissis oculis in terram, recta tamen cervice.

6. De Sessione pariter notandum, primo ex D. BONAVENTURA: Dum Fratres in Choro in suis Sedibus sedent, facie se vertere debent ad Altare majus, quantum decenter fieri potest.

7. Secundo: Sedilia, non pede, sed manu modestissime elevanda, & demittenda sunt, ne strepitus, & fragor audiatur: Item in Stallis modeste se gerere debent, non excitare risus, cachinationes, levitates &c. utpote stantes in conspectu tremendæ Majestatis Divinæ: nec spueri debent in Stallis, nisi sub Stalla in terram, pro quibus spatibus ibidem exceptorium habeatur vasculum cum pulvere ligneo, vulgo trociny, vel arena, quem pulverem, vel arenam Acolythi qualibet Hebdomada renovare tenentur.

## CAPUT V.

DE

## INCLINATIONIBUS.

1. Inclinationes in Officio Divino fiunt frequenter, ideoque I disciplinam a Fratribus requirunt: debent igitur esse tempestivæ, devotæ, reverentes, honestæ, uniformes, & æquales.

2) Teni-

2. Tempestivæ quidem, ut si inclinaturus sedet, surgat præveniendò inclinationem, v. g. quando ad *Gloria Patri* inclinandum est, in fine ultimi versus surgat elevato subfello suo.

3. Devotæ erunt, & reverentes, si fiant cum profunda humilitate, & timore Dei, reflectendo se stare in præsentia Dei immensi, ad cuius imperium tota inclinatur machina universi. Honestæ autem erunt, si in eis compositio manuum, & vultus in terram demissus fervabitur. Uniformes tandem, & æquales erunt, si exacte observabitur sequens informatio.

4. Notandum bene est Inclinationes omnes dividi in tres classes; nempe, Profundam, Mediam, & Infimam. Inclinationo *Profunda* fit capitis, atque humerorum profunda incurvatione, ita, ut manus ambæ utrumque genu facile contingant. Inclinationo *Media* fit capitis profunda, & humerorum mediocri inclinatione. Inclinationo tandem *Infima* fit capitis profunda inclinatione, quæ trahat secum etiam modicam humerorum inclinationem. Omnes inclinationes Profundæ faciendæ sunt vultibus ad se invicem conversis: aliæ vero duæ Inclinationes fiunt versus Altare.

5. Profunda Inclinationo faciendâ est in Divino Officio, ad *Pater noster*, *Ave Maria*, & *Credo*, quandocunque dicuntur, sive ante incæptionem Horarum, sive ante Lectiones, aut Confiteor, sive post *Kyrie eleyson*, sive in fine Horarum. Item ad omne *Gloria Patri*, usque ad *Spiritus Sancto* inclusive. Ante Lectiones Nocturnorum ad omnes Absolutiones, & Benedictiones. Item ad Benedictiones in fine Primæ, & initio Completorii. Item, quando Lector, seu Acolythus dicit: *Tu autem Domine miserere nobis*. In hymno *Te Deum*, ad triplex *Sanctus*, & ad illa verba: *Non horruiisti Virginis uterum*. In Laudibus in Psalmo: *Deus misereatur*, ad ultimum versum: *Benedicat nos Deus &c.* In Cantico *Benedicite*, ad penultimum versum: *Benedicamus Patrem*,

& *Filium &c.* In Canticum *Benedictus*, ad penultimum versum: *Per viscera misericordiae Dei &c.* Ad Primam in Psalmo: *Beati immaculati*, ad illa verba: *Benedictus es Domine.* In Symbolo S. ATHANASII ad illa verba: *Ut unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in unitate veneremur.* Item ad illa: *Et unitas in Trinitate, & Trinitas in unitate veneranda sit.* Item ad: *Christe Fili Dei vivi, miserere nobis.* In Vesperis in Psalmo: *Confitebor*, ad illa verba: *Sanctum, & terribile Nomen ejus.* In Psalmo: *Laudate pueri*, ad illa verba: *Sit Nomen Domini benedictum.* In Canticum: *Magnificat*, ad ea verba: *Et Sanctum Nomen ejus.* Et sic ad similia verba in aliis Psalmis, ut in Psalmo: *Deus judicium tuum Regi da*, ad ea verba: *Sit Nomen ejus benedictum.* Et illa: *Benedictum Nomen Majestatis ejus in æternum.*

6. Eadem Profunda Inclinationo faciendâ est in Prima ad primam Stropham hymni: *Jam lucis orto sidere*: & ad primam Stropham hymni ad Tertiam: *Nunc Sancte nobis, Spiritus &c.* Item ad primam Stropham hymni in Completorio: *Te lucis ante terminum &c.* Similiter ad omnes ultimas Hymnorum Strophas: *Deo Patri sit Gloria &c.* *Praesta Pater piissime*: & alias.

7. Eadem Profunda Inclinationo faciendâ est in Divino Officio ad Confessionem in Prima, & Completorio. Item ad omnes primas Collectas, seu Orationes per omnes Horas; & ad Orationes post Antiphonas finales B. M. V. dum hæc stando dicuntur. Quando vero in Laudibus, & Vesperis plures dicuntur Orationes, seu Commemorationes, ad secundam, & reliquas Orationes stant erecti versa facie ad Altare, & ad ultimæ Orationis conclusionem fit profunda Inclinationo.

8. In Missa cantata faciendâ est profunda Inclinationo ab existentibus in Choro, quando celebrans intonat: *Gloria in excelsis Deo.* Item: *Credo in unum Deum.* Ad omnes primas Collectas, & conclusionem ultimæ Collectæ. Similiter  
ad

ad Orationem: *A cunctis*, usque ad illa verba: *Et B. Francisco, & omnibus Sanctis*, inclusive. Tandem ad primam Orationem post Communionem, & conclusionem ultimæ Orationis.

9. Inclination media, quæ fit profunda capitis, & mediocri humerorum inclinatione, facienda est ab iis, qui in Choro cantant Missam, in hymno Angelico: *Gloria in excelsis*, & ad illa verba: *Adoramus te; gratias agimus tibi: Suscipe deprecationem nostram, JESU Christe*. Et in Credo ad illa verba: *Qui cum Patre, & Filio simul adoratur*. Similiter quodcumque nominatur: *Deus tremendus; O Beata Trinitas: Sancta Trinitas unus Deus &c.* in Psalmis, Lectionibus, Antiphonis, & Litanis. Item ad quamlibet nominationem Sanctissimorum Nominum JESUS, & MARIA, sive in Hymnis, ut: *JESU, Redemptor omnium. JESU, Corona Virginum &c.* sive in Antiphonis, sive in Orationibus, aut Litanis. Et (ut expresse præscribit antiquum ordinarium), quando nominatur Beatissimus Pater noster Sanctus FRANCISCUS. Tandem hæc media inclinatio semper facienda est Cruci tam intrando, quam exeundo Refectorium.

10. Tandem infima Inclination, quæ fit capitis profunda, & humerorum modica inclinatione, facienda est in prolatione Nominum aliorum Sanctorum, & Sanctarum: Beatorum, ac Beatarum, de quibus fit aliqua specialis commemoratio, tam in versu: *Ora pro nobis Beate &c.* quam in Antiphonis, & Orationibus.

## CAPUT VI.

DE

### GENUFLEXIONIBUS.

I. **G**enuflectendum est primo ab omnibus utroque genu in Invitatorio ad illa verba: *Venite, adoremus, & pro- cidamus ante Deum, ploremus coram Domino, qui fecit nos;*

præter Acolythos, qui id stando dicunt, & postea, quando Chorus repetit Invitatorium, ipsi genuflectunt utroque genu.

2. Lector Nocturnorum, quando post primam, & secundam Lectionem dicit, vel cantat: *Tu autem Domine miserere nobis*, caput profunde inclinare debet; post tertiam vero Lectionem genuflectere debet uno genu, & statim surgit, & discedit a pulpito; quod idem servandum post Lectiones secundi, & tertii Nocturni.

3. In hymno *Te Deum* ab omnibus genuflectendum est utroque genu ad illum versum: *Te ergo quæsumus, tuis famulis subveni* &c.

4. Utroque genu pariter ab omnibus genuflectendum est ad preces feriales tam in Matutino, quam in aliis Horis, quæ post Kyrie eleyson dicuntur in omnibus Feriis Adventus, Quadragesimæ, Quatuor Temporum, ac Vigiliarum, quando Officium fit de Feria. Et ut præscribunt Rubricæ generales Breviarii, Titulo XXXIV. De Precibus, Num. 4. Dicuntur *Preces flexis genibus ab Hebdomadario*, usque ad versum: *Dominus vobiscum*, ante primam Orationem; a circumstantibus autem, usque ad versum: *Benedicamus Domino*, post ultimam Orationem.

5. In hymno de Nativitate Domini: *JESU Redemptor omnium*, genuflectendum est utroque genu ad totam sextam Stropham: *Et nos beata, quos Sacri rigavit* &c.

6. In hymno: *Veni Creator Spiritus*, ad totam primam Stropham.

7. In hymno: *Vexilla Regis prodeunt*, ad totam illam Stropham: *O Crux ave spes unica*.

8. In hymno: *Pange lingua*, ad totam illam Stropham: *Tantum ergo Sacramentum*.

9. In hymno: *Verbum supernum prodiens*, ad totam illam Stropham: *O salutaris Hostia*.

10. In hymno: *Ave maris Stella*, ad totam primam Stropham. Ad illam vero Stropham; *Monstra te esse Matrem*, profunda inclinatio facienda est. Ubi notandum, quod ad Hymnos: *Veni Creator Spiritus*, & *Ave maris Stella*, omnes statim a principio flectere debent, præter Cantores, qui stando intonare debent primum versum, & deinde statim genuflectunt cum aliis usque ad finem quarti versus.

11. Genuflectendum quoque est ad Antiphonas finales B. M. V. *Alma Redemptoris Mater: Ave Regina celorum: Salve Regina* exceptis diebus Dominicis, incipiendo a primis Vesperis, quibus diebus dicuntur stando.

12. In Officio Defunctorum utroque genu flectendum est ad preces, & collectas, surgente tamen solo Hebdomadario ad Collectas.

13. Tempore Missæ cantatæ in Choro omnes genuflectere debent utroque genu, quando a Diacono, vel a Celebrante si solus celebret, cantatur: *Flectamus genua*. Item, quando in Epistola a Subdiacono, vel a Celebrante cantantur illa verba: *In Nomine JESU omne genu flectatur*. Item, in Passionibus Domini ad illa verba: *Inclinato capite emisit Spiritum*, vel *expiravit &c.*, & tam diu genuflectendum, quousque Cantor pausat. Item in Missa de Spiritu Sancto, quando post decantatam Epistolam, in Choro cantatur versus: *Veni Sancte Spiritus &c.* usque ad finem genuflectitur. Similiter in Quadragesima ad versum: *Adjuva nos Deus salutaris noster &c.*

14 Genuflectendum est utroque genu ad Evangelium, quando in tertia Missa Nativitatis Domini cantantur illa verba: *Et Verbum Caro factum est*. Quando vero dicta verba proferuntur tempore Nativitatis Domini in Refectorio ad benedictionem mensæ, omnes genuflectere debent unico genu. Sicut etiam, quando proferuntur in Missa in ultimo Evangelio, omnes adstantes unico genu genuflectunt. Dum autem proferuntur in Responsoriis, caput tantum profunde incli-

inclinandum est. Quod similiter observandum est in Epiphania Domini, & per Octavam ad illa verba: *Et procidentes adoraverunt eum.*

15. Quando Chorus cantat Symbolum, seu Credo, ad illa verba: *Et incarnatus est*, usque ad: *Resurrexit*, omnes genuflectunt.

16. Demum, quando ante Elevationem datur signum pulsu campanulæ pro ea, omnes genuflectunt, & permanent genuflexi, quousque Celebrans non incipiat: *Pater noster.*

17. In Missis cantatis de Requiem, & de Feria omnes genuflectere debent etiam ad omnes Orationes tam primas, quam post Communionem.

18. Omnia supra dicta, sicuti etiam inferius dicenda, ut exacte observentur, primo quidem incumbit Patribus, Magistris, Noviciorum, ut Novicios bene instruant, & observare faciant: Non minorem tamen obligationem habent etiam omnes Patres Vicarii, ut procurent, ut ab omnibus tam junioribus, quam aliis exacte omnia observentur.

---



---

# PARS SECUNDA.

DE

## DIVINO OFFICIO IN PARTICULARI, ALIISQUE SPIRITUALIBUS EXERCITIIS TOTIUS DIEI.

---

**U**t aliqua Respublica firma, ac stabilis sit, debent in ea omnia bona dispositione, ac recto ordine fieri; unusquisque officium suum adimpleat, locum designatum teneat, alterum non impediat, præscriptis attendat legibus, necesse est: quod si aliter accidit, omni est, eam esse ruinæ proximam, ac brevi funditus interituram. Simili modo de Statu Religionis discurrendum est. Unde, ut omnia ordinate fiant, in quolibet Conventu qualibet Feria sexta Pater Vicarius scribet Tabulam Officiorum, & Officialium pro sequenti Hebdomada, quam ad Collationem, vel sequenti die ad prandium clara voce leget Lector mensæ.

### CAPUT I.

DE

#### MATUTINO.

1. **H**ora media duodecima (prout novissime ordinatum fuit in Congregatione intermedia Socali 12 Maji 1771. celebrata) Frater vigilans honeste indutus habitu Religionis, incipiat excitare Fratres, strepitum faciendo per curritoria

D

cre-

crepitaculo sonorofo, seu tabula lignea, ad hoc antiquitus haberi, & servari solita, & ad cuiuslibet Cellam accedens, modeste, non vero cum impetu prædicto crepitaculo tanget Cellæ januam, clara voce dicendo: *Ave MARIA*, quousque excitetur Frater, qui excitatus respondeat: *JESUS, MARIA*, cui Frater vigilans subjunget: *Surge, qui dormis, & illuminabit te Christus*; & interrogabit, an velit accendere lumen. Frater vero sine mora surgat, & dicat cum Divina Spōsa: *Surgam, quæram, quem diliget anima mea*. Et mente revolvat verba illa monitoria, tanquam sibi dicta Threnor. 2, v. 19 *Surge, lauda in nocte, in principio vigiliarum, effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini; leva ad eum manus tuas*. Et se honeste, ac religiose vestiat, deinde ad Ecclesiam properet, meditando, & faciendo ea, quæ dicta sunt supra Parte I. Cap. II.

2. Frater vigilans in Conventibus præsertim majoribus, ubi multi Fratres sunt excitandi, imprimis excitabit unum, vel duos Fratres Laicos, prout nempe una, vel duabus campanis pulsandum fuerit pro Matutino; qui statim surgentes, incipient primum pulsus, dum adhuc Frater vigilans reliquos Fratres excitat. De pulsu autem pro Matutino sequentia sunt notanda.

3. Quandocunque Officium est duplex, tunc semper pro Matutino, sicut etiam pro Vesperis tribus vicibus pulsari debet cum debitis intervallis a pulsu ad pulsus; longior tamen debet esse pulsus primus, & alii breviores. Et quidem in duplici minori, prima, & secunda vice pulsandum est solum una campana, nempe mediocri: Tertius vero pulsus fieri debet duabus campanis, nempe eadem mediocri, & minima. In duplici majori, omnibus tribus vicibus pulsandum est duabus campanis, nempe mediocri, & minima (& sermo est in suppositione, quod dentur tres campanæ). In Festis primæ, & secundæ classis pariter omnibus tribus vicibus pulsandum est pluribus campanis, nempe duabus, tribus,

bus, aut omnibus pro ratione Solemnitatis, & numero campanarum; nec in hoc assignari potest certus modus pro omnibus Conventibus, cum in aliquibus habeantur campanæ quinque, in aliis pauciores, & alicubi solum duæ.

4. Diebus Semiduplicibus pulsari debet pro Matutino, & pro Vesperis duabus vicibus, nempe prima vice campana mediocri; secunda vice eadem mediocri, & minima. Diebus tamen Dominicis, si Officium fiat de ea, duabus vicibus quoque pulsandum est, sed prima vice majori, quam sit mediocri, & secunda vice tali majori, & mediocri. Si vero in Dominica occurrat Festum duplex, sicut etiam in Festis duplicibus festivis ad Populum ter pulsandum est, prima, & secunda vice majori, quam sit mediocri; tertia vice eadem majori, & mediocri.

5. Tandem, quando Officium sit de Feria, pulsandum est duabus vicibus una, & eadem campana mediocri, supposito quod habeantur campanæ tres.

6. Fratres excitari statim surgant, non expectando finem primi pulsus, vel secundum pulsus, quia tales tepidi facile in sua pigritia iterum indormient, & laudes Divinas negligent; ad Ecclesiam properent, corda sua præparaturi Deo, juxta dicta Part. I. Cap. II. nam quo major fuerit præmissa præparatio, eo majori fervore, & devotione, ac fructu Divinæ Laudes persolventur.

7. Primi in Choro adesse debent Acolythy, qui adorato Augustissimo Altaris Sacramento, se conferent ante majus pulpitem, & primus Acolythus Psalterium super pulpitem exponet. In omni autem librorum expositione super pulpitem sequentia exacte observare debet. *Primo*: Utraque manu ex armario eosdem assumet, idque per medium, non per extremitates, seu cornua librorum, ne incaute onere frangantur. *Secundo*: Paulatim, sensimque, non cum impetu, aut fragore libros pulpito superimponat. *Tertio*: Ambabus manibus aperiat clausuras libri, sinistra manu li-

brum prope clausuram tenendo, dextra vero ipsam clausuram referando, priusque superiorem, postea inferiorem clausuram aperiat. *Quarto*: Dextram manum linteolo mundo, dum tractat libros, involvat; imo nunquam nuda manu folia libri, præsertim pergamenum, tangat: idcirco linteola semper pendeant de pulpito explicata, quamdiu liber est apertus; sed servatis libris, complicantur, & ex pulpito dependeant in quatuor angulis complicata. *Quinto*: Aperiendo libros animadvertat, ut semper per medium aperiat, nunquam vero unam partem cum aliquot solum foliis. *Sexto*: Sic apertum librum per medium, ita, ut sint fere tot folia in una parte, quot in alia, eundem librum apte accommodet, ut extremitates libri pulpiti extremitatibus æqualiter cor respondeant. *Ultimo*: Tandem juxta registra, & signacula pridie imposita ad prompte inventendos Hymnos, & Psalmos, folia libri vertat stylo ligneo, seu graphio, non vero digitis manuum. (Et hæc observanda sunt in omni expositione librorum super pulpitem). Libro ut supra disposito, Acolythus in suo loco genuflectat, & præparationem pro persolvendo Officio Divino faciat, prout dictum est superius Parte I. Cap. II. Num. 5 & 6.

8. Secundus vero Acolythus apponat majorem lucernam cum candelis ante majus pulpitem, appendat autem eam ad illud ferramentum pulpiti, non cum strepitu, & stridore, sed leniter, tenuique sonitu. Candelas in lucerna æqualiter, ac separatim disponat, ne una ab alterius calore soluta defluat, & invicem se urentes se se corrumpant. Quas candelas, quando tenebescunt, & obscurius lucent, corrigat, dum ultimus versus Psalmi ante Gloria Patri finitur. Disposita lucerna ante pulpitem, portabit parvum scamnum ante majus pulpitem, in quo tempore Lectionum sedebunt uterque Acolythus.

9. Lector Nocturnorum parvum pulpitem statuatur in medio Chori ante stallas Cantorum, ita, ut legendo Lectiones

nes ab omnibus bene audiri possit, & Breviarium super illud exponat; qui Lector Nocturnorum, seu Thuriferarius postmodum, quando Hebdomadarius dabit signum pro ultimo pulsu, accendat candelas Altaris: circa quod observabit, quod, quando Officium est feriale, vel semiduplex, accendet unam candelam, ponendo eam in medio Altaris. In Festo duplici minori, aut majori accendet Altaris candelas duas. In Festo secundæ classis quatuor. Et in Festo primæ classis sex.

10. Post finitum secundum pulsum, & debito intervallo interposito, ita, ut Matutinum incipiatur immediate ante duodecimam media nocte, Pater Hebdomadarius dabit signum pro tertio pulsu (si sit Festum duplex) & expectato saltem per unum Pater noster, dabit signum pro incæptione Divini Officii. In multis locis ante quamlibet incæptionem Divini Officii in Choro, omnibus genuflexis, primus Acolythus voce clara, & devota dicit Orationem: *Aperi Domine os meum &c.* quam alii submissa voce devote quoque dicunt; qua finita omnes surgunt, & inclinati inclinatione maxima secreto dicunt: Pater noster &c.

11. Dictis Pater noster, Ave Maria, & Credo, Pater Hebdomadarius iterum dat signum leniter percutiendo manu stallum, & omnes se erigunt ab inclinatione, vultus suos vertendo ad Altare; & Hebdomadarius alta voce dicit: *Domine labia mea aperies*, quæ verba dum dicuntur, omnes pollice dextro signo Crucis signent os suum. Deinde, dum Hebdomadarius prosequitur: *Deus in adjutorium me intende*, omnes se signant signo Crucis a fronte ad pectus, & a sinistro humero ad dextrum. Observabit autem Pater Hebdomadarius, quod ante quamlibet in Choro Divini Officii incæptionem, antequam dicat: *Domine labia mea &c.* vel: *Deus in adjutorium &c.* Præ lato, si est præsens, scilicet A. R. P. Ministro, aut P. Guardiano inclinationem capitis in signum reverentiæ facere debet.

12. Quo ad formandam Crucem in incantatione Divini Officii cujuslibet Horæ Canonice ad illa verba: *Deus in adiutorium* &c. observandum est, quod se signans debeat ponere manum sinistram infra pectus supra cingulum, & vertendo ad se palmam manus dextræ, omnibus illius digitis junctis, & extensis, dum dicitur *Deus*, tangat materialiter, & physice (& non solum moraliter in aëre), frontem tribus mediis digitis. Dum dicitur: *in adiutorium*, simili modo tangat pectus. Dum dicitur: *meum*, tangat humerum sinistrum. Et dum dicitur: *intende*, tangat humerum dextrum. Unde omnino redarguendi sunt illi, qui quasi ex supina pigritia vix solam manum, aut digitos movent, quasi muscas abigentes, in formanda Cruce; quod, ut a nemine fiat, sed ut omnes debito modo Cruce se signent, Patribus Vicariis invigilandum erit.

13. Finito versu: *Gloria Patri*, ambo Acolythi simul dicent Invitatorium, & Psalmum: *Venite, exultemus*; in solo Feriali Officio solus primus Acolythus ea dicet. Deinde finito Hymno primus Acolythus dicet primam Antiphonam, & quidem integram, si Officium est duplex, vel solum initium Antiphonæ, si Officium est semiduplex, aut feriale: post Psalmum vero semper integram repetet. Secundam Antiphonam ante secundum Psalmum simili modo dicet secundus Acolythus; & tertiam iterum primus: Versum vero ambo Acolythi simul dicent, excepto Officio Feriali, in quo versum dicet solus primus Acolythus. In secundo Nocturno primam Antiphonam dicet, eo modo ut supra, secundus Acolythus; secundam primus, & tertiam Acolythus secundus; versum vero ambo ut supra: & in Officio Feriali eum dicet Acolythus secundus. In tertio Nocturno omnia dicuntur ut in primo.

14. Dicto versu ab Acolythis, & responso a Choro, Pater Hebdomadarius clara voce dicit: *Pater noster*, reliquum ab omnibus dicitur secreto, usque ad versum: *Et nos*

*nos inducas &c.* quem iterum clara voce profert Hebdomadarius. Unde hic pro regula generali notanda est sequens Rubrica generalis Breviarii Titulo XXXII. De Oratione Dominica Num. 2. *Quando in fine Orationis Dominicæ proferendum est clara voce: Et ne nos inducas; semper in principio eadem voce proferuntur hæc duo verba: Pater noster, ut in Precibus, & similibus; alias nunquam proferuntur, sed dicitur totum secreto. Ad Laudes verò, & Vesperas, quando in Feriali Officio dicuntur preces, totum dicitur clara voce ab Hebdomadario.*

15. Responso a Choro: *Sed libera nos a malo.* Hebdomadarius eadem voce clara pronuntiabit Absolutionem, & Benedictiones dabit; omnes autem Absolutiones, & Benedictiones dabit non sedendo, sed semper stando, & aperto capite. Et quando in aliquibus Solemnitatibus cantantur Lectiones, etiam Absolutiones cantabuntur, & terminabuntur in tono Capitulorum, Benedictiones vero in tono Lectionum.

16. Ad finem ultimi Psalmi primi, & tertii Nocturni secundus Acolythus; ad finem vero ultimi Psalmi secundi Nocturni primus Acolythus accendat candelam in minori lucerna, & eam ponat super parvum scamnum suum, quam lucernam Lector Nocturnorum dextra manu accipiat, aperturam illius ad se convertat, & accedat ad pulpitem lectionum, & dicta Absolutione a Patre Hebdomadario, Lector aliquantum se convertens ad Hebdomadarium, & inclinatus, dicat: *Jube Domine benedicere*, quod servatur etiam ante omnes sequentes Lectiones; & dum Pater Hebdomadarius profert Absolutiones, & Benedictiones omnes in Choro se inclinare debent. Deinde Lector lucernam ad librum convertat, eamque caute teneat, ne librum polluat, caveatque, ne lumine Fratrum circa sedentium oculos offendant; quod ne contingat, videat, ut lucernam per medium sic moderetur, ne lumen hac, vel illac elabatur, emicetque, sed ut  
totum

totum in ipsum librum effundatur. Lectiones jam ante bene prævisas, & in præcedenti refectione ad mensam in Refectorio lectas, distincte, clara, & alta voce legat, ut omnes ex integro audiant, & intelligant, alias ipsi Lectori imputabitur, si totus Chorus integre Officium non persolverit. Claudet autem plane legendo Lectiones, placida, leniorique ultimæ dictionis in tono accentus pronuntiatione. Lectiones tertii Nocturni leget Pater Hebdomadarius; quod si ejus loco legat Pater Superior, aut alius Prælati, tunc Fratres tempore illarum Lectionum non sedent, sed stant in signum reverentiæ erga Superiorem &c.

17. Responsorium primi, & tertii Nocturni dicit primus Acolythus, versus vero secundus, & postea primus repetit partem Responsorii. Secundi Nocturni Responsorium dicit secundus Acolythus, & primus dicit versus, ac secundus repetit partem Responsorii. Hic vero observandum est, quod in quibusdam Responsoriiis sit duplex repetitio, una post versum incipiendo a remotiori asterico; altera post *Gloria Patri*, & hæc fit a viciniore asterico. Igitur, quando duobus astericis est divisum Responsorium, prima repetitio, juxta mentem GAVANTI, & MERATI Sect. V. Cap. XIII. Num. 5. & aliorum communiter, debet fieri a primo asterico usque ad versum, non vero usque ad secundum astericum tantum: Secunda vero repetitio, quæ fit post *Gloria Patri*, debet esse brevior, & comprehendit solum illa verba, quæ habentur post secundum astericum, v. g. in Responsorio Octavo Dominicarum infra annum, post versum repetuntur hæc omnia verba: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth \* Plena est omnis terra gloria ejus.* Deinde, post *Gloria Patri*, repetuntur iterum hæc tantum verba: *Plena est omnis terra gloria ejus.* Et ita fit in omnibus similibus Responsoriiis, ut in Festo Nativitatis B. M. V. in sexto, & octavo Responsorio. Excipiuntur Responsorium prima, Dominicæ primæ Adventus, Nativitatis Domini, & Paschatis, in quibus post  
*Gloria*

*Gloria Patri*, repetitur totum Responsorium a principio usque ad versum: Quod similiter fit in Officio Defunctorum in nono R. *Libera me* &c.

18. Circa finem ultimæ lectionis, quando non est dicendum nonum Responsorium, sed *Te Deum laudamus*, ambo Acolythi accedent ad Hebdomadarium, & stabunt hinc inde ante illius pulpitem, & responso a Choro post Lectionem: *Deo gratias*, diebus in Statutis Provinciæ p. 90. Num. 6. præscriptis, ambo simul intonabunt: *Te Deum laudamus*. Deinde secundus Acolythus accipiet suam lucernam, primus vero pulpitem, & ea reportabunt ad sua loca, & iterum regredientur ad pristinum locum, ubi postea ambo intonabunt: *Per singulos dies*. Hic adhuc observandum, ut quando ob aliquam rationabilem causam, v. g. per Octavam Corporis Christi, Matutinum pridie de Vesperi absolvitur, tunc in Hymno: *Te Deum*, in illo versu: *Dignare Domine die isto sine peccato nos custodire*, non debent mutari illa verba: *die isto*, in illa alia: *nocte ista*, sed debent dici illa: *die isto*, quia Matutinum recitatur pro die sequenti, non quidem artificiali, sed toto naturali.

19. Ad incæptionem Hymni: *Te Deum laudamus*, Fratres Laici pulsabunt tot, & illas campanas, quot, & quibus pulsatum fuit ultima vice pro Matutino: durabit vero pulsus, usque ad: *pleni sunt cæli*, nempe usque post trinum *Sanctus* integre decantatum; quando vero Hymnus dicitur plane, pulsus diutius protrahi debet proportionaliter ad pulsus Hymni cantati. Si autem non dicatur Hymnus: *Te Deum*, sed nonum Responsorium, tunc pulsus incipiat finita ultima Lectione, & durabit proportionato tempore, ut supra.

## CAPUT II.

DE

## LAUDIBUS.

1. Finito Hymno: *Te Deum*, vel nono Responsorio, P. Hebdomadarius statim incipit cum signo Crucis, ut supra: *Deus in adjutorium* &c. & finito *Gloria Patri*, primus Acolythus dicit primam Antiphonam ritu duplici, vel semiduplici; secundus Acolythus secundam Antiphonam; tertiam iterum primus Acolythus, & sic ulterius alternatim. Circa finem ultimi Psalmi, secundus Acolythus accendat in parva lucerna candelam, & eam portet P. Hebdomadario pro dicendo Capitulo. Finito Hymno ambo Acolythi dicant versum (nisi fuerit de Feria) Antiphonam vero ad Benedictus dicit ante, & post Canticum primus Acolythus.

2. Repetita Antiphona post Benedictus, P. Hebdomadarius dicit: *Dominus vobiscum*, deinde *oremus*, & Orationem convenientem. Quod si faciendæ sint Commemorationes, Acolythus primus dicit Antiphonam convenientem, & P. Hebdomadarius dicit versum, ac responso a Choro, Hebdomadarius ante quamlibet Orationem prius dicit: *Oremus*, & solum primam, & ultimam Orationem concludit more solito. Hic generaliter observandum, quod versus *Dominus vobiscum*, non debet dici ab eo, qui non est saltem in Ordine Diaconatus, nec a Diacono præsentem Sacerdote, nisi de illius licentia: Si quis autem ad Diaconatus Ordinem non pervenerit, ejus loco dicat: *Domine exaudi Orationem meam. R. Et clamor meus ad te veniat.*

3. Quando in Officio Feriali dicendæ sunt preces, istæ dici debent ante Orationem, nempe immediate post repetitam ab Acolytho Antiphonam ad Benedictus, P. Hebdomadarius tono aliquantulum humiliori, & pressiori voce dicit: *Kyrie eleyson*, & statim omnes genuflectunt, ut dictum est

est supra Parte I. Cap. VI. Num. 4. Deinde Hebdomadarius ad versum *Dominus vobiscum*, ante primam Orationem surgit, elevando etiam vocem: Circumstantes vero surgunt ad versum: *Benedicamus Domino*, post ultimam Orationem, si immediate sit dicendum Officium Defunctorum, aut Psalmi pœnitentiales, vel alia Hora, ut contingit in Horis diurnis: quando vero terminandum est Officium, manent genuflexi usque ad finem Officii.

4. Commemorationes communes, seu Suffragia de Sanctis, quæ habentur in Psalterio post Vesperas Sabbati, illis diebus, quibus sunt dicenda, dici debent post omnes alias Commemorationes speciales illa die occurrentes, ut Festi simplicis, Feriæ, Vigiliæ, aut Quatuor Temporum. Antiphonas dicit totus Chorus, Versus vero, & Orationes, præponendo ante quamlibet Orationem *Oremus*, dicit P. Hebdomadarius. Dicta Suffragia ordinarie incipiunt a Commemoratione de B. M. V. *Sancta Maria succurre miseris*. In illis tamen locis ubi Titulus Ecclesiæ est SSS. Trinitas, Spiritus S., Corpus Christi, Inventio vel Exaltatio S. Crucis, Commemoratio talis Tituli fieri debet ante Commemorationem de B. M. V. Ubi vero Titularis est Angelus, vel S. Joannes Baptista, & juxta recens Decretum BENEDECTI XIII. etiam S. Josephus Sponsus B. M. V. Commemoratio talis Titularis anteponi debet Commemorationi SS. Apostolorum Petri & Pauli. Quando Officium sit de Feria, tunc ante omnes alias Commemorationes, etiam ante Commemorationem de Titulo SSS. Trinitatis, Spiritus S., Corporis Christi, debet fieri Commemoratio de Cruce: rationem dat GAVANTUS, & cum eo MERATI Sectio V. cap. 18. n. 4. quia in Officio Feriali Commemoratio de Cruce spectat ad ipsum Officium de Feria. Pro Ecclesiis dicatis S. Cruci, sive Inventionis, sive Exaltationis ejusdem, habetur sequens Decretum: *Si in communibus Sanctorum Suffragiis facienda sit Commemoratio de Cruce, tanquam de Titulo Ecclesiæ, suscipit ea ordinaria, quæ*  
E 2
habetur.

habetur in Psalterio, quando scilicet Officium currit Feriale. S. R. C. 30 Mart. 1621. Pro Ecclesiis vero dicatis B. M. V. habentur sequentia Decreta: In Ecclesiis Beatæ Mariæ sub quocunque Titulo dicatis, in Feriali Officio debet fieri Commemoratio de eadem Sancta Maria, tanquam de Titulari, etiamsi ejusdem Officium parvum in Choro fuerit recitatum. S. R. C. 23 April. 1695. Pro Suffragio Beatæ Mariæ in Ecclesiis eadem dicatis sub quocunque Titulo, sive Assumptionis, sive Conceptionis &c. sufficit consueta Antiphona, Sancta Maria succurre miseris &c. S. R. C. 23 Apr. 1695.

5. Post ultimam Orationem dicto versu: *Fidelium animæ &c.*, & secreto *Pater noster*, P. Hebdomadarius dicit versum; *Dominus det nobis suam pacem*; & Chorus respondet: *Et vitam æternam, Amen.* Deinde statim totus Chorus dicit Antiphonam finalem B. M. V. pro tempore designatam, & Hebdomadarius subjungit versum & Orationem. Postea in fine addit: *Divinum auxilium maneat semper nobiscum. &c. Amen.* Ultimo totus Chorus semper genuflexus, & inclinatus dicit Orationem *Sacrofanctæ*, addendo secreto *Pater noster*, & *Ave Maria*. Postmodum P. Hebdomadarius dat signum manu, & omnes expansis brachiis dicunt secreto quinque *Pater*, & *Ave*, & unum *Credo* pro Benefactoribus vivis, & defunctis. Postea Chorus alternatim recitat Psalm. *De Profundis*, cum *Pater noster*, versibus & Oratione: *Fidelium*, addendo secreto *Pater noster*, & *Ave Maria*. His finitis primus Acolythus dat signum, digito pulsando, dicens: *Benedicite*, & similiter omnes in Choro dicunt: *Benedicite*. Benedictionem dat Pater Superior, & in ejus absentia P. Vicarius. Et responso a Choro: *Amen*, aliquis Frater Laicus pulsat ter campanam majorem ex illis, quibus pulsatum fuit pro Matutino, & omnes dicunt: *Angelus Domini*, & tempore Paschali: *Regina cæli*.

6. Finita Oratione *Sacrofanctæ*, Fr. Thuriferarius, seu Lector Nocturnorum, si non adsit Fr. Laicus, qui id faciat,

faciat, extinguit candelas Altaris: primus Acolythus servabit Psalterium, & eodem modo de pulpito deponet, quo apposuit, & quomodo aperuit, claudet; nempe prius folia ita distribuatur, ut sint fere tot ex una parte, quam ex altera, nunquam vero, ut ex una parte sint solum aliquot folia, quia sic totus liber in brevi destruitur; deinde prius claudat inferiorem clausuram, postea superiorem, & accipiendo librum ambabus manibus per medium, non vero per extremitates, seu cornua, caute de pulpito deponat, & in illius armario reponat. Secundus vero Acolythus recipiat minorem lucernam ab Hebdomadario, deinde majorem lucernam ex ferramento pulpiti leniter sine strepitu & stridore deponat, ac in loco occulto reponat. Ultimo exeuntibus Fratribus ex Choro, & ex Ecclesia, lumine minoris lucernæ luceat. In exitu ex Ecclesia ante fontem aquæ benedictæ omnes se sistant, primus Acolythus aspersorium cum aqua benedicta P. Superiori, in ejus absentia P. Vicario cum osculo manus porrigat, qui omnes aqua benedicta aspergat: Tandem omnes vel ad Refectorium tempore Hyemis pro dicendo Officio parvo B. M. V. vel alio tempore quilibet ad suam cellam in silentio se conferat.

7. Hic adhuc observandum venit Statutum totius Definitorii in Congregatione Intermedia 12 Maji 1771. ut in Conventibus Particularibus, ubi Matutinum non absolvitur media nocte, pro illo absolvendo excitandum semper esse de mane hora quinta. Et hoc conformiter ad Statuta Generalia Toletana anni 1633. & Romana anni 1642. Quæ Statuta serio præcipiunt: *Si Matutinum ob aliquam necessariam causam, Definitorio probatam, media nocte recitari non possit, summo mane recitetur, non post Vesperas, vel Completorium.*

## CAPUT III.

DE

## OFFICIO PARVO B. V. MARIÆ.

1. **D**e Officio parvo B. V. Mariæ notandum est, quod a prima fundatione, & erectione Provinciæ nostræ sub Titulo, & Protectione B. V. Mariæ Immaculatæ Conceptæ, ordinatum fuerit, ut ad implorandum huic nostræ Provinciæ Patrocinium, & Protectionem Immaculatæ Conceptæ Virginis & Matris Mariæ, qualibet die Fratres Laici cantarent Horulas polonicas de Immaculata Conceptione B. V. M. Fratres vero Clerici, Sacerdotes juniores, & Patres Confessarii, aliquo alio labore non impediti, omni pariter die in honorem ejusdem B. M. V. recitarent Officium parvum B. M. V. quod etiam strenue observatum fuit, & semper recitatum fuit omnibus diebus totius anni, exceptis solis tribus ultimis diebus majoris Hebdomadæ, usque ad annum circiter 1744. quo tempore subintroierunt quidam Anti-Rubricantistæ, qui persuadebant Officium parvum omittendum esse in omnibus Festivitatibus B. V. Mariæ (cum tamen B. Virgo nunquam magis laudanda, & colenda sit, quam diebus illius Honori, & Cultui dicatis) Successu temporis etiam incæperunt illud omittere per majorem Hebdomadam, per Octavas Paschæ, & Pentecostes: tandem in aliis Conventibus, etiam aliis, & aliis diebus. Et quidem pro hac omissione ineptissime recurrebant ad Rubricam præpositam in Breviario Officio parvo B. M. V. dicentes per talem Rubricam prohiberi recitatio Officii parvi B. M. V. diebus ibidem expressis. Ast omnibus aliquo saltem versatis in intellectu Rubricarum, manifestum est, hujusmodi Anti-Rubricantistas, & osiores Officii parvi B. M. V. vel absolute non intelligere id, quod legunt, vel ex sola quadam aversione velle impedire in nostra Provincia Sanctam, antiquam,

&amp;

& laudabilem consuetudinem recitandi quotidie Officium parvum.

2. Rubrica prædicta sic sonat: *Officium parvum B. M. non dicitur, quando fit Officium IX. Læctionum, nec in Vigilia Nativitatis Domini, nec in Feriis majoris Hebdomadæ, nec infra Octav. Paschæ, & Pentecostes, nec in Sabbatis, quando fit Officium de Sancta Maria. Quibus diebus omittitur a primis Vesperis, & in Vigilia Nativitatis a Matutino. Cum dicitur in Choro, in Matutinis & Vesperis præponitur Officio diei, in aliis Horis postponitur. Prima dicitur post Benedicamus Domino, antequam legatur Martyrologium. Extra Chorum potest dici pro temporis oportunitate.*

3. Juxta hanc Rubricam apud nos in hac Provincia Officium parvum B. M. V. per totum annum non debet dici, nisi sola Feria IV. Cinerum, & dum aliquando in Quadragesima ob Defectum Festorum Officium fit de Feria (pro ut etiam defacto aliis diebus non dicitur apud nos in Choro conjunctim cum Divino Officio, in quo sensu intelligenda quoque est Rubrica) dicit enim Rubrica: *Officium parvum B. Mariæ non dicitur, quando fit Officium IX. Læctionum.* Omnia autem Officia duplicia, & semiduplicia sunt Officia novem Læctionum. Deinde esto in Vigilia Nativitatis Domini, in Feriis majoris Hebdomadæ, infra Octavas Paschæ & Pentecostes, similiter quando in Sabbatis fit Officium de Sancta Maria, esto inquam omnia ista Officia sint solum trium Læctionum, adhuc tamen secundum Rubricam omnibus his specificatis diebus Officium parvum B. M. V. non dicitur. Remanet itaque pro eo dicendo apud nos per totum annum sola Feria IV. Cinerum, & quandoque una, & altera dies de Feria in Quadragesima.

4. Quare autem præfati Anti-Rubricancistæ nolunt dicere Officium parvum B. M. V. in Festivitatibus ejusdem B. M. V. si talia Festa veniant aliis diebus per Hebdomadam, & non in Sabbatis, cum tamen præfata Rubrica expresse dicat:

cat: *Nec in Sabbatis, quando fit Officium de Sancta Maria.* Consequens enim videtur esse (in sensu, quo intelligunt Rubricam dicti Anti-Rubricancistæ) quod si aliquod Festum B. M. V. venerit alia die per Hebdomadam, & non die Sabbati, quod tunc semper debeat dici Officium parvum. Pro hoc sicut nullam habent rationem, ita quoque manifestum fit, quod non intelligant id, quod legunt; nempe non intelligunt, quid significant hæc verba: *Nec in Sabbatis, quando fit Officium de Sancta Maria.*

5. Adeoque ut intelligant, legant Rubricas Generales Breviarii, ubi sic præscribitur Tit. VIII. De Officio S. Mariæ in Sabbato: *In omnibus Sabbatis per annum extra Adventum & Quadragesimam, ac nisi Quatuor Tempora, aut Vigiliæ occurrant, vel nisi fieri debeat de Feria propter Officium alicujus Dominicæ aliquando infra Hebdomadam ponendum, ut in Rubrica de Dominicis dictum est, & nisi fiat Officium IX. Lectionum, vel de Octava Paschæ & Pentecostes: semper fit Officium de S. Maria, eo modo, quo fit de Festo Simplici, quemadmodum circa finem Breviarii disponitur.*

6. Quod vero in fine nostri Breviarii nulla habeatur dispositio de tali Officio de S. Maria in Sabbatis, rationem legant in Rubricis Particularibus nostri Breviarii, ubi habetur, pariter Titulo VIII. De Officio S. Mariæ in Sabbato Num. 85. *Hujusmodi Officium omittitur in nostro Ordine, ob cultum eidem Deiparæ ab ipso, in singulis per annum Sabbatis, præstari solitum, medio Officio Immaculatæ Conceptionis, quod juxta dicta sub Tit. de Officio semid. non tanquam simplex, sed sub ritu semiduplici semper recitatur. Cæterum sicut in Sabbatis Adventus, Quadrag. Quatuor Temp. & Vigiliarum præmittitur Officium S. Mariæ in Sabbato, ita in eisdem præmitti debet Offic. Immaculatæ Conceptionis.*

7. Bene insuper attendant, quod eadem Rubrica Particularis nostri Breviarii subjungit num. mox sequenti 86. his verbis: *Ultra Officium prædictum (intellige Immaculatæ Conceptionis)*

ceptionis) addi debet ad honorem ejusdem B. V. in prædicto Mystério, Nocturnum Benedicta nuncupatum, cum Missa singularis Sabbatis &c. Et ecce non obstante, quod Officium Immaculatae Conceptionis sit IX. Lectionum, & quod insuper fiat in Sabbato, ipsa Rubrica Particularis nostri Breviarii præscribit, illis diebus Sabbativis, quibus sit Officium de Immaculata Conceptione B. M. V. addi etiam debere Nocturnum ex Officio parvo B. V. quod Officium parvum nominari consuevit *Benedicta*, desumpta denominatione a prima Antiphona primi Nocturni ejusdem Officii parvi.

8. Sciendum igitur est, quod ante Pium V Summum Pontificem, ultra Divinum Officium, seu Horas Canonicas, uterque Clerus tam Sæcularis, quam Regularis adstrictus fuerit sub præcepto ad quotidianam recitationem Officii parvi B. M. V. & quidem tam in Choro, quam extra Chorum: prout inter alios etiam refert Summus Pontifex Benedictus XIV. in suis sapientissimis Annotationibus ad Officium B. Mariæ in Sabbato, ubi etiam pro tali obligatione eo tempore, adducit quoddam Decretum Concilii Aurelianiensis Anno 1365. sub Urbano V. celebrati.

9. S. Pius V. edito ex Decreto Concilii Tridentini novo Breviario, sustulit, & abolevit omnia alia Breviaria, quæ ex institutione, vel consuetudine legitima non superabant ducentos annos, præcepitque novum Breviarium observari in toto orbe, obligando omnes, qui tenentur Horas Canonicas recitare, ut hoc utantur Breviario, alias non satisfaciant muneri suo, pluraque alia statuit, ut videre est in ejus Bulla, quæ incipit: *Quod a nobis*. Data Romæ septimo Idus Julii 1568.

10. In eadem Bulla S. Pius V. tollit peccati obligationem, quæ erat recitandi Officium parvum B. M. V. & Defunctorum, Psalmos penitentiales, & Graduales, rationem adducit: *Quod vero in Rubricis hujus nostri Officii præscribitur, quibus diebus Officium B. Mariæ semper Virginis, & Defuncto-*

functorum, item septem Psalmos penitenciales, & Graduales dici, ac psalli oporteat, nos propter varia hujus vitæ negotia, multorum occupationibus indulgentes, peccati periculum ab ea præscriptione removendum duximus. Præscribitur autem in Rubrica a S. Pio V. in Breviario posita, ut Officium parvum B. M. V. reciterur in Choro, solum quando Officium fit de Feria, aut de Festo Simplici, seu solum tunc, quando fit Officium trium Lectionum, excludendo omnia Officia novem Lectionum, & etiam Ferias majoris Hebdomadæ, nec non Octavas Paschæ & Pentecostes; ex Festis Simplicibus vero exclusit solum Officium S. Mariæ in Sabbato. Hoc autem videtur factum, quia tempore S. Pii V. paucissima erant Festa novem Lectionum, præsertim temporibus Adventus, Quadragesimæ, & Paschali: imo etiam adhuc tempore Urbani VIII. Anno 1631. quando idem Breviarium de novo recognitum, & correctum fuit, adhuc non multa fuerant Festa novem Lectionum, ut videre est in Tabulis Gavanti, & antiquis Breviariis illius temporis.

11. Nullo autem modo Summus Pontifex per supradicta, & illam Rubricam ante Officium parvum B. M. V. positam, tollit laudabilem & Sanctam (ut ipsemet inquit) consuetudinem, ubi est, recitandi etiam quotidie officium parvum in Choro; imo eandem confirmat: Subdit enim in eadem Bulla citata. *Hoc autem concedimus sine præiudicio Sanctæ consuetudinis illarum Ecclesiarum, in quibus officium parvum B. Mariæ semper Virginis in choro dici consueverat, ita ut in prædictis Ecclesiis servetur ipsa laudabilis, & Sancta consuetudo celebrandi more solito prædictum officium.* Insuper omnes hortantur ab eodem Sancto Pontifice, ut recitent supradicta, propositis ab eo Indulgentiis dierum centum recitantibus officium parvum B. M. V. & Defunctorum: quinquaginta recitantibus Psalmos Pœnitenciales, & Graduales.

12. Si itaque Summus Pontifex S. Pius V. per Rubricam, quam præposuit Officio parvo B. M. V. (ut ipsemet testatur

testatur in citata Bulla:) non sustulit, imo laudavit, & confirmavit Sanctam consuetudinem dicendi prædictum Officium parvum etiam in Choro conjunctim cum Divino Officio, nullo modo potest inferri, quod propter præfatam Rubricam, non debeat dici idem Officium parvum ex consuetudine, & devotione separatim a Divino Officio. Adest etiam in hac materia Decretum Sac. Rit. Congregationis, quæ consultata a Clero Trojano, an propter expressam Rubricam debeat omitti in Choro Officium parvum B. M. V. in semiduplicibus, & Dominicis? S. Rit. Congr. respondit. *Servanda est antiqua, & laudabilis consuetudo, ubi recitatur in Choro Officium parvum B. M. V. etiam in semiduplicibus, & Dominicis, non obstante Rubrica Breviarii S. R. C. 1. Sept. 1607.* Non obstante nempe, quod Rubrica præscribat. *Officium parvum B. M. non dicitur quando fit Officium IX. Lectionum, quale Officium IX. lectionum fit in omnibus semiduplicibus, & Dominicis, hoc non obstante S. Rit. Congregatio mandat servandam esse laudabilem consuetudinem recitandi etiam in Choro Officium parvum B. M. V.*

13. Ex dictis manifeste constat, quam ineptissime illi Antirubricancistæ recurrant ad Rubricam Breviarii, positam ante Officium parvum B. M. V. dicentes propter eam esse omittendam recitationem ejusdem officii parvi, ex devotione, & antiqua consuetudine Provinciæ, ad implorandam sibi Protectionem, & Patrocinium singulare Bmæ Mariæ Virginis Immaculatæ Conceptæ; cum illa Rubrica solummodo sit de Officio parvo dicendo conjunctim cum Divino Officio in Choro. Et hoc ultra clare patet ex sequenti S. Congr. Decreto. *Perfolventes Divinum Officium extra Chorum, non tenentur ad Psalmos Graduales, nec Penitentiales, neque ad Officium parvum B. M. V. nec Defunctorum, quæ quidem Officia, & Psalmi sunt onera tantummodo ex præcepto implenda in Choro. S. R. C. 2. Sept. 1741.* Nemo tamen erit tam stolidus, qui dicere audeat, quod per hoc Decretum prohibeatur privata recitatio expres-

forum in eo, quin quilibet extra Chorum privatim ex Sancta consuetudine, devotione, ac singulari pietatis affectu erga B. V. Mariam qualibet die recitare queat Officium parvum B. V. M. sicuti, & alia in Decreto expressa. Aliud quippe est, ad aliquid non tenere ex præcepto, aut sub gravi peccato, aliud vero illud non debere recitare ex devotione, & Sancta consuetudine. Legant etiam hujusmodi osiores officii parvi B. M. V. in speculo Exemplorum notabile exemplum; *Titulo: Godziny Kapłanski, albo Divinum Officium. Przykład 2.* Ibi videbunt, quantis plagis quoddam Monasterium punitum fuerit a DEO, in quo Monachi ad persuasionem cujusdam Monachi Sapientis Sapientia hujus mundi, omiserunt recitationem Officii parvi B. M. V. nec prius plaga cessavit, nisi postquam rediverunt ad quotidianam ejusdem Officii parvi recitationem.

14. Ad obstruenda igitur ora malevole loquentium contra recitationem Officii parvi B. M. V. & ad conservandam, ac confirmandam Sanctam, & laudabilem antiquam consuetudinem hujus Provinciæ, Definitorium in Congregatione Intermedia 12. Maji 1771. sequens Decretum, & mandatum edidit. *Venerabile Definitorium decrevit de novo imprimendum esse Ordinarium Provinciæ correctum, & emendatum conformiter ad recentiora Decreta Sac. Rituum Congregationis; in quo Ordinario mandavit exprimenda esse sequentia Puncta. Inter quæ, Punctum sextum ita sonat. Officium parvum Bmæ Virginis Mariæ, quod dicitur ex devotione, & consuetudine Provinciæ separatim a Divino Officio, prout antiquitus dicebatur in hac nostra Provinciæ, sic & modo dicendum est, quod serio mandat Patribus Vicariis Venerabile Definitorium observandum omnibus diebus totius anni, exceptis solis ultimis tribus diebus majoris Hebdomadæ, nempe in Cæna Domini, Parasceve, & Sabbato Sancto.*

15. Ultimo tandem adhuc observandum, quod illis diebus, quando Officium parvum B. M. V. juxta Rubricam supra num. 2 positam, dicendum est conjunctim cum Divino Officio

Officio in Choro ut Feria IV. Cinerum; Matutinum, & Vesperæ Officii parvi præponi debent Matutino, & Vesperis Officii diei, & dicto in Choro pro Matutino *Pater, Ave, & Credo*, incipit Matutinum Officii parvi a versu: *Domine labia mea &c.* & dicto *Benedicamus Domino*, statim iterum Hebdomadarius incipit versum: *Domine labia mea* etc. pro Matutino Officii diei. Sic etiam in Vesperis dicto *Pater, & Ave*, Hebdomadarius incipit pro Officio parvo: *Deus in adiutorium meum intende*; & dicto *Benedicamus Domino* statim iterum incipit: *Deus in adiutorium &c.* pro Officio diei. Aliæ autem Horæ Officii parvi postponuntur Horis Officii diei, ita ut dicto post quamlibet Horam Officii diei: *Benedicamus Domino* (in Prima quidem antequam legatur Martyrologium) statim Hebdomadarius incipit pro eadem Hora Officii parvi: *Deus in adiutorium &c.*

16 Per totum Adventum in Officio parvo B. M. V. ad Lectiones omnes stare debent, quia sunt verba S. Evangelii.

## CAPUT IV.

DE

### MEDITATIONE MATUTINA, ET ALIIS EXERCITIIS USQUE AD PRIMAM CANONICAM.

I. De mane hora præscripta in statutis Provincialibus pagina 403. Artic. 19. num. 1. *Pater*, seu Frater Sacristianus Omnes Patres, & Fratres excitet, ut se religiose ornare, lavare, & preces particulares matutinas absolvere possint: secundo quadrante pro hora sexta pulset campanam Refectorii, ad cuius sonitum sine mora omnes conveniant pro absolvenda Meditatione, incipiendo a media sexta usque ad horam sextam videlicet per mediam horam durare debet

præfatum exercitium Meditationis, ut Statuta Generalia, & Provincialia præcipiunt *pag. 141. Art. 2. n 1.*

2. Clemens Papa VIII. in sua Constitutione de receptione, & educatione Noviciorum, serio præcipit omnibus Magistris Noviciorum, ut per totum annum probationis, præter alia, sedulo instruant Novicios, eisque modum tradant, quomodo cum fructu spirituali peragenda sit Oratio mentalis, seu Meditatio, ita ut postmodum per totam suam vitam Religiosam, hoc spirituale exercitium (quod bene per actum singularissimum est nutrimentum pro conservanda vita spirituali animæ) semper devote, & fructuose peragere valeant. Idipsum Statuta nostra Provincialia *pag. 53. Art. 2. num. 14.* Magistris Noviciorum, & *pag. 62. Art. 4. per totum*, Magistris Seminaariorum tam in Studiis Philosophicis, quam Theologiæ Moralis quam maxime recomendant, & præcipiunt. Illis enim vere miseris Religiosis, qui vel nesciunt, vel ob suam socordiam non observant methodum fructuose in oratione mentali, seu Meditatione persistendi, talibus inquam, tempus Meditationis ad nihil aliud inservit, quam ad nutriendas vanas, inutiles, otiosas, & alias malas cogitationes; & cum impatientia solum expectant finem temporis, ita ut ex quo reportare debuerant fructum spiritualem animæ suæ, nonnisi maximum illius detrimentum, imo & nocumentum incurrant.

3. Meditationem omnes absolvant genuflexi, juniores quidem in medio Refectorii, Seniores vero post mensam supra Scabellum pedum; Seniculi tamen, & valetudinarii poterunt sedere. Nullus vero omnino permittatur, ut genuflexus se incurvet caput super terram inclinando, talis enim incurvatio, & capitis inclinatio plurimum nocet tam corpori, quam animæ; Corpori quidem, quia talis incurvatio, & capitis depressio impedit debitam circulationem Sanguinis, & Sanguis in caput confluit, causatque in eo varias indispositiones. Animæ vero ad huc plus nocet; nam  
hunc

hunc modum jacendi potius, quam flexendi, solummodo solent practicare Socordes illi, qui parvam illam molettiam, & mortificationem proveniente[m] ex genuflexione nolunt propter Deum sufferre, sed quarunt quietem, sicque simul cum capite etiam mentem in terram declinant, ac tandem indormire incipiunt; sicque loco alicujus fructus spiritualis, non solum magnum detrimentum, sed & nocumentum anime sue acquirunt. Si alicui autem nimis molestum fuerit genuflexum permanere, talis Meditationem absolvat stando in pedibus erectus.

4. Hora Sexta, dum Meditatio finitur, Pater Sacrista faciat pulsare pro Horulis B. M. V. Immaculate Conceptione, qui pulsus durabit ad minus medio quadrante. Finita Meditatione, omnes dicant unum *Pater*, & *Ave* expansis manibus, quod possunt offerre pro omnibus ubique locorum agonisantibus, hosque pio suspirio recommendare Maternae protectioni B. M. V. Deinde Patres Confessarii, & Fratres Clerici dicant Officium parvum B. M. V. quo finito Acolythi vadant ad Chorum, primus exponat libros, signacula aptet. Secundus vero extergit a pulvere Stalla, sedilia, & pulpitum. Fratres Laici post Meditationem tempestive ad Ecclesiam conveniant, finitoque pulsu cantare incipiant predictas Horulas B. M. V. praecinnente aliquo Clerico, vel juniore Sacerdote, in locis ubi sunt Studia, vel Noviciatus.

5. In illis Conventibus, ubi est sufficiens numerus Sacerdotum, & Populus desiderat quam primum audire Missam, post incertas Horulas statim celebretur Missa, ut vocant, antoprimarya. Missam vero primaryam, post quam cantantur Supplicationes, Sacerdos per Hebdomadam assignatus ita tempestive incipiat, ut eandem finiat tali tempore, ut possit exponere SS. Sacramentum in Pyxide, quando in Choro finitur *Ant. Sub tuum praesidium*, ita ut per totam *Ant. Stella caeli*, SS. sit expositum. Deinde cantabit Supplicationes, juxta antiquissimam in Provincia nostra consuetudinem

dinem, stando ante Altare conversus ad Populum tenendo Pyxidem cum SS. Sacramento in manibus ante pectus (in hyeme tempore intensi frigoris, ut commode teneri possit Pyxis, illius nodus circumligetur aliquo mundo Purificatorio (ter repetendo *Sancte Deus*; ter item *a peste fame &c.* & una vice *a subitanea, & improvisa morte &c.* Postea: *Tantum ergo &c. Genitori Genitoque &c.* & cum SS. Sacramento benedicat Populum, moveado Pyxidem non præcipitanter, sed lente cum debita mora, ac summa modestia, reverentia, & devotione.

6. Diebus in Statutis Provincialibus *Cap. 3. Art. 1. num. 9. pag. 92.* præscriptis, in quibus Fratres Clerici, & Laici sumere debent Sanctissimam Communionem, decantato in Supplicationibus versu: *Tantum ergo Sacramentum veneremur cernui*, Fratres Clerici in Choro existentes sine mora surgant, Sandalia, & in hyeme etiam pallia deponant, & statim ex utraque parte Chori exeant junctis manibus ante pectus, primo juniores, & post eos Seniores pervenientes ante Altare, in medio Præsbyterii in debita distantia, bini, & bini simul genuflectunt, & se inclinant usque ad terram, eamque deosculentur: deinde surgentes procedant unusquisque ex sua parte, & genuflectant post Fratres Religiosos Laicos ibidem jam in suo ordine flectentes, & post eos alii, & alii, ita ut duas lineas efforment, & juniores flectant priores, seniores vero locum postremum occupent, & current, ut omnes jam inveniantur genuflexi in suo loco, quando Sacerdos dat benedictionem cum SS. Sacramento.

7. Post datam benedictionem, & finito hymno, Communicandi dicant: *Confiteor*, & postea dicto a Sacerdote: *Misereatur etc. Indulgentiam etc.* dum se iterum convertit ad Altare, Acolythi genuflexi unus in cornu Epistolæ, alter in cornu Evangelii supra secundum gradum, vel supra supremum, facie versa vel ad Altare, vel ad se invicem, prout nempe major commoditas, & loci situs fuerit, extendunt,

dunt robaleam, seu oblongum velum, & tenent ambabus manibus per quatuor angulos, donec peracta fuerit tota Communio: Thuriferarius quoque accedit, & flectit in medio.

8. Sacerdos facta genuflexione, & accepta Pyxide se convertit ad Communicandos (prout explicatum est in Manuductione celebrandi Missam) & dicit clara voce: *Ecce Agnus Dei* &c. & ter: *Domine non sum dignus* &c. Unde hæc verba: *Domine non sum dignus* &c. tam secundum præscriptum Rubricæ Missalis, & Cæremon. Episcopor. quam secundum omnes Auctores nunquam omitti debent a Sacerdote in Communione Cleri (& ut docet Merati *part. 2. tit. 10. num. 55.* tantum in casu, quo Cardinalis, aut Episcopus rationabili de causa v. g. ob infirmam valetudinem sic Communicandus, Celebrans non præmittit supra dicta verba, sicut neque dicit: *Misereatur, nec Indulgentiam*) Deinde primo præbet Communionem Sacram Acolythro flectenti in cornu Epistolæ, secundo Thuriferario, tandem alteri Acolythro.

9. Ter dicto a Sacerdote: *Domine non sum dignus* &c. duo Clerici, qui flectunt postremi, surgunt, & simul, manibus junctis ante pectus, oculis in terram demissis, cum religiosa modestia accedunt ad Altare, ubi ante infimum gradum in plano (in aliqua tamen distantia ab invicem, ut illi qui jam susceperunt S. Communionem, possint directe descendere, & quasi in medio horum genuflectente) flectunt utroque genu, & profunde se inclinant; & quando Thuriferarius suscepta S. Communionem surgit, ipsi pariter surgant: Thuriferarius descendat per medium ipsorum, & ipsi ascendant ad eundem locum; interim alii duo sequentes tempestive accedant, ita ut dum primi duo ascendunt ad gradus Altaris, his subsequentes genuflectant in loco illorum cum profunda inclinatione; & quando priores suscepta S. Communionem surgunt; subsequentes pariter surgant, prio-

res descendant in medio, subsequentes ad latera illorum ascendant, & sic semper bini, & bini accedant, & recedunt. Dum S. Communionem fuscipiunt, teneant utraque manu robaleam sub mento; deinde manus non jungant ante pectus, sed eas teneant supra pectus in modum Crucis, dextra posita supra sinistram, & descendant gradus per sua latera, facie ad invicem versa, ne terga vertant SS. Sacramento; deinde in plano in aliquali distantia ab Altari (ne subsequentes impediunt) genuflectant utroque genu, & profunde se inclinent, & statim surgentes, convertant se ad invicem facie, & unus alteri profundam facit inclinationem, & progrediuntur ad eundem locum, in quo prius flectebant, ibique iterum genuflectunt. Et ut præscribunt Statuta Provincialia hic superius *num.* 6. citata: Finita distributione S. Communionis saltem per medium quadrantem horæ in eodem loco flectentes permaneant, gratiarum actiones Divino Hospiti peragentes. Deinde omnes surgant, & ordine suo, prius juniores, postea seniores, prout exierunt, iterum intrent in Chorum, Primam Canonicam cantaturi.

## CAPUT V.

DE

### PRIMA, TERTIA, SEXTA, ET NONA: DE INTONATIONE HYMNORUM PRAEDICTARUM HORARUM, ET DE MISSA CONVENTUALI.

1. **A**d finem Supplicationum pulsetur pro Horis Canonicis Prima, et Tertia, in omnibus Festis campana mediocri, in Feriali vero officio campana minima. In Choro P. Hebdomadarius pro *Pater noster etc.* dat signum leniter percutiendo stallum. Curet autem diligenter, ut semper tantum spatium temporis ad Orationem Dominicam, & alia secreta dicen-

dicenda, interfit, quantum non solum iis, qui celeriores sunt, sed & aliis quoque tardioribus sufficere possit; deinde iterum dabit signum, ut Fratres ab inclinatione se erigant. Diebus præscriptis in Statutis Provincialibus pag. 9. num. VI. Hebdomadarius cum cantu incipit: *Deus in adiutorium etc.* & omnes se signant signo Crucis, ut dictum est supra part. 2. cap. 1. num. 12. Decantato *Gloria Patri &c.* ambo Acolythi simul incipiunt Hymnum. De Hymnorum intonatione observanda sunt sequentia.

2. Notent itaque bene Fratres Acolythi, omnem Hymnorum intonationem ad Primam, Tertiam, Sextam, & Nonam, desumendam esse vel maxime ex tono Hymni in primis Vesperis cantati, ut sic Fratres Acolythi Hymnum: *Jam lucis orto Sydere* intonent, sicut in primis Vesperis Hymnum Pater Cantor incipit, in his præsertim temporibus. In Adventu. In Nativitate Domini nostri Jesu Christi. In Epiphania. In Quadragesima. Dominica Passionis, & Palmarum. Tempore Paschali. In Ascensione Domini. In Festo SS. Trinitatis. In Festo Omnium Sanctorum. In omnibus Dominicis per annum. In Festis SS. Apostolorum. Unius Martyris. Virginis, & Martyris. Item nec Virginis nec Martyris: & in Festo S. Stanislai Episcopi, & Mart. & hæc est communis intonandi Hymnos ad Horas regula, ut sic intonent Acolythi, sicut in Vesperis P. Cantor Hymnum cantavit, vel cantare debuisset, si ob aliquam causam Hymnus primarum Vesperarum non fuit cantatus, vg. si fuit cantatus Hymnus præcedentis Officii.

3. Ab hac communi regula excipiuntur, primo omnia Festa B. Mariæ V. in quibus intonatio facienda est super illa verba: *O Gloriosa Virginum.* Secundo Festum Pentecostes, in quo *Jam lucis orto Sidere* cantandum est super illa verba in Laudibus Festi posita: *Beata nobis gaudio.* Tertio Festum Inventionis S. Crucis si tempore Paschali, aut infra Octavam Ascensionis Domini occurrat, quia tunc cantus Solemnitati

accommodari debet, & *Jam lucis orto Sidere* eo tono cantari, quo fuit in ipsa Solemnitate Paschali, aut Ascensione Domini cantatum. Quarto Festum Exaltationis S. Crucis, quod ordinarie infra Octavam Nativitatis B. V. Mariæ celebratur, propterea intonatio desumenda est ex illis verbis: *O Gloriosa Virginum*. Quinto Festa SS. Martyrum: SS. Confessorum Pontificum & non Pontificum, quia tunc in Vesperis Hymnus diverso, ac longiori metro est compositus, quam alii Hymni; ideo Fratres Acolythi intonationem desument super illa verba: *Rex gloriose Martyrum*. Sexto Festum SS. Patriarchæ Patris nostri Francisci, & Festum Stigmatum, his enim temporibus intonatio facienda est super illa verba in secundis Festi Vesperis posita: *Decus morum, Dux Minorum*. Septimo Festum Corporis Christi, in quo Acolythi intonabunt *Jam lucis orto Sidere*, super illa verba: *O Salutaris Hostia*, quæ sunt in Laudibus posita. Octavo Festum Patronorum Ordinis, in quibus intonatio sumenda est super illa verba: *Proles de celo prodiit* Nono Festum Dedicationis Ecclesiæ, cum in Vesperis Hymnus prolixus sit, ideo intonatio fiat super illa verba: *Jesu corona celsior*. Decimo Festa occurrentia infra Octavas Solemnes, tunc enim servari debet tonus Octavæ Solemnioris.

4. Finito Hymno Pater Hebdomadarius cantat initium Antiphonæ, & mox ambo Acolythi intonant primum Psalmum; secundum vero, & tertium Psalmum communiter intonat solus Acolythus secundus. Diebus tamen Dominicis, quando Officium fit de ea, & dicitur Psalmus: *Confitemini*, vel Psal. *Dominus regnavit*, hunc secundum Psalmum incipit Acolythus secundus sequentes vero incipit Acolythus primus & in Symbolo S. Athanasii circa medium, attollendo vocem, incipit secundus Acolythus: *Qui vult ergo salvus esse*. Pro quo generalis regula est, quod non in illo Choro, ubi desinit ultimus versus Psalmi, sed in altero Choro Acolythus incipere debet sequentem Psalmum, & Chorus ille prosequitur.

Tem-

Tempore Psalmorum Chorus sedebit alternatim, ut dictum est p. I. C. 4. de Sessione.

5. Finitis omnibus Psalmis totus Chorus cantat integram Antiphonam, qua finita P. Hebdomadarius cantat capitulum: deinde ambo Acolythy Rf. br. *Christe Fili Dei &c.* Respondente Choro, ut in Breviario. Postea diebus Dominicis, quando dicendæ sunt preces, P. Hebdomadarius tono plano dicit: *Kyrie eleison*, item clara voce *Pater noster*, & reliqua ut in Breviario: dum dicit: *Adjutorium nostrum &c.* tam Hebdomadarius, quam omnes alii se signant signo Crucis. Facta Confessione, & dicto *Indulgentiam &c.* P. Hebdomadarius elevat vocem, & in cantu prosequitur: *Dignare Domine die isto &c.* Post Orationem dicto: *Benedicamus Domino Rf. Deo gratias*, primus Acolythus deposito Pallio cantat Martyrologium, quo finito sequentia dicuntur plane usque ad Absolut. Capituli, ante quod primus Acolythus in cantu petit benedictionem, & data benedictione a P. Hebdomadario pariter in cantu, Acolythus cantat Lectionem brev. Responso a Choro in cantu *Deo gratias*, reliqua dicuntur in tono plano, & ad benedictionem omnes se signant signo Crucis. Diebus vero Festivis, quando non dicuntur preces, decantato: *Christe Fili Dei &c.* P. Hebdomadarius statim cantat *v. Dominus vobiscum*, & Orationem, & reliqua peraguntur ut supra. Quando vero Festum est Primæ, aut secundæ Classis, tunc etiam ea omnia, quæ sequuntur post Martyrologium, in cantu absolvuntur. Observandum adhuc, quod quando post Orationem: *Sancta Maria, & omnes Sancti &c.* P. Hebdomadarius ter dicit: *Deus in adjutorium meum intende*, hoc loco nullus debet se signare Cruce, nam hoc solum fit ad initium, seu inceptionem horarum.

6. Quando vero Prima absolvitur in tono plano, totus Chorus primus incipit Hymnum, quo finito primus Acolythus dicit initium Antiphonæ, & iterum totus Chorus primus incipit Psalmum primum; secundus Psalmum secundum

ut supra dictum est de incæptione in cantu ab Acolythis. Post finem ultimi Psalmi, primus Acolythus repetit totam Antiphonam. Deinde reliqua absolvuntur, ut supra, sine cantu, excepto Martyrologio, quod semper a primo Acolythis cantari debet, præterquam diebus Ferialibus quando Officium fit de Feria, quibus diebus etiam Martyrologium a primo Acolythis alta voce legitur in tono plano.

7. Circa cantum Martyrologii notandum est, primi Acolythis Officium esse, Martyrologium, seu Calendas in Choro tempore Primæ, pro sequenti die occinere, quas prius perspiciat, et si opus fuerit coram P. Vicario canet: deinde in Refectorio sub Cœnæ, seu Collationis initio coram Communitate totum præcinat, ob duplicem rationem; primo ut exercitetur, ac emendetur in accentu, secundo ut omnes audiant, præsertim cum singuli in Choro adesse nequeant. Cantabit autem non palliatus, neque Stallo innixus, sed cum modestia stando erectus, & observet illum Sanctum regulariter pronuntiandum esse primo loco, de quo sequenti die faciendum est Officium: quotidie quoque inspiciat Martyrologium particulare Ordinis nostri, utrum ex eo non sit aliquid annuntiandum.

8. Pro officio Feriali item observandum est, quod Responsoria brevia, & versus dicat solus primus Acolythus; & ad preces dum P. Hebdomadarius incipit dicere: *Kyrie eleison*, omnes genuflectunt, & manent genuflexi etiam per *Confiteor*, usque ad versum: *Benedicamus Domino* post Orationem, solus Hebdomadarius surgit ante Orationem ad versum *Dominus vobiscum*.

9. Hic quoque pro privata recitatione Divini Officii notanda est Rubrica generalis Breviarii, Titulo XV. de Prima numero 2. circa medium. *Quando aliquis solus recitat Officium, semel tantum dicit, Confiteor, omissis illis verbis: Tibi Pater, & vobis Fratres, & te Pater, & vos Fratres; & similiter dicit: Misereatur nostri, peccatis nostris, perducatur nos,*

nos, quod etiam servatur ad Completorium. Super hanc Rubricam Michael Cavalieri in suo Opere Liturgico Tomo 2. Cap. 36. Decret, 1. num. 4. sic commentatur: Ex Rubrica Primæ, quæ de eo, qui solus recitat, disponit, eruit Gavantus, quod duo simul Officium recitantes, nihil debent in textu Breviarii mutare, sed qui major est, dicat: *Vobis Fratres, & vos Fratres*, qui minor est, dicat: *Tibi Pater, & te Pater*, sicut dicunt invicem: *Dominus vobiscum, & cum Spiritu tuo*; uti & Sacerdos dicit: *Orate Fratres*, etiam unico tantum Ministro præsentente.

10. Dum cantatur Martyrologium, secundus Acolythus accedat Sacristiam, investiget, qualis Missa sit cantanda, & reversus ad Chorum deponat Antiphonarium, & exponat Graduale, Missamque inveniat. Pater Sacrista vero curabit, ut pulsentur Campanæ pro Missa Conventuali, vel pro alia (si est aliqua obligatio) cantanda Missa. Quod si post Tertiam sit absolvendum Officium Defunctorum, campanæ pulsari debent per tria intervalla; & deinde dum in fine Laudum cantatur Psalmus: *laudate Dominum de celis*, iterum per tria intervalla campanæ pulsentur pro Missa Defunctorum. Quod vero campanis pulsandum sit, id desumendum ex Solemnitate, qua peragendæ sunt Exequiæ, aut Sepulturæ: quod idem dicendum de aliis Missis in Festis Solemnioribus, & minus Solemnibus; similiter de Missis Votivis.

11. Finita Prima statim subsequitur Tertia Canonica, in qua omnia respective absolvuntur ut in Prima; nempe P. Hebdomadarius dato signo, ut Fratres se erigant ab inclinatione, incipit: *Deus in adjutorium* &c. Si in cantu absolvatur Tertia, Hymnum, & Psalmos intonant Acolythi, ut supra in Prima. Si vero dicatur in tono plano, finito Hymno Acolythus primus dicit initium Antiphonæ, qui etiam finitis Psalmis eandem Antiphonam integram repetit. Capitulum pronuntiat Hebdomadarius; Responsorium breve in omnibus Festis, & Dominicis ambo Acolythi; in Feriali vero Offi-

Officio solus Acolythus primus. Tandem Orationem P. Hebdomadarius, præmissis in Feriali Officio precibus ut supra. Quod si sit discedendum ex Choro, post *ŷ. Fidelium animæ Sc.*, dicitur *Pater noster* totum secreto, deinde Hebdomadarius subjungit *ŷ. Dominus det nobis suam pacem*, responso a Choro: *Et vitam eternam, Amen*, dicitur pro ratione temporis Antiphona finalis B. M. V. cum suo versu, & Oratione: & in fine; *Divinum auxilium maneat semper nobiscum. R. Amen. Sacrosanctæ Sc.* addendo secreto *Pater*, & *Ave*. Postea stando, quotidie dicatur Responsorium de S. Antonio Paduano: *Si quæris miracula Sc.*, cum versu *Ora pro nobis*, & Oratione *Ecclesiam tuam Sc.* Qualibet quoque Feria quarta (Statuta Provincialia pag. 96. n. XIV.) in omnibus Conventibus decantari debet Responsorium de B. Joanne de Ducla: *Si requiras gratias Joannis Duclani Sc.* Leopoli vero omni die cantari debet.

12. Ratione supra expressorum Responsoriorum de S. Antonio, & B. Joanne de Ducla post Tertiam in Choro dicendorum, hic consideranda venit Prohibitio facta a Pio V. in Bulla ab ipso præposita Breviario, quæ Bulla postmodum a Clemente VIII. & Urbano VIII. confirmata fuit, in qua Bulla Summus Pontifex, districtè mandavit: *Breviarium ipsum nullo unquam tempore, vel totum, vel ex parte mutandum, vel ei aliquid addendum, vel detrahendum esse.* Quæ prohibitio adhuc magis roboratur per sequens Sac. Congregationis Decretum: *Non licet aliquid ex devotione, seu ex autoritate privata miscere, mutare, vel apponere inter ea, quæ integrant Officia cujusvis diei, quia in Officiis Sanctorum nihil est addendum, vel immutandum, nisi a Sede Apostolica concessum fuerit.* S. R. C. 10. Junii 1690. Hinc Gavantus *Seff. 1. cap. 2. num. 6.* subdit: *Et hinc sequitur, quod sine facultate non potest fieri Officium, eo quod devotio populi adest, seu votum, neque quia Clerus consensit in Diæcesana Synodo; neque quia voluntas Testatorum legato proprio jussit officium de Sancto, quod non est*  
in

in *Kalendario*. Adeoque nec publica Ecclesiæ necessitas, puta belli, incursionis Infidelium, pestis, famis &c. legitima causa esse potest substituendi pro Officio Breviarii aliud de aliquo Sancto, cujus intercessioni aliqui plurimum fidunt. Sic quoque nec ad Benefactorum instantiam, nec Testatorum dispositionem, vel ob cujuscunque devotionem addere licet in Officio commemorationem alicujus Sancti, de quo juxta Rubricas Breviarii illa die non est facienda commemoratio. Denique non est licitum etiam quodcunque aliud, licet minimum addere, omittere, vel mutare in iis, quæ spectant ad integritatem Officii cujusvis diei.

13. Notandum tamen bene est cum P. Michaeli Cavalieri in ejus opere Liturgico *tom. 2. cap. 41. Decreto 12. num. 8.* quod additio, mixtio, & appositio solum sint prohibita fieri intra aliquam Horam Canonicam, non autem hac finita, vel nondum inchoata; quare si dicta *vg. Prima*, quis recitaret litanias, aut Officium Defunctorum, & postea diceret, *Tertiam*, non censeretur aliquid miscere, addere, vel apponere Divino Officio, ut censuit S. Congregatio 12. Jan. 1660 apud Nicolium in *Flosc. Officium Divinum. num. 3.* per hæc verba: *Moniales finito Officio non prohibentur recitare aliquem Psalmum, Orationem, vel Collectam, quia hoc non est Officio addere.* Sic laudabiliter S. Franciscus Xaverius singulis Horis præmittebat Hymnum: *Veni Creator*, & multæ ex Religionibus finita *Prima* nonnullas preces dicunt pro Defunctis Ordinis: alii item Religiosi finita qualibet Hora Canonica dicunt quasdam preces de Passione Domini, quæ incipiunt: *Patris Sapientia*. Sic quoque apud nos finita *Tertia* dicuntur supradieta Responsoria: Sicut etiam ante quodlibet Capitulum cum Generale, tum Provinciale post Laudes, & post Vesperas in Choro debent dici ex mandato Superiorum quædam Antiphonæ cum suis Versibus, & Orationibus.

14. Dicitur est supra num. 11. *Quod si sit discedendum a Choro --- dicitur pro ratione temporis Antiphona finalis*

*B. M. V.* De his Antiphonis notanda est Rubrica Generalis Breviarii Titulo XXXVI. *De Antiphonis B. Mariæ in fine Officii*, quæ Rubrica sic sonat. Antiphonæ Beatæ Mariæ positæ in fine Psalterii post Completorium, singulæ dicuntur pro temporis diversitate, ut ibi annotatur, præterquam in triduo majoris Hebdomadæ ante Pascha. Dicuntur autem extra Chorum, tantum in fine Completorii, & in fine Marutini, dictis Laudibus, si tunc terminandum sit Officium: alioquin si alia subsequatur hora, in fine ultimæ Horæ. In Choro autem semper dicuntur, quodocunque terminata aliqua Hora discedendum est a Choro. Nunquam vero dicuntur post aliquam Horam, quando subsequitur cum Officio diei Officium Defunctorum, vel Septem Psalmi Penitentiales, aut Litanæ, præterquam post Completorium, in quo semper dicuntur, etiam si prædicta subsequantur: neque etiam dicuntur, quando post aliquam Horam immediate subsequitur Missa. Dicuntur autem flexis genibus (præterquam in diebus Dominicis a primis Vesperis Sabbati, & toto tempore Paschali) Hebdomadario tamen ad Orationem surgente.

15. Sexta, & Nona Canonica, pro quibus pulsandum (ea campana qua pulsatum fuit pro Prima) hora diei decima; exceptis diebus Quadragesimæ, quibus diebus, præter diem Dominicam, Hora Sexta dicitur immediate post Tertiam, & Nona immediate ante Vesperas, & pulsatur in Quadragesima pro Nona media undecima. Absolvuntur dictæ Horæ respective quo ad omnia Sicuti Tertia, & in fine clauduntur per Antiphonam finalem *B. M. V. & Sacrosanctæ*.

16. De Missa Conventuali Generalis Rubrica Missalis Titulo XV. *De hora celebrandi Missam, num. 2.* sic præscribit. *Missa autem Conventualis, & Solemnis sequenti ordine dici debet. In Festis duplicibus, & Semiduplicibus, in Dominicis, & infra Octavas, dicta in Choro Hora Tertia. In Festis Simplicibus, & in Feriis per annum dicta Sexta. In Adventu,*  
Qua-

Quadragesima, Quatuor Temporibus, etiam infra Octavam Pentecostes, & Vigiliis, quæ jejunantur, quamvis sint dies Solemnes, Missa de Tempore debet cantari post Nonam. Hæc Rubrica. Verum ut refert Merati part. 3. tit. 11. num. 4. Castaldus lib. 2. Sect. 2. cap. 3. num. 20, asserit. Quæ dicuntur a Rubrica de hora, & cantu Missæ Conventualis, relate ad Ecclesias Regulares standum esse consuetudini, ac possibilitati locorum.

17. Unde in Conventibus, ubi vel ex fundatione, vel pro currenti elemosina ex præscripto Benefactorum, cantanda est Missa, aut celebrandæ Exequiæ, vel Anniversarium &c. Missa-Conventualis, juxta antiquam consuetudinem, legi debet ad majus Altare tempore Primæ, & Tertiæ; aliis vero diebus cantabitur finita in Choro Tertia. Si vero quandoque nulla cantetur Missa, tunc ex Decreto Definitorii Provinciæ, Missa Conventualis lecta obsolvenda est post finitam Tertiam: & ubi Chorus est post Altare Clerici egrediantur, & genuflexi ante Altare Missam devote audiant. Diebus vero Dominicis, & Festis ad Populum, Missa Conventualis cantari debet post Concionem.

## CAPUT VI.

DE

### MISSA SOLEMNI CANTANDA A SACERDOTE CUM MINISTRIS SACRIS.

**D**e Missa privata satis dictum est in Libello cui Titulus: *Manuductio ad recte, riteque celebrandum SS. Sacrificium Missæ*, juxta Rubricas Missalis ibidem adductas. Quantum vero attinet Rubricas Missalis de Missa Solemni, Gavantus Tit. 2. num. 5. lit. r. & cum eo Merati part. 2. tit. 2. num. 19. asserunt. Ritus, & Cæremoniæ in Missa Solemni servandæ

partius in *Missali* sunt descriptæ. Vnde factum quod Cæremonialia diversorum Ordinum Religiosorum, diversas in quibusdam locis præscribant Cæremonias, quibus omnibus in prædicta *Manuductione* satisfieri non poterat. Placuit proinde extraneo Censori dicti Libelli, in illo abstinendum fore a particularibus præscriptionibus, & usibus, & propter uniformitatem servandam, illud caput de Missa Solemni exscribendum censuit ex *Manuali Sacrarum Cæremoniarum*, a pluribus acceptato, conscripto a Patre Michaele Bauldry *part. 3. cap. 11. De Missa Solemni*. Et quia ibidem describitur Missa Solemnis celebranda cum omnimoda Solemnitate; ideo poterunt ibidem descriptæ Cæremoniæ observari in Missa Solemni, dum eam celebrat P. Minister Provincialis, aut alius insignis Prælati, & in præcipuis Solemnitatibus. Quia vero apud nos Missa Solemnis ordinariè celebrari solet cum Sacris Ministris, & duobus solum Acolythis, qui simul agant Ceroferarios, & Thuriferario, & hi tres Ministri minores debent supplere aliorum alias desideratorum officia: hinc ut omnia recte, riteque fiant, servatur hic eadem methodus, prout in prædicta *Manuductione*, primo ponendo ipsum textum Rubricæ Missalis, deinde Commentaria in illum, prout sequitur.

## AD TITULUM II.

### DE INGRESSU SACERDOTIS AD ALTARE.

„Rubrica V. In Missa (1.) Solemni Missale apertum  
 „(2.) super Altare, Calix vero & alia necessaria præparen-  
 „tur in Credentia cooperta linteo, antequam Sacerdos veniat  
 „ad Altare. Ipse autem procedit (3.) cum Diacono, & Sub-  
 „diacono, qui capite cooperto, simul cum eo tenent manus  
 „iunctas ante pectus: Acolythis vero ante eos deferunt can-  
 „delabra cum candelis accensis, quæ deinde (4.) collocantur  
 „super Credentia: & cum pervenerint ante infimum gra-  
 dum

, dum Altaris, ibi medius inter Diaconum a dextris, & Sub-  
 „ diaconum a sinistris, antequam ascendat ad Altare, facit  
 „ (5.) cum ipsis Confessionem.

1. *In Missa Solemni.* Imprimis Sacrista tempeſtively  
 præparet, & exponat omnia conſveta Paramenta Sacerdotalia,  
 Diaconalia, & Subdiaconalia, & pro Acolythis, Thuriferario,  
 & Cantoribus ſuperpellicea. Deinde ante horam aſſi-  
 gnatam pro Miſſa Solemni, ante omnes in Sacriſtia conve-  
 niant Acolythis, & Thuriferarius; ut ſi Miſſa ſit cantanda  
 ſtatim poſt Concionem, circa medium Concionis ſupradiſti  
 in Sacriſtia congregati ante omnia lavent manus, ne immun-  
 dis manibus ornamenta munda polluant: deinde alternatim  
 mutuo ſe ornent, unus alterum adjuvando; ſic ornati ante-  
 quam ad Sacriſtiam conveniant Celebrans cum Sacris Mini-  
 ſtris, præſtabunt ſequentia.

2. *Miſſale apertum ſuper Altare, Calix vero & alia nec-  
 eſſaria præparentur in Credentia.* Poſtquam ſupradiſti Cle-  
 rici fuerint ornati, Thuriferarius accipiat Calicem a Sacriſta  
 debite præparatum, nempe cum Purificatorio, Hoſtia in Pa-  
 tena, Palla Velo, & Burſa cum incluſo Corporali. Primus  
 Acolythus accipiat Pelviculam cum ampullis, quæ quantum  
 fieri poteſt, vitriæ ſint, & una ſit plena vino, altera plena  
 aqua, & ambæ ſuis operculis coopertæ, & prope ipſas po-  
 natur ſuper pelviculam parvulum manutergium. Secundus  
 Acolythus accipiat Miſſale, quod debet inſervire Subdiacono  
 pro cantanda Epistoſa, & Diacono pro Evangelio, & ſuper  
 Miſſale ſit poſitum velum oblongum plicatum, coloris cum  
 colore Miſſæ convenientis pro Subdiacono, dum tenebit  
 Patenam. Sic inſtructi Clerici ſe convertant ad Crucem, ſeu  
 Imaginem principalem Sacriſtiæ, & ſtantes ante illam in linea  
 reſta, ita ut in medio ſtet Thuriferarius, omnes ſimul pro-  
 funde ſe inclinent Cruci: deinde ſe erigentes procedant ad  
 Eccleſiam; præcedat Thuriferarius, & poſt eum Acolythis  
 ſimul incedant uſque ante inſimum gradum Altaris, ubi ſtante  
 in

medio Thuriferario, & Acolythis hinc inde ad illius latera, omnes simul in genua procumbant, & simul se erigentes simul procedant ad Credentiam.

Credentia fit a latere Epistolæ, mensa brevis, demissa, simplex, sine gradibus, sine Imaginibus, & sine Cruce; cooperta linteo mundo usque ad terram undequaque pendente, in qua nihil aliud ponatur, præter ea quæ ad Missam sunt necessaria. Super hanc Credentiam Thuriferarius in medio reponat Calicem, & Velum, quod fuerat plicatum super Calicem, ambabus manibus demittat, ita ut Calix in parte anteriori sit tectus. In dextro cornu Credentiæ ponatur Pelvicula cum Ampullis, & parvo manutergio: in sinistro cornu ponatur Missale, & penes illud Velum pro Subdiacono. His sic collocatis, omnes tres simul redeant ante infimum gradum Altaris, ubi simul facta genuflexione, redibunt eo ordine, quo venerunt ad Sacristiam, manibus junctis ante pectus, oculis in terram demissis, modeste, ac religiose.

Instante hora, datoque signo pro convocandis Sacris Ministris, hi sine mora Sacristiam adeant, ubi post brevem Orationem, ut tantum Ministerium digne, ac meritorie exercere valeant, Diaconus inspicit Missale Celebrantis, & signacula suis in locis adaptat, illudque tradit Thuriferario. Deinde Diaconus, & Subdiaconus, lotis prius manibus, sumunt Paramenta sibi convenientia; primus Acolythus adjuvat Diaconum, secundus Subdiaconum; & dum Ministri Sacri se induunt, expedit, ut recitent Orationes pro quolibet ornatu assignatas in Missali, & ut osculentur Amictum, Stollam, & Manipulum, quem tamen Manipulum non assumunt, nisi postquam Celebrantem vestiverint.

Dum Sacri Ministri sua sumunt Paramenta, Celebrans in Sacristia, vel in Ecclesia dicit Psalmos, & Orationes pro præparatione ad Missam, quibus dictis lavat manus, porrigente aquam primo Acolytho, & Ministris Sacris exhibentibus

bentibus manutergium acceptum a secundo Acolytho; & hoc si Celebrans sit in aliqua dignitate constitutus, aut diei Celebritas exigat majorem Solemnitatem; alias accedere debet ad Lavatorium in Sacristia, vel prope eam existens. Lotis manibus accedit ad Paramenta, & Ministri Sacri eum adjuvant in induendis eis, advertendo quod omnia principalius faciat Diaconus, ita ut Subdiaconus tantum adjuvet, & Sacerdos ad singula Paramenta dicat Orationes in Missali assignatas.

Primo itaque Diaconus accipit Amictum, quem osculatur prope Crucem, quæ est in medio, postea illum offert Celebranti, qui Crucem in medio Amictus designatam osculatur, & Caputio super imponit, & Ministri eum commode adaptant, & cordulas post tergum, & ante pectus reductas ligant: postea ambo Ministri Albam accipiunt. eamque Celebranti imponunt; deinde Diaconus manicam dextram elevat, & Celebrantem adjuvat in ornando brachio dextro; postea idem præstat Subdiaconus elevando manicam sinistram; & Albam, prout opus est, accommodant, eamque cingulo a tergo ab Acolytho porrecto constringunt, illius extremitatem Acolythi ita aptant, ut fimbriæ æqualiter circumfluant. Postea Subdiaconus accipit Manipulum, quem osculatur prope Crucem, eumque porrigit Celebranti osculandum in Cruce, quæ est in medio, & osculata manu Celebrantis, brachio ejus sinistro illum imponit, & ligat non supra cubitum, sed infra. Diaconus vero accipit Stolam ambabus manibus, & osculatur eam prope Crucem, Crucemque osculandam offert Celebranti; postea Stolam imponit collo illius, & accommodat ante pectus in modum Crucis, ducendo partem, quæ pendet a sinistro humero, ad dextram; & partem, quæ pendet a dextro humero, ad sinistram, ita ut pars dextra sit supra sinistram: Stolam sic positam Ministri firmant extremitatibus Cinguli a Lateribus. Postremo idem Ministri Sacri accipiunt Planetam, eamque Cele-

Celebranti imponunt, & convenienter accommodant. His omnibus peractis Diaconus, & Subdiaconus accipiunt Manipulos suos cum osculis in Cruce. Si tamen sit facienda aspersio aquæ benedictæ, ut fit omnibus Dominicis diebus, aut ante Missam sit facienda Processio, loco Planetæ Celebranti imponunt Pluviale, & tunc nec Celebrans, nec Ministri assumunt Manipulos, nisi postea ante incæptionem Missæ. Dum autem sic induitur Celebrans, etiam ipsemet sibi aliquo modo Sacras vestes adaptat, ne videatur immobile Simulacrum.

In majoribus Conventibus etiam duo Cantores se ornant Amictu, & superpelliceo, nunquam tamen debent se vestire Stola, etiamsi sint Sacerdotes, quia Stola solummodo adhibenda est in administratione Sacramentorum, & in benedictionibus, aut dum tangi debet vas, in quo inclusum est SS. Sacramentum: unde si ante Processionem cum Sanctissimo, Pater Cantor, aut alius Sacerdos debeat Ostensorium cum Sanctissimo ex altiori loco deponere super Altare, tunc accipiat Stolam a Sacrista, aut alio sibi porrectam, depositoque Ostensorio super Altare, etiam ipse Stolam deponat, reddatque illi, a quo eam accepit.

Dum supradicta peraguntur, Thuriferarius accipit Missale Celebrantis, accedit ad Ecclesiam, ubi ante infimum gradum Altaris in medio genuflectit, deinde surgens vadit per planum ad cornu Epistolæ, ubi per gradus laterales ascendit, & Missale apertum in eo loco, in quo est Introitus Missæ, ponit super Cussum: postea accipit baccillum ad hoc preparatum, & accendit candelas Altaris, incipiendo a proximioribus Cruci, & prius in parte Evangelii, deinde in parte Epistolæ: postea accendit quoque candelas Ceroferariorum, & illas cum suis Candelabris ad Sacristiam defert.

3. *Ipse autem procedit cum Diacono &c.* Celebrans omnibus Paramentis indutus, omnesque ejus Ministri cum eo, Diaconus a dextris, & Subdiaconus a Sinistris Celebrantis,

brantis, & Thuriferarius a dextris Diaconi, Ceroferarii vero cum candelabris accensis hinc inde omnium postremi, firmant se ante Crucifixum, vel principalem Imaginem, quæ est in Sacristia, nudo capite, quasi lineam rectam efficien-tes: Si tamen locus Sacristiæ sit nimis angustus Ceroferarii stabunt retro post Celebrantem, ita ut primus sit post Diaconum, & secundus post Subdiaconum. Sic omnibus subsistentibus, ministrante Diacono naviculam, & Thuriferario thuribulum, Celebrans imponit, & benedicit incensum in thuribulum more solito. Deinde juxta antiquam consuetudinem in nostra Provincia, in aliisque Ecclesiis hujus Regni, Diaconus cum solitis osculis (Pro quo generaliter notandum, quod Ministri cum rem aliquam Celebranti Sacris vestibus jam ornato porrigunt, prius rem, deinde manum ejus osculari debeant; e contra vero dum aliquid ab eo recipiunt, prius manum, postea rem receptam) tradit Celebranti Crucem, vel aliud Instrumentum Pacis cum inclusis reliquiis Sanctorum. Postea statim Celebrans, & omnes alii nudis adhuc capitibus profundam faciunt reverentiam Cruci, aut Imagini principali, & Celebrans caput tegit, Ministri salutant mediocri inclinatione Celebrantem, qui etiam eis aliquantulum se inclinat tecto capite; & statim procedunt ad Altare, Celebrans, & Sacri Ministri tecto capite, reliqui vero omnes nudo capite, hoc ordine.

Primo procedit Thuriferarius, leviter agitans thuribulum, ne ignis extingvatur; portat autem thuribulum manu dextra, pollice in anulum majorem immisso, altero vero ejusdem manu digito, videlicet annulari, minorem anulum catenulæ cooperuli sustinet, & superpellicei manicam dextram reflectit super brachium dextrum, ne comburatur: & manu sinistra gestat pedem Naviculæ clausæ cum thure, & cochleari. Post Thuriferarium simul incedunt Cantores, hos sequitur Subdiaconus, & post hunc Diaconus, manibus junctis ante pectus. Deinde Ceroferarii simul incedunt cum

candelabris accensis ante Celebrantem portantem Crucem, vel alias reliquias Sanctorum; quod si Celebrans non portet Crucem, vel Sacras Reliquias, sed incedat junctis manibus ante pectus, in tali casu Ceroferarii debent incedere simul ante Subdiaconum. Similiter dum Celebrans est indutus Pluviali, ut fit in benedictione Candelarum, Cinerum, ac Palmarum, & diebus Dominicis pro aspersione aquæ benedictæ, aut pro facienda Processione ante Missam, tunc Diaconus, & Subdiaconus post Ceroferarios procedunt pares cum Celebrante, Diaconus a dextris, elevans fimbrias Pluvialis manu sinistra, dexta pectori admota, & Subdiaconus a sinistris elevans fimbrias Pluvialis manu sua dextera, sinistra pectori admota. Ceroferarii quoque pro regula generali sibi notare debent, quod is, qui est in parte dextra, tenere debeat manu dextra suum candelabrum per nodum in medio candelabri, & manu sinistra per pedem illius: e contrario qui est in parte sinistra, manu sinistra teneat nodum candelabri sui, & dextera pedem. Dum autem deferunt faces, ille qui est in parte dextra, deferat manu dextra, & qui est in parte sinistra, manu sinistra, & uterque alteram manum liberam pectori admoveat.

Si procedendo transeant ante Altare majus, ad quod Missa non sit celebranda, si in eo sit SS. Sacramentum in Tabernaculo, aut super Altare post Consecrationem, omnes nudo capite genuflectunt, si vero non adsit, omnes excepto Celebrante etiam genuflectunt Cruci. Si vero sit ibi expositum, utrumque flectunt genu, & si elevantur, non surgunt, donec repositum sit super Altare. Ante alia Altaria, ante quæ transeunt, nulla fit reverentia.

Quod si Altare sit ita situm, ut Celebrans ad illius medium non possit accedere, quin prius transeat per partem Evangelii, aut Epistolæ, tunc Ministri illius partis parum retrocedere debent, ut Celebranti facilem transitum ante se ipsos præbeant, cui etiam illi tunc se inclinant; videlicet  
Diac-

Diaconus, & primus Ceroferarius, si transeat per latus Epistolæ, & viceversa Subdiaconus, & secundus Ceroferarius si per latus Evangelii. Si autem recta linea pergant ad Altare, dum ad illud accedunt, Diaconus, & primus Ceroferarius recedunt ad partem Epistolæ, Subdiaconus vero & secundus Ceroferarius ad partem Evangelii, & statim ac ante Altare adveniunt, caput discooperiunt, & expectant Celebrantem, qui postquam ante infimum Altaris gradum pervenerit, caput detegit; & sic omnes constituti ante infimum gradum in recta linea, ut supra in Sacristia (solus Thuriferarius stat in aliqua distantia directe post Celebrantem) omnes simul quasi in eodem temporis puncto genuflectant, & quidem unico genu, si SS. Sacramentum sit inclusum in Tabernaculo, si vero sit expositum, utroque genu. Quod si in illo Altari non adsit SS. Sacramentum, tunc secundum communem omnium Auctorum Sententiam, solus Celebrans profundam facit inclinationem, ceteri vero omnes Cruci genuflectunt unico genu. Facta autem genuflexione, surgunt adjuvantibus Ministris Celebrantem, sustentando brachia ejus, quod semper faciunt honoris causa, quando genuflectit, & surgit. Mox Celebrans tradit Diacono Crucem, seu aliud Instrumentum pacis & Diaconus tradit Thuriferario, qui illud defert ad Credentiam, & reponit post Calicem. Cantores vero statim intrant Chorum.

Gavantus *part. 2. tit. 2. ad Rubricam 5.* ait: Ea vero est Solemnis Missa hoc loco, quæ in Festis Solemnioribus cantatur; in qua nihil omittitur, quod ad Solemnitatem indicandam spectat. Nam in profestis cantantur quidem Missæ cum Ministris, sed aliquando absque incensatione Altaris, & Chori, sine Credentia, sine osculo pacis: quæ tollerantur potius, quam conceduntur in Collegiatis. Ajunt: ut inter Festa; & profesta appareat differentia. Quo casu Subdiaconus portat Calicem, Diaconus librum de Sacristia ad Altare: Hic deposito, & aperto libro, descendit ad Celebrantem,

cum quo Confessionem facit; & interim Subdiaconus explicato Corporali, collocat Calicem in medio Altaris: quod etiam innuitur infra *Titulo VII. num. 9. initio*. Eodemque modo, finita Missa revertuntur ad Sacristiam. Tolleranda sunt hæc potius, quam concedenda, & de his non scribimus, quæ minus approbamus. Hucusque verba Gavanti. Solent etiam apud nos diebus non Festivis Missæ, præsertim Votivæ particulares, modo hic adducto a Gavanto, cantari quandoque cum Ministris. Omnibus tamen diebus Festivis, & Dominicis, sicut etiam in Festis Ordinis primæ, & secundæ Classis, Missæ omnino cantandæ sunt juxta præscriptum Rubricarum, præparando ante Missam supra expressa, cum incensatione Altaris, & Chori, osculo pacis &c.

4, *Quæ deinde collocantur super Credentia*. Loquitur Rubrica de Missa Solemni, in qua nihil omittitur, quod ad Solemnitatem indicandam spectat; pro qua Missa, Gavantus, Merati, Cavalieri, & alii auctores ultra Ministros Sacros, plures requirunt Ministros minores; nempe ultra duos Ceroferarios etiam alios duos Acolytos, ultra Thuriferarium etiam Navicularium: & duos pariter, seu primum, & secundum Cæremoniarium, & insuper Presbyterum assistentem in Cappa, seu Pluviali. Ne itaque Ceroferarii cum suis candelabris impediunt alios ministros circa Altare in suis obeundis officiis, Rubrica præscribit, ut collocentur super Credentia. Cum autem hic describatur Missa Solemnis, in qua solum tres minores ministri assistunt, nempe duo Ceroferarii, & unus Thuriferarius, hique supplere debeant aliorum Officia; insuper juxta antiquissimam apud nos consuetudinem, Ceroferarii pluries per decursum Missæ tenere debent sua candelabra cum candelis accensis elevata, & ideo ea ante se collocata habent. Hinc apud nos Ceroferariorum locus est a lateribus hinc inde Subdiaconi, ita ut unus stet ad cornu Epistolæ, alter ad cornu Evangelii e regione, quatenus Altaris cornua ante infimum gradum, directe Ceroferariis

rariis respondeat: Thuriferarii vero locus est directe post Subdiaconum, ita ut sit proportionata Crux in ministris ad Altare stantibus.

5. *Facit cum ipsis Confessionem.* Celebrans in Missa Solemni peragit cum Ministris Confessionem prout in Missa privata cum hac animadversione: cum dicit: *Vobis Fratres: Vos Fratres*, aliquantulum se convertit ad Ministros Sacros, videlicet dum dicit *Vobis; Vos*, se convertit ad Diaconum; dum dicit *Fratres* ad Subdiaconum: quod idem facit, dum dicit *Misereatur* se convertit ad Diaconum; dum dicit *Vestri* ad Subdiaconum. Ministri dum dicunt: *Misereatur tui* usque ad finem, se inclinant versus Celebrantem pariter adhuc profunde inclinatum: & dum incipiunt *Confiteor*, Celebrans se erigit, Ministri vero profunde inclinati vertunt se ad Altare; ad illa vero verba: *Tibi Pater: Te Pater*, profunde inclinati convertunt se ad Celebrantem. Deinde dum Celebrans erectus dicit precem: *Misereatur Vestri &c.* donec totam hanc precem finiverit, Ministri manent profunde inclinati versus Altare; cum vero incipit: *Indulgentiam*, Ministri se erigunt, & se signant cum eo. Ad ea verba: *Deus tu conversus &c.* inclinant se cum Celebrante, non tamen disjungant manus ad vocem *oremus* nam id facit solus Celebrans adhuc inclinatus, & statim eas conjungit.

Advertat etiam Celebrans, ut ita moderate se gerat in iis, quæ sui sunt muneris, ut a Ministris omnia modeste fiant, ne nimia festinatione peragant, quæ debent. Advertat item, ut recitet submissa voce, audientibus tamen Ministris Sacris, ea quæ in Missis privatis dicuntur clara, & intelligibili voce, ne, si attollat vocem, confusionem inter Cantores pariat. Excipiuntur tamen ea, quæ sonora voce cantare debet. Ulterius etiam advertant tam Celebrans, quam Sacri Ministri, ut dum stant ante Altare manibus junctis ante pectus, quantum fieri potest, manibus non tangant Planetam, Dalmaticam, & Tunicellam, quod facile assequen-

tur, sicubitos approximaverint propius pectori neque prorsus manus submittant Planetæ, Dalmaticæ, aut Tunicellæ.

Statim ac Celebrans incipit Confessionem, nimirum Antiphonam, & Psal. *Judica me Deus*, qui simul cum *Confiteor* integrat partem illam Missæ, quæ dicitur Confessio, Chorus incipit cantare *Introitum*.

## A D D I T I O.

### DE ASPERSIONE AQUAE BENEDICTÆ DIEBUS DOMINICIS.

Cum qualibet die Dominica debeat fieri aspersio Aquæ benedictæ ab ipsomet Celebrante, ut statuit S. Ric. Congr. 27. Novem. 1632. & 16. Nov. 1649. Item 30. Sept. 1679. ut de ea habeatur plena informatio, explicatur hic Rubrica posita circa finem Missalis Titulo: *Ordo ad faciendam aquam benedictam.*

„Rubrica. Die Dominica, in Sacristia præparato „Sale & aqua benedicenda, Sacerdos celebraturus Missam, „vel alius ad id deputatus, Alba, vel superpelliceo indutus „cum Stola circa collum, primo dicit &c.

De benedicendo aqua qualibet die Dominica, præceptum urget adeo rigorosum, ut Gavantus *part. 4. tit. 19. num. 6.* constanter asseveraverit, nunquam omitti debere tali die hujusmodi asperionem, & præcedenter benedictionem; idque variis auctoritatibus probat Merati *part. 4. tit. 19. num. 1.* Ex quibus ipse concludit, quod non tantum fieri debeat aspersio ex hac aqua, sed etiam nova benedictio qualibet die Dominica, contra malam consuetudinem nonnullarum Ecclesiarum, in quibus utique fit aspersio, sed ex aqua jam præcedentibus diebus benedicta, quod aperte est contra Riturum præscribentem hanc renovationem Aquæ benedictæ qualibet Dominica faciendam, ad evitandam facilem ejus corruptionem, & commixtionem cum sordibus. Hæc Merati *loco cit.*

„Ru-

„Rubrica. Finita benedictione, Sacerdos (1.) Celebraturus indutus Pluviali coloris Officio convenientis, accedit ad Altare: & ibi (2.) ad gradus cum Ministris genuflexus, etiam tempore Paschali, accipit a Diacono aspersorium, & primo ter (3.) aspergat Altare, deinde se, & erectus (4.) Ministros, incipiens (5.) Antiphonam, *Asperges me*: & Chorus prosequitur: *Domine hyssopo &c.* Interim Celebrans aspergit (6.) Clerum, deinde Populum, dicens submissa voce cum (7.) Ministris Psalmum: *Miserere mei Deus.*

1. *Sacerdos Celebraturus &c.* Qualibet die Dominica Sacerdos celebraturus, sicut etiam omnes Ministri ornati eo modo, ut supra Titulo, *de ingressu Sacerdotis ad Altare num. 3.* explicatum est, ex Sacristia ad Altare eo modo, & ordine accedunt, excepto quod Celebrans debeat esse ornatus Pluviali, cujus fimbrias per viam elevare debent Sacri Ministri, ut pariter *loc. cit.* explicatum est; & tam Celebrans, quam Ministri debent esse sine Manipulis: Thuriferarius vero loco thuribuli portat manu sinistra vas aquæ benedictæ, & dextra aspersorium.

2. *Ibi ad gradus cum Ministris genuflexus.* Postquam Celebrans cum Ministris pervenerint ante Altare, & se collocaverint eo ordine ut supra dictum est Titulo: *De ingressu ad Altare*, omnes genuflectunt super infimum gradum Altaris utroque genu, Thuriferarius vero cum vase aquæ benedictæ genuflectit in plano a dextris Diaconi. Ita omnibus dispositis, Diaconus accipit a Thuriferario aspersorium madefactum aqua benedicta; absque osculis a Thuriferario præstandis: Diaconus autem aspersorium tradit Celebranti cum osculo illius in ima parte manubrii, & dextræ Celebrantis.

3. *Ter aspergat Altare.* Celebrans accepto aspersorio a Diacono, genuflexus manens, etiam tempore Paschali, intonat Antiphonam, *Asperges me*: & tempore Paschali: *Vidi aquam*, quam Chorus prosequitur: & notandum quod dum

dum Celebrans intonat Antiphonam, simul ter aspergit Altare, primo in medio, deinde versus cornu Evangelii, & tertio versus cornu Epistolæ. Si autem sit expositum SS. Sacramentum, abstinendum est ab asperzione Altaris, sicut etiam Diaconus tunc abstinere debet ab osculis asperforii, & manus Celebrantis.

4. *Et erectus Ministros.* Notandum hic in aliquibus Missalibus adesse errorem typi, nempe loco *erectus*, haberi *erectos*, qui error corrigi debet. Itaque postquam Celebrans genuflexus manens aspergit Altare, & deinde se ipsum, signans asperforio madido suam frontem, mox surgit, & aspergit Sacros Ministros, primo Diaconum. & postea Subdiaconum, qui deinde pariter surgunt.

5. *Incipiens Antiphonam.* Merati *part. 4. tit. 19. num. 11.* ait. Oppositæ Sententiæ conciliabuntur, si inhæreamus Cæremoniali Episcoporum *lib. 2. cap. 31. §. 3.* ut nec præmittenda, nec postponenda sit prædicta Antiphona. Ut nempe dum incipit aspergere, simul incipiat intonare Antiphonam.

6. *Aspergit Clerum.* Celebrans postquam asperferit Ministros Sacros, tradit asperforium Diacono, qui illud cum debitis osculis recipit, & postea tradit Thuriferario; deinde facta debita reverentia Altari, & Cruci, procedunt ad Chorum: & quia apud nos fere ubique Chorus est post Altare, Celebrans, & Diaconus se parum retrahunt ab Altare, ut Subdiaconus ante ipsos possit procedere, qui statim vadit ad partem Epistolæ. absque eo quod, dum transit per medium novam faciat genuflexionem, & ex parte a cornu Epistolæ primus Chorum ingreditur Thuriferarius, portans aquam benedictam, & asperforium; subsequitur Subdiaconus, postea Diaconus, ultimo Celebrans: Ceroferarii vero per totam asperzionem manent stantes in suis locis. Deinde Celebrans stans in medio Chori (ex quo medio Clerici interim recedunt ad partes) facie ad Superiorem conversa, medius  
inter

inter Diaconum a dextris, & Subdiaconum a sinistris, qui fimbrias Pluvialis modo consveto elevant, profundam, simul cum Ministris, facit inclinationem Superiori; deinde se convertunt ad digniorem partem Chori, & una capitis, inclinatione salutant omnes ibi stantes; & postea ad alteram partem, pariter ibi existentes salutantes. Tandem Celebrans accepto aspersorio a Diacono aspergit Superiorem, postea eos qui sunt in parte dextra, deinde ex parte sinistra. Si autem adesset in Choro Minister Provincialis, vel Visitator Generalis, hos Celebrans non aspergit, sed porrigit illis aspersorium, ut illi se ipsos aspergant, vel signando suam frontem aspersorio madido, vel ex aspersorio digito indice accipiendo aquam, & madido digito sibi formando Crucem in fronte. Finita aspersione Chori, Celebrans reddit aspersorium Diacono, & hic Thuriferario, & factis reverentiis ut prius, revertuntur e Choro ante Altare exeundo per portam, quæ est a cornu Evangelii: Thuriferarius se confert ad suum locum, Subdiaconus vero antequam accedat ad suum locum, parum accedit, ut ante ipsum transire quæat Diaconus, & Celebrans. Postquam omnes pervenerint ad suum locum, nempe Celebrans ad medium ante infimum gradum Altaris habens ad dextram Diaconum, & ad sinistram Subdiaconum omnes simul convenientem reverentiam faciant Altari: Diaconus tradit Celebranti aspersorium, & se convertunt ad Populum aspergendum; Diaconus accedit ad dextram Celebrantis, & Subdiaconus ad ejus sinistram, elevantes semper fimbriam Pluvialis: Thuriferarius portans vas aquæ benedictæ, a dextris Diaconi parumper antecedit, ut dum opus fuerit, aquam subministret.

7. *Dicens cum Ministris Psalmum Miserere* Celebrans cum Ministris submissa voce debent dicere totam Antiphonam, *Asperges me* &c. vel *Vidi aquam* &c. etiamsi Officium diei non sit duplex: deinde alternatim totum pariter debent dicere Psalmum: *Miserere mei Deus* &c. Ita Rubrica Missa-

lis, quæ tamen Rubrica non præscribit, ut dicatur totus Psalmus: *Confitemini Domino &c.* tempore Paschali; attamen si Celebrans, & Ministri eundem memoriter scirent, congruum esset, ut dictum quoque Psalmum recitarent. Ita Merati *loc. cit. num. 15.*

„Rubrica. Et repetitur Antiphona *Asperges me.*  
 „Hæc Antiphona prædicto modo dicitur ad asperisionem aquæ  
 „benedictæ in Dominicis per totum annum excepta Dominica  
 „de Passione, & Dominica Palmarum, in quibus non dicitur  
 „*Gloria Patri*, sed post Psalmum *Miserere mei Deus*, repeti-  
 „tur immediate Antiphona *Asperges me.* Excepto etiam  
 „tempore Paschali, scilicet a Dominica Paschæ, usque ad Pen-  
 „tecosten inclusive, quo tempore cantatur sequens Antipho-  
 „na: *Vidi aquam &c.* In Dominica vero Trinitatis resumi-  
 „tur: *Asperges me Domine &c.*

Hæc Rubrica per se patet, solummodo observandum, quod Antiphona *Asperges me*, vel *Vidi aquam*, debeat semper tota dici a Celebrante, & tota a Choro cantari tam ante, quam post Psalmum, non autem, ut quidam male faciunt, post Psalmum per medium detruncari, reassumendo eam ex medio, nempe a *Lavabis me*, vel: *Et omnes ad quos: Cum non sit Responsorium, sed Antiphona.*

„Rubrica. Finita Antiphona supradicto modo, Sa-  
 „cerdos, qui aspersit aquam, reversus ad Altare, stans ante  
 „gradus Altaris junctis manibus, dicat *v. Ostende nobis Domi-  
 „ne &c.* Tempore Paschali additur *Alleluia.*

Celebrans terminata Populi asperisione, reversus ante Altare, ultimo aspergit Ceroferarios, & Thuriferarium, & facta Altari simul cum Ministris debita reverentia, reddit aspersorium Diacono, & hic Thuriferario, qui illud simul cum vase aquæ benedictæ reponit penes Credentiam, & accipit librum, vel tabellam, quam porrigit Diacono. Postquam Chorus finiverit cantum Celebrans stans erectus junctis manibus, tenentibus librum, vel tabellam Diacono,  
 &

& Subdiacono, dicit in cantu *v. Ostende nobis Sc. & Orationem.*

Finita Oratione, Diaconus reddit librum, vel tabelam Thuriferario, & Celebrans simul cum Ministris, facta convenienti reverentia Altari, omnes se recipiunt versus cornu Epistolæ, ubi Ministri Sacri suos Manipulos accipiunt, & Celebrans deponit Pluviale (quod ambabus manibus & ex dorso recipit Thuriferarius) deinde adjuvantibus Ceroferrariis capit Manipulum, & Planetam. Sic ornatus redit cum Ministris ad Altare pro facienda Confessione. Thuriferarius vero defert Pluviale in Sacristiam, & reposito eo in suo loco, accipit thuribulum cum navicula, & mox redit ad Altare.

Si vero contingat, quod Sacerdos celebraturus sit Missam sine Sacris Ministris, tunc is in Sacristia ornatus Pluviali, procedit ad Altare præcedente uno Acolytha cum vase aquæ benedictæ, & altero cum asperforio, vel saltem præcedente uno portante aquæ benedictæ vas manu sinistra, & asperforium manu dextra, usque ante infimum gradum Altaris, ibique genuflectit, asperforium madidum accipit, & genuflexus intonat Antiphonam, ter aspergens Altare, deinde se ipsum, postea surgens aspergit Acolythos, illisque præcedentibus intrat Chorum ex parte Epistolæ, ibique, ut supra dictum est, aspergit (factis reverentiis ante, & post) Clerum, & revertitur ex parte Evangelii ante Altare, cui ante medium facta convenienti reverentia, se convertit ad Populum, eumque aspergit. Quod si inserviant duo Acolythi, progrediuntur a lateribus Celebrantis, & fimbrias Pluvialis elevant, & qui incedit a dextris, portat vas aquæ benedictæ. Si vero solum unus assistat, is incedit a dextris Celebrantis, manu sinistra elevans fimbriam Pluvialis, & manu dextra portans vas aquæ benedictæ. Aspersione completa, Sacerdos ad Altare reversus, dicit versum, & orationem, prout in Missali; quibus decantatis: facta Altari reverentia,

rentia, retrahit se versus cornu Epistolæ, vel redibit ad Sacristiam, ubi deposito Pluviali, accipit Manipulum, & Planetam, & reversus ad Altare, Missam celebrat.

### AD TITULUM IV.

#### DE INTROITU, KYRIE ELEISON, ET GLORIA IN EXCELSIS.

„Rubrica IV. In Missa Solemni Sacerdos facta Con-  
 „fessione, ascendit (1.) cum Ministris ad medium Altaris,  
 „ubi dicto: *Oramus te Domine*, & osculato (2.) Altari, ponit  
 „(3.) incensum in thuribulum, ministrante (4.) Diacono na-  
 „viculam, & Thuriferario (5.) thuribulum. Diaconus pa-  
 „rum inclinatus versus Celebrantem dicit: *Benedicite Pater*  
 „*Reverende*, & osculatur (6.) cochlear, & manum Celebran-  
 „tis ante, & post. Celebrans ter (7.) incensum ponit in  
 „thuribulum, dices interim: *ab illo benedicaris*, & depo sito  
 „(8) cochleari, producens manu dextra signum Crucis su-  
 „per thus, illud benedicit. Postea Diaconus (9.) dimissa  
 „navicula accipit thuribulum, & dat Celebranti, osculata  
 „prius catenularum summitate, & manu illius dextra; qui  
 „facta (10.) Cruci profunda reverentia, eam ter incensat,  
 „nihil dicens: & facta iterum Cruci reverentia, incensat  
 „(11.) Altare, ter ducens thuribulum æquali distantia, prout  
 „distribuuntur candelabra, a medio usque ad cornu Episto-  
 „læ; ubi demissa manu, thurificat illius postremam partem  
 „inferiorem, mox superiorem, bis ducto thurihulo: & con-  
 „versus ad Altare elevans manum incensat ejus planitiem,  
 „seu mensam in parte anteriori, ter ducens thuribulum, us-  
 „que ad medium; ubi facta Cruci reverentia, procedendo  
 „thurificat aliud latus Altaris triplici ductu usque ad cornu  
 „Evangelii; & pariter incensata inferiori, & superiori parte  
 „ipsius cornu Evangelii duplici ductu, adhuc stans ibidem,  
 „elevat thuribulum, & ter incensat superiorem tabulæ par-  
 „tem

„tem versus medium Altaris, ut fecit in cornu Epistolæ;  
 „deinde manu aliquantulum demissa, incensat anteriorem  
 „ejus partem, seu frontem ter ducens thuribulum dum pro-  
 „cedit a cornu Evangelii usque ad medium Altaris: & facta  
 „Cruci reverentia incensat similiter triplici ductu reliquam  
 „partem anteriorem usque ad cornu Epistolæ: ubi (12) red-  
 „dito thuribulo ipsi Diacono, ab eo ipse solus incensatur.

1. *Ascendit cum Ministris.* Sacerdos dicto *Oremus* ad-  
 huc inclinatus, se erigit, & statim manibus junctis ascendit  
 ad Altare, submissa voce dicendo: *Aufer a nobis.* Diaconus  
 quoque, & Subdiaconus, nulla tunc facta genuflexione,  
 ascendunt pariter cum Celebrante, Diacono sinistra manu,  
 Subdiacono dextra Albam, & vestem ipsius anteriorem pau-  
 lisper elevantibus, altera manu infra pectus admota, quod  
 in similibus semper faciunt.

2. *Osculato Altari.* Celebrans sub Oratione: *Oramus*  
*te Domine*, de more osculatur Altare manibus super eo ex-  
 pansionis: Ministri vero Sacri interim genuflectunt unico genu  
 Cruci, manibus junctis ante pectus, & non osculantur Alta-  
 re, neque illud manibus tangant, quod semper servare de-  
 bent genuflectentes, aut se inclinantes, ita ut nunquam ma-  
 nus super Altare teneant: genuflectunt vero propter primum  
 accessum ad Altare, quod observari debet, etiamsi non adsit  
 in Tabernaculo SS. Sacramentum.

3. *Ponit incensum.* Celebrans osculato Altari, & finita  
 Oratione, *Oramus te Domine*, stans in medio Altaris conver-  
 tit faciem suam ad cornu Epistolæ, Subdiaconus stat quasi  
 a sinistris Celebrantis aliquantulum post eum, faciei pariter  
 aliquantulum ad Altare conversa: Diaconus vero stat ad dex-  
 tram ejusdem Celebrantis, & Thuriferarius ad dextram Dia-  
 cono; quod ut commode fiat, Diaconus se retrahat ab Altari,  
 & si Suppedaneum non sit adeo amplum, Diaconus descen-  
 dat ad secundum gradum, ut detur locus pro Thuriferario  
 inter illius dextram, & Altare, ad hoc ut Celebrans com-

mode possit imponere incensum. Ideo Thuriferarius eo tempore, quo Sacerdos cum Ministris ascendit ad Altare, ipse per gradus laterales Epistolæ ascendit fere ad medium Altaris super suppedaneum, ubi facta genuflexione stat a dextris Diaconi.

4. *Ministrante Diacono naviculam.* Omnibus ut supra locatis, Diaconus accipit manu dextra naviculam apertam a Thuriferario, de manu pariter dextra illius sine osculo porrigentis, & statim se convertit ad Celebrantem.

5. *Thuriferario thuribulum.* Thuriferarius postquam naviculam tradidit Diacono, stans inclinatus, sustentat anulum majorem sinistra manu, & elevans alterum anulum manu dextra, eademque dextra complectens catenulas prope medium earundem inter operculum, & thuribulum, ministrat Celebranti idem thuribulum æqualiter elevatum usque ad altitudinem naviculæ, ut Celebrans ex navicula commode immittere possit incensum in thuribulum, absque eo, quod cogatur se inclinare.

6. *Osculatur cochlear, & manum.* Diaconus stans versus Celebrantem parum inclinatus, tenens manu sinistra naviculam, ex ea manu dextra extrahit cochlear vacuum, & illud accipit circa partem inferiorem manubrii prope vas ejusdem cochlearis, osculatur illud in manubrii summitate, & tradit Celebranti, cujus manum dextram in exteriori parte, non vero digitos osculatur, & dicit: *Benedicite Pater Reverende:* voce intelligibili, sed non alta.

7. *Ter incensum ponit.* Celebrans accepto cochleari a Diacono, sinistram tenens infra pectus positam, ter e navicula thus sumit eodem cochleari, & ter in thuribulum immittit, scilicet in medio, a dextris, & a sinistris, dicens: *ab illo benedicaris &c.* Verba autem prædicta sic dispensare debet, videlicet ut in prima thuris immissione dicat: *Ab illo benedicaris;* in secunda: *In cujus honore;* in tertia: *Crema-beris. Amen.*

8. *Deposito cochleari producens manu &c.* Celebrans statim reddit cochlear Diacono, qui illud recipit manu dextra in inferiori parte manubrii, osculata prius manu Celebrantis, ut supra, & mox osculatur cochlear in summitate manubrii, statimque illud reponit in naviculam, non permittens ut Celebrans illud reponat. Celebrans vero statim ac dimisit cochlear, dextra manu producit signum Crucis super thus positum in thuribulo, non addendo: *In Nomine Patris &c.*, sed nihil dicens. Thuriferarius tamen advertat, ne claudat, nec moveat thuribulum, antequam Celebrans produxerit signum Crucis. Prædicto vero modo, & formula benedicendi thus, nimirum: *Ab illo benedicaris &c.*, semper utetur Celebrans, quotiescunque benedicit incensum, præterquam ante thurificationem Oblatorum, ut infra suo loco dicetur. In super hic advertendum, quod Subdiaconus per totum hoc tempus stare debet quasi a sinistris Celebrantis, & facie aliquantulum versa ad Altare.

9. *Diaconus dimissa navicula accipit thuribulum.* Postquam Celebrans produxerit signum Crucis super thus, statim thuriferarius se erigit ab inclinatione, & mox cooperculum thuribuli cum media catenula dimittit, & illud claudit, capitque idem thuribulum per anulum majorem manu dextra, & manu sinistra recipit naviculam a Diacono sine osculis, & manu dextra porrigit thuribulum Diacono, qui illud accipit manu dextra per catenularum summitatem, manu vero sinistra illud apprehendit per catenulas in parte inferiori parum supra vas, ita ut intra manum ejus sinistram, & intra vas thuribuli Celebrans manu sua dextra possit capere catenulas. Mox Diaconus osculatur summitatem catenularum, illamque ponat in sinistra Celebrantis, infimam vero extremitatem catenularum prope vas, seu cooperculum ponat in ejusdem dextra, quam manum dextram pariter osculatur in parte exteriori, dum ea Celebrans accipit thuribulum. Sic semper thuribulum exhibetur, quando in illam tantum manum, cui offertur, transire debet. Thuriferarius

rius postquam thuribulum tradidit Diacono, facta genuflexione recedit per gradus laterales Epistolæ, advertens ne terga vertat Cruci, & reponit naviculam super Credentia, & postea redit ad cornu Epistolæ, ibique iterum genuflectit Cruci, amovet Cussum cum Missali de Altari, & iterum facta debita reverentia Cruci, descendit extra gradus, & ubi Cussum cum Missali sustinet ambabus manibus ante pectus prope cornu Epistolæ, facie versa ad Altare, donec thurificatio mensæ Altaris in eodem cornu sit completa: ubi mox reponat dictum Cussum cum Missali, deinde genuflectat, & revertatur ad eundem locum, ubi stabit iterum, donec finita sit totius Altaris thurificatio. Amovetur autem liber cum suo Cussum, ne sit impedimento Celebranti in thurificatione.

10. *Qui facta Cruci profunda reverentia, cum ter incensat, nihil dicens.* Celebrans accepto thuribulo, manum sinistram, qua summitatem catenularum juxta manubrium complectitur, admovens infra pectus, eamque immobilem tenens in tota incensatione (nisi sit genuflectendum) dextra vero easdem catenulas simul junctas prope operculum firmas tenens, medius inter Ministros Sacros, vertit se ad Altare, & facit Cruci profundam inclinationem, etiamsi esset in ea veræ Crucis particula (aliter dicendum si adesset in tabernaculo Sanctissimum) Ministri vero Sacri semper genuflectunt Cruci, licet Celebrans eidem se tantum inclinet. Deinde ter æquali ductu incensat Crucem, nihil dicens, & post unam quamque incensationem tantillum quiescens; quibus finitis iterum Cruci se profunde inclinat, genuflectentibus Ministris Sacris ut supra. Dum Celebrans incipit Crucem incensare Diaconus manu sinistra, & Subdiaconus manu dextra Planetæ partem circa humeros, & brachia Celebrantis paululum elevant, altera manu pectori admota, & sic ambo comitantur Celebrantem in tota incensatione, aliquantulum ab eo remoti. Ceroferarii, statim ac Celebrans incipit incensare

cenfare Crucem stantes in suis locis ad cornua infimi gradus Altaris, ut supra dictum est, elevant sua candelabra cum candelis accensis, eaque elevata tenent per totam incensationem Altaris, semperque stant erecti, & nunquam genuflectunt, etiamsi alii in transitu ante medium Altaris genuflectant.

II. *Incensat Altare.* Postea Celebrans incensat Altare, incipiens a latere Epistolæ, & faciem ad illud convertens, ter ducit thuribulum æquali distantia, prout distribuuntur candelabra, incipiens a parte proximiori Cruci, recta linea, ter incensat usque ad terminum illius cornu Epistolæ, & advertat Celebrans, has tres incensationes esse faciendas, etiamsi non essent tria candelabra, sed pauciora vel plura: non enim incensantur candelabra, sed pars posterior mensæ Altaris. Interim tot passus promovendi, quod thuribuli ductus, ut manus cum pede, quantum fieri potest, concordet. Completa tertia incensatione, Celebrans stans in cornu Epistolæ, aliquantulum inclinat se, & demissa manu cum thuribulo, semel incensat inferiorem partem lateralem Altaris, deinde superiorem, bis ducendo thuribulum, semel in parte inferiori, & iterum semel in superiori: mox conversus ad Altare, & faciem ad medium vertens, elevat manum, & incensat in superiori parte planitiem anteriorem Altaris, ducens thuribulum obliqua linea velut in semicirculum a dextra sua ad sinistram, & æquali distantia terna vice, ac procedendo ad medium Altaris, ut prius, tot passus faciens, quod incensationes. Deinde perveniens ad medium Altaris, ibi profundam facit (si non adsit in Tabernaculo SS. Sacramentum) reverentiam Cruci, genuflectentibus Ministris Sacris; ac incipit posteriorem planitiem Altaris thurificare a latere Evangelii, ter ducens thuribulum linea recta, incipiens a parte proximiori Cruci, sicut supra dictum est de parte Epistolæ: post tertiam incensationem in ipso cornu Evangelii, parum inclinatus incensat semel inferiorem, & semel etiam

superiorem partem lateralem ipsius cornu Evangelii; deinde elevans thuribulum, & stans in eodem loco, nec ultra progrediens, sed solum faciem convertens ad medium Altaris, incensat planitiem anteriorem Altaris in cornu Evangelii, ter ducens thuribulum quasi in semicirculum, prout fecit in cornu Epistolæ, sed cum hoc discrimine, quod in parte Epistolæ duxit thuribulum a sua dextra ad sinistram: in cornu vero Evangelii ducendum est a sua sinistra ad dextram: nec hoc loco fit ulla reverentia Cruci, quia tunc non accedit usque ad medium, sed statim quasi retrogreditur ad cornu Evangelii, ubi manu aliquantulum demissa, incensat partem illius anteriorem, seu frontem, ter ducens recta linea thuribulum a cornu Evangelii usque ad medium, ad quod simul progreditur. Perveniens ad medium facit Cruci reverentiam ut supra, genuflectentibus Ministris, & statim incensat triplici ductu alteram partem anteriorem, seu frontem Altaris a medio usque ad cornu Epistolæ.

12. *Ubi reddito thuribulo &c.* Finita thurificatione, Celebrans convertens faciem ad Diaconum, illi reddit thuribulum utraque manu, Diaconus manu quoque utraque illud recipit; sed prius manum suam, vel ambas manus supponit dextræ Celebrantis, quam osculatur in parte exteriori; deinde capit thuribulum prope operculum manu dextra, sinistra vero manubrium, illud etiam osculando. Deinde Celebrans ita conversus ad Diaconum permanet stans in eodem loco junctis manibus ante pectus, & brachio sinistro quasi tangens frontem Altaris; Diaconus vero parum retrocedit in eodem loco, & conversus ad Celebrantem, illi facit ante, & post incensationem profundam inclinationem, & eum incensat triplici ductu, linea recta ducendo thuribulum; Celebrans vero nullatenus se inclinat nec ante, nec post. Subdiaconus finita incensatione Altaris descendit in planum, & stat a sinistris Diaconi manibus junctis ante pectus, dum Diaconus.

conus Celebrantem incensat, sed se non inclinatur Celebranti cum Diacono.

In actu thurificationis Celebrans graviter se gerat (sicut & Diaconus, & alius quilibet proportionaliter) modeste, quiete, & sine prostratione, non personam, nec caput ullo modo moveat, dum ducit, aut reducit thuribulum; quod dum ducit, & reducit, id faciat leviter, & competenti mora, & cum quadam pausa inter unum, & alterum ductum, manum vero sinistram immobilem pectori admotam retineat, nisi sit genuflectendum. Peracta supradicta thurificatione, Diaconus thuribulum ambabus manibus, prout habet, restituit Thuriferario, qui eo recepto se confert ad suum locum.

„Rubrica V. Si vero in Altari fuerint Reliquiæ, seu „(13.) Imagines Sanctorum, incensata (14.) Cruci, & facta „ei reverentia, antequam discedat e medio Altaris, primum „incensat eas, quæ a dextris sunt, id est a parte Evangelii „prope Crucem, bis ducens thuribulum, & iterum facta „Cruci reverentia, similiter incensat bis alias, quæ sunt a „sinistris, hoc est a parte Epistolæ; deinde prosequitur incen- „sationem Altaris, ut supra ter ducens thuribulum in uno- „quoque latere, etiamsi in eo essent plures Reliquiæ, vel „Imagines seu etiam plura, vel pauciora candelabra.

13. *Seu Imagines Sanctorum.* Imagines debent esse sculptæ, non vero illæ, quæ sunt depictæ in parietibus, aut tabulis, ut commentatur super hanc Rubricam Gavantus, & docet Bauldry *part. 2. cap. 9. art. 2. num. 11.* E contra vero Hippolythus a portu vicentino *super hanc Rubricam num. 1. Quarti part. 2. tit. 4. Rubr. 5. Merati part. 2. tit. 4. num. 27. Cavalieri tom. 5. cap. 9. num. 22.* docent particulam seu explicare idem quod sonat præcedens nomen: nempe incensandas esse Reliquias, sive sint in vasis, sive repositæ in Statuis, consequenter non esse incensandas Imagines, seu Statuas Sanctorum in quibus non habentur inclusæ Sacræ Reliquiæ.

Sed oppositum, & pro Sententia Gavanti, & Bauldry declaratum fuit a Sac. Rit. Congr. cui propositum fuit sequens dubium. Cum Rubrica Missalis de Introitu *num.* 5. præscribat, quod incensata Cruce incensentur & Reliquiæ, seu Imagines Sanctorum; quæritur an Imagines Sanctorum debeant habere inclusas Sanctorum Reliquias, juxta Quarti *part.* 2. *lib.* 4. de Introitu. & Merati *tom.* I. *part.* 2. *tit.* 4? Responsum fuit, non esse de necessitate in sculptis Sanctorum Imaginibus in Altari dispositis, Sacras includere Reliquias ad hoc, ut incensata Cruce valeant illæ a Celebrante thurificare. S. Rit. Congr. 21. Mart. 1744.

14. *Incensata Cruce &c.* Docet, loco mox citato, Merati, quod incensata Cruce a Celebrante, & facta eidem Cruci profunda reverentia (Ministris vero Sacris semper genuflectentibus, ut supra dictum est) antequam discedat e medio Altaris, si in medio ejusdem Altaris sit exposita aliqua insignis Reliquia, ut caput, aut brachium, a fortiori si sit totum corpus alicujus Sancti; immediate post Crucem incensari debet duplici ductu, absque ulla reverentia, ob præsentiam Crucis, cui solum profunde se inclinare debet, ut pote Christum Dominum repræsentanti; quemadmodum abstinemus a genuflexione, quæ fit v.g. Episcopo Proprio ad præsentiam alicujus Cardinalis, vel Legati Apostolici. Deinde incensata prædicta Reliquia insigni in medio Altaris, si quæ erit, absque ulla capitis inclinatione, ut supra, Celebrans stans ibidem, antequam discedat a medio, primum incensabit eas, quæ sunt a dextris, id est a parte Evangelii, incipiendo ab iis, quæ sunt Cruci, seu Tabernaculo proximiores, bis tantummodo ducens thuribulum, quamvis plures, vel pauciores fuerint Reliquiæ, aut Statuæ, nec illis se inclinabit; sed facta deinde iterum profunda inclinatione Cruci, simili ritu bis incensabit alias Reliquias, aut Statuas, quæ sunt a sinistris, seu a latere Epistolæ; & tandem procedet

det absque nova inclinatione ad incensandum Altare, ut supra exposuimus.

„Rubrica VI. Si in Altari fuerit Tabernaculum „Sanctissimi Sacramenti, accepto thuribulo, antequam incipiat incensationem (15.) genuflectit, quod idem facit (16.) „quotiescunque transit ante medium Altaris.

15. *Genuflectit.* Si adsit in Tabernaculo inclusum SS. Sacramentum, tunc Celebrans non inclinatur caput Cruci, quam incensare debet, sed accepto thuribulo a Diacono, antequam incensationem incipiat, genuflectit ponens extremitatem manuum super Altare, ut facilius genuflectere, & etiam surgere possit: post genuflexionem non debet aliam reverentiam Cruci facere, sed statim eam incensat triplici ductu; ea autem incensata iterum Sacramento genuflectit, quamvis in Tabernaculo incluso. Unde advertendum hoc loco cum Gavanto, Merati, & aliis, quod Sacerdos sua genuflexione adorat quidem Sacramentum inclusum in Tabernaculo, sed non thurificat nisi Crucem: adorat enim, quod latet, & patet; nempe Sacramentum, & Crucem: sed incensat id solum, quod manifeste patet, nempe Crucem.

16. *Quotiescunque transit &c.* Item genuflectit Celebrans unico genu, quoties, dum incensat Altare, transit ante illius medium, quod bis occurrit; nempe finita incensatione planicie Altaris in cornu Epistolæ, & finita incensatione frontis ejusdem Altaris in cornu Evangelii. Unde bene notandum cum communi auctorum; hanc genuflexionem esse a Rubrica præscriptam solummodo quando fit transitus in ipso thurificationis actu, non autem de quolibet alio transitu tempore Missæ; in alio enim non debet genuflectere, nisi SS. Sacramentum sit expositum. Ceroferarii tamen tenentes sua candelabra elevata per totam thurificationem, nunquam debent genuflectere, dum Celebrans cum Sacris Ministris genuflectunt, quia ipsi repræsentant candelabra immobilia.

„Rubrica VII. Diaconus, & Subdiaconus hinc inde  
 „assistunt (17.) Celebranti, dum incensat, & dum transeunt  
 „ante Crucem (18.) semper genuflectunt. Deinde (19.) Ce-  
 „lebrans, Diacono a dextris ejus, Subdiacono a dextris Dia-  
 „coni stantibus in cornu Epistolæ, legit *Introitum*, & *Kyrie*  
 „*eleison*. Cum vero intonat (20.) Hymnum: *Gloria in excelsis*  
 „*Deo*, Diaconus, & Subdiaconus unus post alium stant  
 „a tergo Celebrantis; postea (21.) ascendunt ad Altare, &  
 „hinc inde, Diaconus a dextris, Subdiaconus a sinistris, cum  
 „Celebrante Hymnum (22.) submissa voce prosequuntur  
 „usque ad finem. Quod etiam servatur cum dicitur *Credo*,  
 „& cum dicitur: *Dominus vobiscum*, *Oratio*, *Præfatio*, & *Pa-*  
 „*ter noster*, Diaconus, & Subdiaconus similiter (23.) stant  
 „unus post alterum a tergo Celebrantis.

17. *Assistunt Celebranti*. Hinc inde elevando (ut etiam  
 dictum est supra ad Rubricam 4. hujus Tituli num. 10.) Pla-  
 netæ eam partem posteriorem, quæ est circa brachia prope  
 humeros Celebrantis, ne eum impediat.

18. *Ante Crucem semper genuflectunt*. Quamvis Cele-  
 brans, ex eo, quod in Altari sit sola Crux, absque Vene-  
 rabili incluso in Tabernaculo, solam faciat profundam capi-  
 tis inclinationem Cruci, Ministri tamen, ut omnes docent  
 auctores, cum id Rubrica expresse præscribat, semper ante  
 solam Crucem genuflectere debent, ut etiam supra dictum  
 est num. 10. & 11.

19. *Deinde Celebrans &c.* Postquam Celebrans incen-  
 satus fuerit a Diacono, se convertit ad librum, Diaconus  
 ascendit supra secundum gradum, & stat a dextram Cele-  
 brantis, Subdiaconus vero in plano se locat ad dextram Dia-  
 cono, omnes manibus junctis ante pectus. Solus Celebrans  
 legit *Introitum* submissa voce: Ministri vero, dum Celebrans  
 legit *Introitum*, se signare debent sicut ille, & caput de  
 more inclinare, dum illud Celebrans inclinat. Repetito In-  
 troitu Celebrans stans in eodem loco, cum Ministris alterna-  
 tim

tim submissa voce dicit novies *Kyrie, Christe &c.* & permanent omnes in supradicto cornu Epistolæ in eodem situ, quoadusque in Choro cantetur ultimum *Kyrie*. Ceroferarii, dum Celebrans legit Introitum, & dicit cum Ministris *Kyrie*, tenent sua candelabra elevata.

20. *Cum vero intonat Hymnum &c.* Dum Chorus incipit cantare ultimum *Kyrie*, Diaconus se collocat in secundo gradu a tergo Celebrantis, & Subdiaconus a tergo Diaconi in plano in cornu Epistolæ, quos propterea Celebrans parumper expectat, ut se ita collocare quæant: mox Celebrans per suppedaneum penes Altare, Diaconus per eundem secundum gradum, & Subdiaconus per planum eodem tempore, & ordine junctis manibus ante pectus procedunt ad medium Altaris, ibique se locant, formantes cum Celebrante rectam lineam, donec Celebrans incæperit (si dici debeat) *Gloria in excelsis Deo*: Qui Hymnus intonatur a solo Celebrante post decantatum ultimum *Kyrie* a Choro: & dum Celebrans dicit *Gloria*, disjungit manus, quas ante pectus junctas habebat, non super Altare expansas: dum dicit: *in excelsis*, eas disjunctas elevat usque ad humeros: dicens *Deo*, eas iterum jungit ante pectus, non elevans oculos, sed tantum caput inclinans; Ministri quoque caput inclinant ad verbum *Deo*. Ceroferarii statim ac Celebrans incipit intonare *Gloria*, elevant sua candelabra, & elevata tenent, quousque Celebrans finiverit cum Ministris totum Hymnum.

21. *Ascendunt ad Altare.* Finita intonatione a Celebrante, Diaconus, & Subdiaconus in suis locis genuflectunt, mox Diaconus stans in secundo gradu aliquantulum recedit versus cornu Epistolæ, expectans paulisper Subdiaconum, qui ascendit ad eundem gradum paululum versus cornu Evangelii, & sic ambo æqualiter hinc inde simul ascendunt ad latera Celebrantis (quod semper faciunt dum ascendunt ad Altare) ubi non genuflectunt.

22. *Hym-*

22. *Hymnum submissa voce prosequuntur.* Ministri stantes manibus junctis ante pectus ad latera Celebrantis, quorum adventum Celebrans expectare debet, totum Hymnum prosequuntur, non alternatim recitando, sed simul simultate tamen tali, ut non præveniant, sed potius Celebrantem subsequantur: ideoque Celebrans aliquantulum altius, quam illi recitet, dummodo tamen submissa voce recitent omnes. Cum Celebrante caput inclinant, quando opus est, & in fine se signant cum eo.

23. *Similiter stant.* Quando dicto Hymno Celebrans cum Ministris non sedent, sed stant ad Altare, quousque totus Hymnus decantetur a Choro, an tunc Ministri stare debeant quasi pares cum Celebrante ad latera illius, paulo tamen post celebrantem, non conveniunt Doctores, ut refert Merati *part. 2. tit. 4. num. 36.* & Cavalieri *tom. 5. cap. 9. num. 26.* Affirmant Gavantus, Bauldry, Merati, Cavalieri, & alii. Ratio horum est, quia in fine hujus Rubricæ numerantur casus, in quibus Ministri stare debent unus post alium, inter quos iste non enumeratur. Ast hæc ratio non videtur evincere illorum intentum; nam ex textu Rubricæ potius contrarium eruitur, dicit enim Rubrica. *Quod etiam servatur, dum dicitur Credo, & cum dicitur Dominus vobiscum, Oratio, Præfatio, & Pater noster, Diaconus & Subdiaconus similiter stant unus post alterum a tergo Celebrantis.* Ubi particula *Similiter* etiam præsentem casum includit: postquam nempe submissa voce Hymnum cum Celebrante profecuti fuerint usque ad finem, tempore cujus recitationis usque ad finem recitationis Rubrica præscribit, ut Diaconus sit a dextris, & Subdiaconus a sinistris Celebrantis. Apud nos servari solet opposita Sententia; nempe postquam Ministri simul cum Celebrante finiverint Hymnum, facta genuflexione in loco in quo stant, descendunt, & se collocant a tergo Celebrantis unus post alium in linea recta absque nova genuflexione, & cum Ceroferariis stantibus ad cornua infimi gra-

gradus, & Thuriferario stante a tergo post Subdiaconum, efformant Crucem. Cum enim Sacri Ministri ita stare debeant a tergo Celebrantis ad subsequens *Dominus vobiscum*, videtur convenientius, quod statim ac cum Celebrante finiverunt Hymnum, ita se collocent, quam quod toto Hymno decantato a Choro descendant pro uno quasi momento, & statim iterum recedant.

## AD TITULUM V. DE ORATIONE.

„Rubrica V. In Missa Solemni cum dicitur (1.) *Do-*  
 „*minus vobiscum*, & Oratio (2.) Diaconus, & Subdiaco-  
 „nus stant retro (3.) post Celebrantem. *Flectamus* (4.) *genua*,  
 „dicitur a Diacono, a Subdiacono (5.) vero *Levate*, illo pri-  
 „mum genuflectente, hoc primum surgente; Celebrans vero  
 „non (6.) genuflectit.

1. *Cum dicitur Dominus vobiscum.* Expleto totaliter Hymno a Choro, Celebrans osculatur Altare in medio, postea manibus junctis se ad Populum convertit, & dicit in cantu: *Dominus vobiscum*, extendens, elevans, & iterum jungens manus, prout in Missa privata. Ministri vero Sacri stant ut prius unus post alium in linea recta, facie ad Altare versa, nullatenus se inclinat, quemadmodum nunquam se inclinant in hujusmodi Celebrantis conversionibus.

2. *Et Oratio* Dicto *Dominus vobiscum*, Celebrans per suppedaneum de more, Diaconus a dextris Celebrantis per secundum gradum in quo est, Subdiaconus a dextris Diaconi per planum ubi reperitur, procedunt simul ad cornu Epistolæ sine ulla præcedente genuflexione; ubi Celebrans extendens, & jungens manus, & simul caput inclinans Crucis (Ministri pariter caput Crucis inclinant, sed manus non extendunt) dicit in cantu: *Oremus*; deinde cantat Orationem, vel orationes, prout fert ratio Officii. Dum Cele-

brans ad nomen *JESUS*, aut *Sancti*, de quo Missa dicitur, caput inclinat, Ministri pariter caput inclinare debent; qui in fine Orationis non tenentur respondere *Amen*, satis quippe est, quod prædictum *Amen* respondeatur a Choro. Ceroferarii statim ac Celebrans se convertit ad Populum, & dicit: *Dominus vobiscum*, elevant sua candelabra, & elevata tenent per primam Orationem.

3. *Stant retro post Celebrantem.* Hæc Rubrica quo ad punctum, quod tempore Orationis Diaconus debeat stare retro post Celebrantem, supponit (ut colligitur ex omnibus fere Rubricarum Expositoribus) quod adsit Cæremoniarius, aut Presbyter assistens, vel saltem alius Acolythus, seu Clericus de libro, qui Celebranti ostendat Orationem, vel Orationes dicendas, & vertat folia, si opus sit: unde in defectu horum Diaconus stabit ad dextram Celebrantis, & illi Orationes indicabit, foliaque vertet. Subdiaconus tamen semper stare debet in plano directe a tergo Celebrantis.

4. *Flectamus genua.* Quando dicendum est, dicitur a Diacono in tono Orationis, & illud incipiens, simul flectit utrumque genu, & omnes alii cum eo pariter utrumque genu flectunt. Hoc autem observet Diaconus, quod in eo casu, ut dictum est numero præcedenti; dum stat a dextris Celebrantis tempore Orationum, tunc antequam intonet: *Flectamus genua*, prius recedat post Celebrantem, & stans in secundo gradu genuflectat super suppedaneum a tergo Celebrantis, dicendo: *Flectamus genua*: deinde surgens iterum accedat ad dextram Celebrantis.

5. *A Subdiacono vero eodem tono dicitur, Levate*, qui eodem tempore surgit, & omnes alii cum eo. Sed advertere debent Ministri omnes, quod ad sequentem Orationem stare debeant inclinati, & manibus junctis.

6. *Celebrans vero non genuflectit.* In casu tamen quando in deficientia Sacrorum Ministrorum, solus Sacerdos sine illis cantat Missam, tunc Celebrans ipsemet cantare debet:

bet: *Flectamus genua*, & simul etiam genuflectere: *Levate* vero eodem tono dicere debet Thuriferarius, vel alius Acolythus, nequaquam vero Chorus.

## AD TITULUM VI.

DE EPISTOLA, GRADUALI, ET ALIIS USQUE  
AD OFFERTORIUM.

„Rubrica VI. In Solemni Missa Subdiaconus, circa „finem ultimæ Orationis, accipit (1.) ambabus manibus li- „brum Epistolarum, deferens illum supra pectus, & facta „(2.) Altari genuflexione in medio, vadit ad partem Episto- „læ contra Altare, & cantat Epistolam, quam etiam (3.) „Celebrans interim submissa voce legit, assistente sibi Diaco- „no a dextris; & item Graduale, Tractum &c. usque ad „*Munda cor meum*. Epistola cantata, Subdiaconus (4.) facit „iterum genuflexionem Altari in medio, ac redit ad Cele- „brantem, & genuflexus osculatur ejus manum, & ab eo „(5.) benedicitur, præterquam in Missis Defunctorum.

1. *Accipit ambabus manibus librum*. Tempore ultimæ Orationis Thuriferarius, facta Altari genuflexione, accedit ad Credentiam, & inde accipit Missale per latera ambabus manibus, ea parte quæ aperitur ad suam dextram conversa, & accedit ad Subdiaconum stantem in plano Epistolæ, & tenens librum elevatum, eum tradit Subdiacono absque osculis, sed cum mutua mediocri inclinatione, qui utraque manu angulis inferioribus libri supposita, eum accipit, & illum tenens elevatum non tantummodo ante, sed supra pectus, ut præscribit Rubrica, vadit usque ad medium Altaris, Thuriferario eum comitante a sinistris.

2. *Facta Altari genuflexione &c.* Postquam Subdiaconus pervenerit ad medium infimi gradus, se vertit facie ad Altare, & post eum pariter Thuriferarius, & etiamsi non adsit SS. Sacramentum in Tabernaculo, faciunt ipsi

Altari seu Cruci unico genu genuflexionem ; & secundum antiquam consuetudinem in nostra Provincia, etiam Acolythi simul genuflectunt, & statim post genuflexionem omnes pergunt ad cornu Epistolæ. Observet autem Subdiaconus, ut ita accedat ad medium Altaris, ut omnes simul genuflectere possint ad illa conclusionis verba, *Jesum Christum*, vel ad illa, *in unitate Spiritus*, prout Oratio terminatur a Celebrante ; & hoc ne in via cogantur subsistere, & se inclinare. Item observet Acolythus, qui est ex parte Evangelii, ut dum post genuflexionem vadit ad cornu Epistolæ, ne transeundo ante medium iterum genuflectat, nam sufficit prior genuflexio. Deinde Subdiaconus se sistit in loco aliquantulum distante a gradibus Altaris, a tergo Celebrantis, ad dextram, & sinistram Subdiaconi stant Acolythi, sed sine candelabris, manibus junctis ante pectus ; & directe post Subdiaconum aliquantulum ab eo remotus stat Thuriferarius, ita ut omnes simul Crucem efforment : ubi Subdiaconus, finita ultima Oratione, manibus sibi librum tenens, incipit clara, & sonora voce cantare Epistolam.

3 *Quam etiam Celebrans &c.* Dum Subdiaconus cantat Epistolam, Celebrans eam legit submissa voce, assistente sibi Diacono, & folia vertente, si opus est : a quo loco non discedat Diaconus, donec accedat ad Celebrantem Subdiaconus post finitam Epistolam. Postquam vero Celebrans finiverit Epistolam, Diaconus ei respondet : *Deo gratias* submissa voce, & Celebrans prosequitur cætera usque ad *Munda cor meum* exclusive. Observet autem Diaconus, ut caput inclinet, & genuflectat ad ea verba, ad quæ Celebrans caput inclinat, aut genuflectit sive in Epistola, sive in Graduali, Tractu &c. Similiter Acolythi, & Thuriferarius assistentes Subdiacono, dum hic profert Nomen *JESU*, debent profunde inclinare caput, & quando ille genuflectit, cantando vg. *In Nomine Jesu omne genuflectatur*, debent & ipsi genuflectere.

4. *Subdiaconus facit iterum genuflexionem Altari.* Finita Epistola, Subdiaconus claudit librum, quem ut prius portat, & cum sibi assistentibus Acolythis, & Thuriferario accedit ad medium Altaris, ubi genuflectunt omnes unico genu Altari, seu Cruci, etiamsi non adsit Sanctissimum. Facta genuflexione, Acolythis se conferunt ad sua loca; Subdiaconus vero cum Thuriferario procedunt per planum ad cornu laterale Epistolæ, remanente semper Thuriferario paululum retro ad sinistram Subdiaconi. Adveniēti Subdiacono Diaconus, qui hucusque stabat a dextris Celebrantis, debet aliquantum recedere, ut det locum Subdiacono, qui super suppedaneum, vel alium commodiorem gradum genuflectit utroque genu (cui Celebrans aliquantulum se convertit per latus suum dextrum) & sic genuflexus, librum, quem clausum ambabus manibus tenet, deflectit aliquantulum versus Celebrantem, qui super librum ponit manum dextram, quam Subdiaconus in parte exteriori osculatur. Et hoc loco osculum hoc nunquam debet omitti, etiam si esset expositum SS. Sacramentum, præterquam in Missis Defunctorum.

5. *Ab eo benedicitur.* Deinde Celebrans adhuc aliquantulum conversus ad Subdiaconum genuflexum, & caput inclinantem, eundem manu dextra jam deosculata benedicit, signum Crucis formando, nihil dicendo, retenta sinistra manu super Altare. Deinde Subdiaconus surgit, & suum Missale, ex quo cantavit Epistolam, tradit Thuriferario, qui illud idem postea tradet Diacono pro cantando Evangelio.

„Rubrica V. Postea idem Subdiaconus accipit (6.) „Missale Celebrantis, defert ad cornu Evangelii in Altari, „& ibi ministrat Celebranti; qui in medio Altaris submissa „voce dicto *Munda cor meum* &c. & deinde lecto (7.) Evan- „gelio, quod in fine non osculatur: delato (8.) etiam per „Diaconum libro Evangeliorum ad Altare, imponit (9.) in- „censum in thuribulum. Postea (10.) Diaconus genuflexus

„ante Altare dicit, *Munda cor meum*, & accipiens (11.) li-  
 „brum Evangeliorum de Altari, petit (12.) benedictionem  
 „a Celebrante similiter genuflexus in superiori gradu Altaris:  
 „& osculata (13.) illius manu, præcedentibus Thuriferario,  
 „& duobus Acolythis, cum candelabris accensis, de Cre-  
 „dentia sumptis, vadit cum Subdiacono a sinistris ad locum  
 „Evangelii contra (14.) Altare versus Populum; ubi Sub-  
 „diacono librum tenente, medio inter duos Acolyths te-  
 „nentes candelabra accensa dicit (15.) *Dominus vobiscum*,  
 „junctis manibus. Cum dicit: *Sequentia* &c. signat librum  
 „in principio Evangelii, frontem, os, & pectus postea ter  
 „(16.) librum incensat, hoc est in medio, a dextris, & a  
 „sinistris; & prosequitur Evangelium junctis manibus. In-  
 „terim Celebrans post datam Diacono benedictionem, re-  
 „trahens sed ad cornu Epistolæ, ibi stat junctis manibus.  
 „Et cum Diaconus dicit, *Sequentia Sancti Evangelii*, Sacer-  
 „dos etiam signat se, & cum (17.) nominatur *JESUS*,  
 „caput inclinatur versus Altare. Finito (18.) Evangelio, Sa-  
 „cerdos (19.) osculatur librum a Subdiacono sibi delatum,  
 „dicens: *Per Evangelica dicta* &c. & a Diacono (20.) ter in-  
 „censatur. Si sit (21.) coram Prælato in sua Residentia,  
 „liber defertur ad Prælatum, ut supra, & ille incensatur,  
 „ut in Cæremoniali. Postea (22.) stans in medio Altaris ver-  
 „sus Crucem, incipit, si dicendum sit, *Credo*, stantibus post  
 „eum Diacono, & Subdiacono: deinde ad Altare acceden-  
 „tibus, & cum eo prosequentibus, ut dictum (23.) est ad  
 „*Gloria in excelsis*.

6. *Accipit Missale Celebrantis.* Subdiaconus statim ac-  
 tradidit Thuriferario Missale, ex quo cantavit Epistolam,  
 accipit Missale Celebrantis cum Cuffino, & illud defert ad  
 cornu Evangelii; & advertat, ne transeat per gradus Alta-  
 ris, sed per planum Presbyterii, facta in medio super infi-  
 mum Altaris gradum genuflexione unico genu: deinde in  
 cornu Evangelii ita locat librum, ut pars ejus posterior re-  
 spiciat

spiciat Altaris cornu, non vero parietem Altaris; ibique stat in secundo, vel alio commodiori gradu laterali expectans Celebrantem. Celebrans autem data benedictione Subdiacono mox procedit ad medium Altaris manibus junctis, ubi dicto submissa voce, *Munda cor meum Sc. & Jube Domine Sc.* ut in Missa privata adnotatum est; accedit ad cornu Evangelii, & legit privatim Evangelium, eique Subdiaconus ad sinistram assistit, sustentando librum manu sinistra, dextra vero vertendo folia, dum opus est, conformando etiam se Celebranti in formando sibi signo Crucis in fronte, ore, & pectore, capitisque inclinatione, & genuflexione: respondendo etiam in principio: *Et cum Spiritu tuo: Gloria tibi Domine:* in fine vero; *Laus tibi Christe.*

7. *Lectio Evangelio Sc.* Celebrans lecto Evangelio, non osculatur librum, nec dicit: *Per Evangelica dicta;* hoc namque facit, postquam Evangelium a Diacono decantatum fuerit; & ideo lecto Evangelio Celebrans se recipit fere ad medium Altaris, ita ut sit inter cornu Evangelii, & inter medium Altaris, facie ad ipsum Altare versa; & ibi stat, quousque sit tempus benedicendi incensum, & postea Diaconum. Subdiaconus vero, postquam Celebrans finiverit Evangelium, collocat Missale prope medium Altaris, ut præfatus Celebrans suo tempore possit e medio Altaris commodè legere in Missali Offertorium, & alia, quæ legenda erunt: deinde facta ibidem genuflexione descendit in planum Capellæ, & se sistit inter cornu Evangelii, & medium Altaris, facie ad ipsum Altare versa, directe post Celebrantem.

8. *Delato per Diaconum libro Sc.* Dum Subdiaconus transtulit Missale Celebrantis ad cornu Evangelii, Diaconus descendit ad planum in cornu Epistolæ, & accipit de manu Thuriferarii librum Evangeliorum, eo modo quo Subdiaconus ab eodem ut supra acceperat, ita ut pars, quæ aperitur sit versus partem suam sinistram; & quando Celebrans incipit

pit legere Evangelium, Diaconus accedit ad medium Altaris, ubi super infimum gradum Altaris genuflectit Cruci, & statim ascendit ad Altare, & quasi in medio Altaris collocat librum Evangeliorum jacentem, & clausum, ita ut pars, quæ aperitur, respiciat cornu Evangelii: quod si Calix sit jam collocatus in medio Altaris, tunc liber ponatur penes, & extra Corporale versus partem Epistolæ; deinde Diaconus, facta statim iterum genuflexione, accedit ad sinistram Celebrantis, ibique quasi medius inter ipsum, & Subdiaconum, stans manibus junctis audit Evangelium, si adhuc legitur, quo finito accedit ad dextram Celebrantis. Dum Celebrans legit Evangelium, Ceroferarii tenent sua candelabra elevata, stantes suis in locis.

9. *Imponit incensum* &c. Thuriferarius statim ac librum Evangeliorum tradidit Diacono, parat thuribulum cum igne; deinde per gradus laterales Epistolæ ascendit fere ad medium Altaris suppedaneum, ibique facta genuflexione, deinde erectus, & stans a dextris Diaconi ante Celebrantem, naviculam quam in manu dextra tenet, tradit Diacono, postea ministrat thuribulum Celebranti, & omnia observantur, & fiunt eo modo, prout explicata sunt supra de impositione Incensi ante Introitum ad thurificationem Altaris: unde ibi dicta revideantur. Imposito autem, & benedicto incensu, Thuriferarius recepta navicula a Diacono (stante interim Subdiacono in suo loco, ut dictum est *num. 7.*) & facta genuflexione descendit per gradus laterales Epistolæ, advertens ne terga vertat Altari; deinde vadit, & stat post Subdiaconum.

10. *Postea Diaconus genuflexus* &c. Diaconus reddita navicula Thuriferario, descendens ad secundum gradum, genuflectit utroque genu super suppedaneum, manibus junctis, & inclinatus inclinatione profunda, voce submissa dicit: *Munda cor meum* &c.

11. *Accipiens librum &c.* Dicto *Munda cor meum*, surgit Diaconus, & accedens ad medium Altaris, de illo ambabus manibus accipit reverenter librum Evangeliorum.

12. *Petit benedictionem &c.* Deinde Diaconus cum libro iterum descendit ad secundum gradum, & genuflectit utroque genu super altiorem gradum, seu suppedaneum in medio versus Celebrantem stantem ubi erat prius, id est inter cornu Evangelii, & medium Altaris, & aliquantulum conversum ad Diaconum; petit ab eo Diaconus inclinatus submissa, intelligibili tamen voce, benedictionem dicens: *Jube Domne (non Domine) benedicare.* Celebrans vero manibus junctis subjungit: *Dominus sit in corde tuo &c.* & cum dicit: *In nomine Patris &c.* (in cujus fine ipse Diaconus respondet *Amen*) benedicit Diaconum, producendo super eum manu dextra signum Crucis, sinistra infra pectus posita: deinde extendit manum dextram, & eam ponit super librum, quem Diaconus aliquantulum elevat, & versus Celebrantem defleat, manumque Celebrantis osculatur. Celebrans data benedictione Diaconus, facta Cruci, aut Tabernaculo debita inclinatione, se retrahit ad cornu Epistolæ, ibique stat junctis manibus, facie ad Altare conversa, donec Diaconus incipiat cantare: *Dominus vobiscum*, ad quæ verba se vertit ad ipsum Diaconum, versis renibus quasi ad cornu Epistolæ, & ita conversus stat manibus junctis ante pectus, quousque osculatus fuerit Evangelium, & a Diacono fuerit incensatus. Ut autem præfata omnia recte, & rite peragantur, Chorus ita demetiatur suum cantum in cantando Graduali, aut Alleluia, sive Tractu, ut supradicta omnia peragi possint.

13. *Osculata illius manu &c.* Diaconus accepta benedictione, & osculata manu Celebrantis, surgit, & descendit in planum Presbyterii, ubi tenens librum Evangeliorum ambabus manibus clausum, non ut Subdiaconus pro Epistola cantanda (juxta Missalis Rubricas pro Subdiacono) supra

pectus; sed ut hic præscribit Cæremon. Episcop. lib. 2. cap. 8. §. 44. ante pectus, stat versa facie ad Altare, habens Subdiaconum a Sinistris: Thuriferario vero stante a tergo Diaconi cum thuribulo fumigante, medio inter duos Ceroferarios habentes candelabra cum cereis accensis, & ita omnes dispositi, omnes etiam simul genuflectunt, Ministri quidem Sacri super infimum gradum Altaris: Thuriferarius vero cum Acolythis post eos in plano Capellæ: postea simul surgunt, & procedunt ad locum, ubi cantandum est Evangelium.

14. *Contra Altare versus populum &c.* Cum præfati Ministri pervenerint ad locum Evangelii, Subdiaconus medius inter duos Ceroferarios; terga vertat ad eam partem, quæ pro aquilone figuratur: Diaconus vero stans facie ad Subdiaconum, librum Evangeliorum aperit, & tradit Subdiacono, qui eum sustinet ambabus manibus elevatum ante pectus, & oculos suos, ita ut Diaconus ex eo commode legere possit, & oculi Subdiaconi impediuntur a libro ne videant Diaconum. Subdiaconus insuper nunquam ibi se inclinat, nec genuflectit, nec se signat, cum immobile legile repræsentet. Primus Ceroferarius locum occupat a dextris Subdiaconi, & alter a sinistris ejusdem, stantes ambo in linea recta cum Subdiacono, facie ad Diaconum conversa, & pariter nullo modo se inclinantes, nec genuflectentes, nec se signantes, cum repræsentent candelabra immobilia: & hoc modo Ceroferarii semper assistere debent a lateribus Subdiaconi, dum cantatur Evangelium, ob reverentiam Sacri Textus, etiam tunc quando SS. Sacramentum publice in Altari expositum est. Thuriferarius vero stat aliquantulum post Diaconum a dextris illius.

15. *Dicit Dominus vobiscum.* Omnibus ut supra dispositis, Diaconus junctis manibus ante pectus, cantat voce sonora, *Dominus vobiscum*, & postea *Initium*, vel *Sequentia S. Evangelii*, prout convenit, & signat textum, seu librum  
in

in principio Evangelii currentis, pollice dextro, reliqua manu extensa, & digitis simul junctis, & extensis, sinistra manu super librum posita: deinde se ipsum eodem pollice signat in fronte, ore, & pectore, sinistra infra pectus posita; advertens ne signet os suum, dum verba profert, quod facile evitabit, si dicendo *Initium*, vel *Sequentia* signet librum: dicendo *Sancti Evangelii* signet frontem, & pausando tantisper interim signet os, & deinde signet pectus dicendo *secundum* &c. Celebrans autem, & omnes alii se signant eodem modo, exceptis Subdiacono, Ceroferariis, & Thuriferario, cum hi sint occupati, & impediti. Si genuflectendum sit, solus Diaconus genuflectit versus librum; reliqui, qui debent genuflectere, hoc faciunt versus Altare, etiam Thuriferarius.

16. *Ter librum incensat.* Dum a Choro respondetur: *Gloria tibi Domine*, Diaconus accipit thuribulum a Thuriferario aliquantulum ad ipsum conversus, ita ut neuter terga vertat Cruci Altaris; accipit autem illud clausum, & manu sinistra per manubrium, & dextra prope vasculum, sed Thuriferarius non osculatur thuribulum, nec manum Diaconi. Accepto thuribulo Diaconus incensat librum Evangeliorum triplici ductu, semel in medio, postmodum in dextra libri, quæ est pars illius nobilior: quæque correspondet sinistrae Diaconi: tandem in sinistra libri, quæ correspondet Diaconi dextræ: facta tamen ante, & post incensationem debita inclinatione ipsi libro, propter reverentiam Sacri textus in eo contenti: incenset autem Diaconus præfatum librum tali tempestive moderatione, ut finita sit incensatio, statim postquam a Choro fuerit responsum: *Gloria tibi Domine*; ad quod etiam Chorus attendere debet, ut tardius propterea prædicta verba decantet. Incensato libro, Diaconus reddit thuribulum Thuriferario, qui statim retrocedit, & stat usque ad finem Evangelii post Diaconum versus partem ejus dextram, agitans leviter thuribulum, ejusdemque

elevans operculum, ne dum cantatur Evangelium ignis extinguatur, cum inservire debeat post Evangelium ad incensandum Celebrantem. Diaconus reddito thuribulo, profectitur manibus junctis Evangelium cantare.

17. *Cum nominatur JESUS &c.* Diaconus ad verba *JESUS*, vel *MARIÆ*, vel Sancti, de quo celebratur Missa, aut facta fuerit commemoratio, inclinatur caput versus librum; Celebrans vero, & omnes de Choro (exceptis Subdiacono, & Ceroferariis, quia isti stant admodum legis, & candelabrorum, ut dictum est supra) ad nomen *JESUS* se inclinant versus Crucem, ad alia vero Nomina versus librum.

18. *Finito Evangelio &c.* Diaconus finito Evangelio, indicat Evangelii principium Subdiacono (qui propterea demittit aliquantulum librum, ut possit initium ejusdem sibi demonstratum videre) quod si principium fuerit in pagina præcedente, Diaconus volvere debet folium. Monstrato initio Evangelii, Diaconus statim aliquantulum se retrahit, faciem versus Altare convertens, ne Subdiaconum transeuntem cum libro Evangeliorum impediatur. Subdiaconus autem illico recta via, & modeste defert librum Evangeliorum apertum in folio, in quo incipit Evangelium, & elevatum, nulla facta reverentia Celebranti in accessu, aut genuflexione nec Altari, nec SS. Sacramento, etiam exposito, ob reverentiam Sacri Evangelii. Cum pervenerit ad Celebrantem, indice dextræ manus, si commode potest, initium Evangelii ei monstrat, eique osculandum offert.

19. *Sacerdos osculatur librum &c.* Celebrans librum a Subdiacono delatum ambabus manibus sibi appropinquat, quia ita aptius fit deosculatio: Subdiaconus tamen non definit librum tenere in medio: Celebrans uon signat librum, sed osculando eum dicit: *Per Evangelica dicta &c.* Osculato a Celebrante Evangelio, Subdiaconus claudit librum, & paululum retrocedens, Celebranti se profunde inclinatur, & descen-

descendit in planum, non per medium, sed a latere Epistolæ, quia si descenderet per medium, occurreret ante Diaconum supervenientem, ut Celebrantem incenset; deinde librum tradit Acolyto, qui defert illum ad Credentiam. Interim dum Subdiaconus cum libro pergit ad Celebrantem, reliqui Ministri se conferunt ante medium Altaris ante infimum gradum; Diaconus manibus junctis ante pectus se sistit ante ipsum medium Altaris, habens quasi ad dextram primum Ceroferarium, & quasi a sinistris, id est paululum retro post se, secundum Ceroferarium, Thuriferarium vero a tergo; & sic constituti omnes simul genuflectunt, Diaconus super infimum gradum Altaris, reliqui vero in plano: deinde omnes simul surgunt: Ceroferarii se conferunt ad sua loca, deponunt candelabra sua; Thuriferarius vero accedit ad dextram Diaconi.

20. *A Diacono ter incensatur.* Diaconus stans in medio ut supra, accipiens thuribulum a Thuriferario porrigente illud sine osculis, ad Celebrantem conversus. & cum profunda inclinatione ante, & post exhibita, triplici ductu eundem Celebrantem incensat, etiam fumo deficiente, non enim facienda est pausa, ut thus in thuribulum imponatur pro incensando Celebrante: deinde thuribulum reddit Thuriferario, qui facta genuflexione redit ad suum locum.

21. *Si sit coram Prælato in sua residentia &c.* Gavantus hoc loco *lit. I. §. quod autem.* Sic commentatur: Quod autem hic dicitur de Evangelio coram Prælato, ut in *Cæremoniali*: intellige ut alias, Episcoporum Cæremoniale; in quo duo valde notanda reperiuntur circa hunc casum *lib. I. cap. 23.* Alterum est, quod Episcopus in sua residentia paratus Pluviali incensatur post osculum Evangelii, & nemo alius; si vero intersit Missæ in cappa, neque ipse incensatur, licet ipse osculetur librum; neque Celebrans ibi jubetur incensari. Alterum est, quod Legatus, vel alius Cardinalis, in suo habitu post osculum Evangelii thurificatur etiam coram

ram Episcopo loci, ob dignitatem Cardinalitiam: quare sicuri contingit aliquando neminem osculari Evangelium, si v. g. intersint plures æquales Prælati, ex eodem Cæremoniali *lib. I. cap. 30.* ita non incongruit omitti omnem incensationem post Evangelium; Celebrantis quidem ob præsentiam Episcopi, & hujus quia non est Pluviali indutus. *Hæc Gavarrus.*

22. *Postea stans in medio Altaris &c.* Postquam Celebrans fuerit a Diacono incensatus, accedit ad medium Altaris, & conversus ad Crucem, sine inclinatione capitis, statim alta voce cantat principium Symboli, ut in ordine Missæ. Si vero non sit dicendum *Credo*, osculato Altari in medio, dicit versus Populum: *Dominus vobiscum.* Diaconus autem postquam Celebrantem incensavit, & thuribulum Thuriferario reddidit, ascendit ad secundum gradum Altaris, ibique (sine genuflexione, quia jam erat in medio Altaris ante infimum gradum) stat, dum Celebrans incipit *Credo*, si dicendum sit. Subdiaconus vero eodem tempore ad medium plani vadit post Diaconum ante infimum gradum Altaris, ubi genuflectit (quia ipse non erat in medio) & statim surgit, & dum Celebrans pronuntiat vocem: *Deum*, uterque caput Cruci inclinat. Celebrans vero dum dicit: *Credo*, extendit, & elevat manus; dum dicit: *in unum*, jungit manus ante pectus; dum dicit *Deum*, caput ipse quoque inclinat Cruci. Tunc, & non prius, scilicet post vocem illam *Deum*, facta suis in locis ab utroque Sacro Ministro genuflexione, ascendunt ad Celebrantem, Diaconus scilicet a dextris, & Subdiaconus a sinistris, & cum eo, manibus junctis, prosequuntur Symbolum, inclinantes, se ad ea verba, ad quæ se inclinat Celebrans; & ad illa verba: *Et incarnatus est*, genuflectunt cum Celebrante unico genu, sed solus Celebrans, dum genuflectit, extendit manus super Altare, uti facit in Missa privata; Ministri vero Sacri genuflectunt manibus junctis ante pectus, & non super Altare positus, quod ab iisdem semper est observandum: & notandum

dum est, quod debeant incipere genuflexionem ad ea verba: *Et incarnatus est*, eamque finire post illa verba: *Et Homo factus est*. In fine Symboli quando dicunt: *Et vitam venturi Sæculi*, manu dextra se signant signo Crucis, sinistra pectori adnota, ut in Missa privata. Per totum tempus, quo Celebrans cum Ministris recitat Symbolum, Ceroferarii stant erecti, elevata tenentes sua candelabra.

23. *Ut dictum est ad Gloria in excelsis*. Si finito Symbolo, Celebrans cum Ministris velit sedere, observentur ea, quæ traduntur in *Manuductione ad celebrandum SS. Sacrificium Missæ*. Quia autem apud nos non est consuetudo sedendi, finito Symbolo cum Celebrante, Ministri Sacri facta genuflexione in loco in quo stant, descendunt, & se collocant a tergo Celebrantis, prout stabant tempore intonationis Symboli, ut pariter dictum est supra tempore *Gloria in excelsis*. Deinde paulo antequam cantetur in Choro: *Descendit de cælis*, Diaconus se parum retrahit ad partem Epistolæ in secundo gradu, in quo stat, Subdiaconus vero ascendit ad eundem secundum gradum ex parte Evangelii sine genuflexione: Celebrans autem descendit ad medium inter Ministros, & cum ipsis genuflectit utroque genu in superiori gradu, hoc est in Suppedaneo in medio ante Altare, & dum cantatur: *Et Homo factus est*, etiam caput profunde inclinant. Quo decantato, Celebrans surgit cum Ministris, & peragunt reliqua, prout sequens Rubrica præscribit.

„Rubrica VII Cum vero in Symbolo cantatum „fuerit: *Et incarnatus est*, Diaconus (24.) accepta Bursa de „Credentia, ambabus manibus eam defert elevatam, cum „solicis reverentiis ad medium Altaris, in quo explicat Cor- „porale, & revertitur (25.) ad Celebrantem. Cum (26.) non „dicitur *Credo*, Subdiaconus defert Bursam simul cum Calice, „ut infra dicetur.

24. *Diaconus accepta Bursa &c.* Si Celebrans, & Ministri Sacri non sedeant tempore, quo a Choro cantatur Sym-

Symbolum, tunc ad versum: *Et incarnatus est &c.*, genuflectunt, ut supra dictum est; decantato a Choro: *Et Homo factus est* (vel secundum aliorum consuetudinem decantato a Choro; *Et sepultus est*) omnes simul surgunt, Celebrans ascendit ad Altare, Subdiaconus descendit in planum, & se sistit in eo loco, ubi stabat ante genuflexionem: Diaconus vero vadit ad Credentiam per viam breviorē, ubi accipit Bursam Corporalium, ita ut ejus pars aperta respiciat Diaconum, eamque defert ambabus manibus elevatam usque ad faciem, & quasi jacentem, tenens eam per latera ipsius, pollicibus, & indicibus desuper hinc inde, reliquis vero digitis subtus eam positus; & ita procedit per planum, & longiorem viam incessu gravi, & modesto, oculisque demissis, usque ad medium ante infimum Altaris gradum, ibi unico genu Cruci genuflectit, deinde ad Altare ascendit: interim autem antequam Diaconus perveniat ante Altare, Celebrans, & Subdiaconus recedunt versus cornu Evangelii, ut medium liberum relinquunt Diacono: advertat tamen Diaconus, ne perveniens ad Altare, ibi aliquam reverentiam Celebranti faciat: postea Diaconus stans in medio Altaris, sinistra tenet Bursam, & dextra extrahit Corporale ex ea; sinistra manu ponit Bursam erectam in cornu Evangelii inter candelabra, quasi illis adjacentem, ita ut pars aperta respiciat medium Altaris, non propter aliquod mysterium, sed quia sic commodior est, ut iterum in ea suo tempore Corporale includatur: tali vero modo eam ponat, ut neque impediatur locum, ubi ponitur Missale, neque possit deturpari a cera ex candelis fluente. Manu vero dextra acceptum Corporale ambabus manibus explicat super Altare in medio; & advertat, ut si esset aliqua Crux acu picta in Corporali, eam partem ponat versus oram Altaris, ut Celebrans eandem osculari possit, dum osculatur Altare. Explicato Corporali, Celebrans iterum se recipit ad medium Altaris; & Diaconus facta genuflexione descendit ad suum locum post Celebrantem.

In

In casu vero quod Calix non esset super Credentiam, sed jam esset in medio Altaris super explicatum Corporale collocatus, Diaconus hoc loco non debet amovere Calicem e medio Altaris, id enim primo præstare debet (juxta præscriptum Rubricæ sequentis *num. 2.*) postquam Celebrans decantaverit: *Oremus*; nam hoc moderno tempore Diaconus solummodo explicare debet Corporale in medio Altaris, si nondum explicatum sit.

25. *Et revertitur ad Celebrantem.* Si vero Celebrans cum Ministris sedeat, tunc decantato a Choro: *Et Homo factus est*, surgit Diaconus (surgente etiam Subdiacono, & stante in suo loco detecto capite, quousque Diaconus non redierit ad sedendum) & discooperto capite facit reverentiam profundam Celebranti, & aliqualem, seu mediocrem Subdiacono; tum Celebrans modica capitis cooperti inclinatione eidem respondet; Subdiaconus vero æqualiter Diacono correspondet. Deinde Diaconus vadit ad Credentiam, & accipit Bursam habentem intus Corporale, illamque eo modo defert ad Altare, quo modo supra explicatum est, quod si transeat ante Celebrantem, & Subdiaconum, eis reverentiam debitam exhibeat. Explicato ut supra Corporali super Altare, ibidem Diaconus genuflectit Cruci unico genu manibus ante pectus junctis, & revertitur per viam brevioram ad Celebrantem, cui facta profunda inclinatione, & mediocri Subdiacono, quorum uterque proportionaliter ut supra dictum est, correspondet; sedet, tegitque caput, quod idem facit Subdiaconus. Tandem circa finem Symboli Celebrans cum Ministris surgit, & revertitur ad Altare per planum Presbyterii medius inter Diaconum, & Subdiaconum, vel post ipsos secundum loci commoditatem, & facta in medio, ante infimum gradum, Altari debita reverentia, Celebrans ascendit ad illud, Ministri vero Sacri ascendunt usque ad secundum gradum, elevantes anteriores vestes Celebrantis; deinde Subdiaconus descendit in planum,

non genuflectens, Diaconus vero se sistit in secundo gradu, uterque per lineam rectam a tergo Celebrantis, qui deosculato Altari in medio, & conversus ad Populum, cantat *Dominus vobiscum*.

26. *Cum non dicitur Credo*, Subdiaconus defert Bursum simul cum Calice, ut infra dicitur Titulo, & Rubrica mox sequenti ad numerum 6.

## AD TITULUM VII.

### DE OFFERTORIO, ET ALIIS USQVE AD CANONEM.

„Rubrica IX. In Missa Solemni dicto *Oremus*, Diaconus, (1.) & Subdiaconus accedunt ad Altare in cornu „Epistolæ; Diaconus (2.) amovet Calicem, si est in Altari; „vel (3.) si est in Credentia, ut magis decet, accipit eum „de manu Subdiaconi: qui illum cum Patena, & Hostia, „coopertum Palla, & velo a collo sibi pendente, manu sinistra tenens, & alteram manum superponens velo, ne aliquid decidat, de Credentia detulit, comitatus (4.) ab Acolyto ampullas vini & aquæ portante: ipse (5.) Diaconus „Calicem detegit, & dat (6.) Patenam cum Hostia Celebranti, osculando ejus manum: Subdiaconus (7.) extergit „Calicem Purificatorio: Diaconus (8.) accepta ampulla vini „de manu Subdiaconi, imponit vinum in Calice: Subdiaconus (9.) interim ampullam aquæ ostendens Celebranti, dicit: *Benedicite Pater Reverende*, qui facto versus eam signo „Crucis, dicit Orationem: *Deus, qui humanæ &c.* interim „Subdiaconus infundit paululum aquæ in Calicem; Diaconus (10.) illum Celebranti dat, & pedem Calicis tangens, „seu brachium dextrum Celebrantis sustentans, cum eo dicit, „*Offerrimus tibi Domine &c.*, quem postea positum in Altari „ut supra, Palla (11.) cooperit; Subdiacono deinde stanti „in cornu Epistolæ ponit (12.) in dextra manu Patenam, „quam

„quam cooperit extremitate veli ab ejus humero pendentis :  
 „qui vadit post Celebrantem ante medium Altaris , & facta  
 „genuflexione ibi stat , sustinens eam elevatam usque ad  
 „finem Orationis Dominicæ , ut dicitur. In Missis autem  
 „(13) Defunctorum , & in feria sexta Parasceves , Patena non  
 „tenetur a Subdiacono.

I. *Diaconus , & Subdiaconus accedunt ad Altare in cornu Epistolæ.* Hæc Rubrica quo ad hoc punctum videtur esse intelligenda in sensu accommodo , non vero secundum litteram de immediato accessu utriusque ad cornu Epistolæ ; nam ut videre est apud Hippolytum a Portu Vincentino : *De Missa Solemni tit. 7. Rubr. 9. num. 1.* & apud Merati *part. 2. tit. 7, num. 46.* circa explicationem hujus puncti Rubricæ , maxima controversia orta est inter Expositores ; nam alii citati apud mox dictos auctores , asserunt Diaconum debere expectare in suo loco in quo stat ; donec Celebrans legerit totum offertorium. Alii affirmant Diaconum post decantatum *Oremus* debere accedere ad Altare ad sinistram Celebrantis , & ei assistere ad librum in dicendo offertorio. Hippolythus vero , & Merati *loco cit.* cum Bauldry , quos sequitur Cavalieri , utramque prædictam Sententiam rejiciunt , & asserunt , quod Diaconus , dicto a Celebrante *Oremus* , statim facta genuflexione accedere debeat ad dextram Celebrantis , rationem dant , quia id videtur disponere Rubrica , quæ dicit : *Dicto Oremus , Diaconus , & Subdiaconus accedunt ad Altare in cornu Epistolæ.* Ad librum vero in dicendo offertorio , juxta eos , assistere debet Cæremoniarius. Sed imprimis hic describitur Missa , quæ celebratur sine Cæremoniario , ut dictum est in principio hujus Capituli. Deinde textus Rubricæ non magis loquitur de Diacono , quam de Subdiacono , sed de utroque æqualiter dicit : *Accedunt ad Altare in cornu Epistolæ ;* & tamen secundum omnes præcitatos auctores , Subdiaconus prius se conferre debet ad Credentiam , ut ibi ei imponatur velum oblongum , & inde transfe-

rat Calicem ad Altare: adeoque Rubrica non debet intelligi de immediato accessu in cornu Epistolæ; sed quod uterque tam Diaconus, quam Subdiaconus tempore oportuno accedant ad Altare in cornu Epistolæ. Itaque secundum practicam a multis consuetudinem, postquam Celebrans cantato: *Dominus vobiscum*, se iterum convertit ad Altare, & a Choro respondetur: *Et cum Spiritu tuo*, uterque Diaconus, & Subdiaconus simul genuflectunt in loco in quo stant, & in defectu Cæremoniarii Diaconus accedit ad sinistram Celebrantis, Missale adaptat, ut ex eo Celebrans commodè legere possit, cui dicto: *Oremus*, initium Offertorii monstrat, & mox facta genuflexione se confert ad dextram Celebrantis, ubi iterum genuflectit. Subdiaconus vero facta genuflexione statim se confert ad Credentiam, ut tempestive, & quasi eodem tempore simul cum Diacono possit, portans Calicem, accedere ad Altare in cornu Epistolæ, & sic optime verificabitur dispositio Rubricæ, ut dicto *Oremus*, uterque accedat ad Altare in cornu Epistolæ.

2. *Diaconus amovet Calicem, si est in Altari.* Loquitur Rubrica de Missa, quæ cantari solet diebus non Festivis, & præsertim si cantetur, non ad Altare majus, sed ad aliud minus Altare cum minori Solemnitate; in qua (ut supra in principio hujus capituli post *numerum 3. circa finem*, dictum est ex Gavanto *part. 2. tit. 2. ad Rubr. 5. §. ea vero est*) Subdiaconus portat Calicem, Diaconus librum de Sacristia ad Altare: Diaconus deposito, & aperto libro in cornu Epistolæ, descendit ad Celebrantem, cum quo Confessionem facit & interim Subdiaconus, explicato Corporali, collocat Calicem in medio Altaris super Corporale explicatum. In tali ergo casu, hoc loco, ut præscribit Rubrica (non vero quando a Choro in Symbolo cantantur illa verba: *Passus, & sepultus est*: ut nonnulli faciunt contra hanc Rubricam) Diaconus amovet Calicem de medio Altaris, & illum collocat versus cornu Epistolæ, ubi eum detegit, & Patenam cum  
 Hostia

Hostia offert Celebranti, eo modo quo infra dicitur. Subdiaconus vero facta genuflexione, ut supra dictum est, vadit ad Credentiam, ut imponatur ei velum oblongum a Thuriferario super humeros, vel etiam ipsemet sibi extendit adjuvante Thuriferario, circa humeros prædictum velum, & postea procedit ad Altare, ut infra dicitur, ad cornu Epistolæ, sequente post eum Thuriferario.

3. *Vel si est in Credentia, ut magis decet, &c.* Si vero Calix sit in Credentia, ut etiam ex Rubricis magis decet, & omnino in ea esse debet diebus Festivis, & etiam in aliis, quando cum aliqua Solemnitate Missa decantatur: tunc Subdiaconus post impositum sibi velum oblongum sericum, vel lineum auriphrygiatum, sed ita ut pars dextra veli longius dependeat; amovet a Calice velum illius, quod tradit Thuriferario, qui illud plicat, & in eadem Credentia reponit. Subdiaconus vero super Calicem cum Patena, super qua sit Hostia munda, Palla cooperta, extendit dictam longiorem partem veli dependentis ab humero dextro, & manum dextram super ipsum velum, & Calicem leviter apponit, ne aliquid decidat: manu vero sinistra accipit Calicem per nodum, & sic ad Altare procedit per viam breviorē ad cornu Epistolæ sine ulla genuflexione.

4. *Comitatus ab Acolytha.* Rubrica sæpe pro eodem sumit Acolythum, & Thuriferarium. Thuriferarius itaque, qui ut dictum est, adaptavit velum oblongum super humeros Subdiaconi, & postea plicavit velum Calicis, is deinde, dum Subdiaconus defert Calicem ad Altare, accipit ambabus manibus ampullas vini, & aquæ, illasque elevatas usque ad pectus, sine operculis, subsequens Subdiaconum, & non eum præcedens, defert ad cornu Epistolæ, porrigitque Subdiacono, ut infra dicitur, prius ampullam vini, mox aquæ.

5. *Ipse Diaconus Calicem detegit.* Postquam Subdiaconus pervenerit ad Altare, deponit super illud Calicem, & Diaconus stans in eodem cornu Epistolæ removet a Calice

partem longioris veli pendentis ab humeris ipsius Subdiaconi.

6. *Dat Patenam cum Hostia Celebranti.* Deinde Diaconus accipit de Calice Patenam, & deponit Pallam prope Corporale, Patenamque cum Hostia porrigit Celebranti ambabus manibus, ita ut Celebrans eandem ambabus manibus capere valeat: prius tamen Diaconus Patenam, & postea Celebrantis manum osculatur. Solus Celebrans Hostiam offert more solito, dicendo Orationem: *Suscipe Sancte Pater &c.* & postea deponit Hostiam super Corporale, ut mos est: Patenam vero deponit super Altare versus cornu Epistolæ prope Corporale. Quando vero in Missa non dicitur *Credo*, tunc dicto a Celebrante *Dominus vobiscum*, Subdiaconus imposito sibi velo ut supra, defert de Credentia cum Calice etiam Bursam Corporalium, relicto tamen in Credentia velo Calicis; & cum ad Altare pervenerit, Diaconus, deposito a Calice parte longioris veli pendentis ab humeris Subdiaconi, ambabus manibus accipit Bursam (Celebrans interim e medio se retrahit versus cornu Evangelii, ut det locum Diacono) ad medium Altaris accedens, facta genuflexione, explicat Corporale in medio Altaris, Bursam reponens in cornu Evangelii, & facta iterum genuflexione, recedit a medio, & Celebrans redit ad medium Altaris: deinde cætera peraguntur ut supra.

7. *Subdiaconus extergit Calicem.* Interim dum scilicet Celebrans Hostiam offert, Subdiaconus sinistra manu Calicem per nodum accipiens, & dextra manu Purificatorium assumens, digitis ejusdem dextræ in Calicem immisis, cum Purificatorio extergit, quod Purificatorium deinde nodo Calicis applicat, Calicemque sine osculis in manus Diaconi tradit.

8. *Diaconus accepta ampulla vini &c.* Postquam Diaconus a Subdiacono Calicem accepit, eum sinistra tenet in nodo, non elevatum, sed super altare positum, & statim dextra

dextra manu ampullam vini de manu Subdiaconi recipit, qui eandem de manu Thuriferarii accepit (utroque dante sine osculis) infundit vinum in Calice.

9. *Subdiaconus ampullam aquæ &c.* Dum Diaconus vinum in Calicem infundit, Subdiaconus ampullam aquæ a Thuriferario acceptam parum elevans, & ostendens benedicendam Celebranti, versus illum aliquantulum inclinatus dicit submissa, sed intelligibili voce: *Benedicite Pater Reverende*; & Celebrans tunc facit versus aquam signum Crucis (interim manu sinistra pectori admota) dicendo eodem tempore: *Deus, qui humanæ Substantiæ &c.* quam Orationem manibus ante pectus junctis prosequitur: & interim Subdiaconus ipse paucas aquæ guttas in Calicem infundit; deinde reddit ampullam Thuriferario, tradita ei prius ampulla vini, quam a Diacono recepit.

10. *Diaconus illum Celebranti dat &c.* Post infusionem vini, & aquæ in Calicem, Diaconus, si guttæ dispersæ appareant, ut facile accidere potest, intra Calicem, eas abstergit Purificatorio. Mox tenens Calicem manu dextra infra cuppam, & sinistra pedem, vel alio commodiori modo si fieri potest, porrigit Celebranti, quem Celebrans capiens ambabus manibus, dextra scilicet nodum, sinistra, pedem, illum offert simul cum Diacono, qui Diaconus sua dextra, sinistra manu infra pectus admota, tangere debet pedem Calicis, vel brachium dextrum Celebrantis sustentare, & simul cum Celebrante idem Diaconus dicere debet Orationem: *Offerrimus tibi Domine &c.* Ceroferrarii ad utramque oblationem, nempe Hostiæ, & Calicis, sua candelabra elevata tenere debent, & quando Celebrans reponit Hostiam, & postea Calicem super Corporale, etiam ipsi reponunt candelabra.

11. *Palla cooperit &c.* Facta oblatione, & finita simul cum Diacono Oratione: *Offerrimus tibi Domine &c.* solus Celebrans more solito, id est facto signo Crucis cum Calice,

lice, ponit eum super Corporali in medio retro post Hostiam, & statim Diaconus prædictum Calicem Palla cooperit.

12. *Ponit in dextra manu Patenam &c.* Diaconus postquam Palla cooperuit Calicem, statim accipit de Altari Patenam, illamque ponit in manu dextra Subdiaconi stantis in cornu Epistolæ, ita ut pars nobilior Patenæ, hoc est pars interior respiciat ipsum Subdiaconum, ipsamque Patenam Diaconus cooperit extremitate veli ab humeris Subdiaconi pendentis a parte dextra: & mox Subdiaconus sine genuflexione vadit post Celebrantem ad medium Altaris in plano ubi facta genuflexione stat erectus, nec amplius genuflectit, nisi ad elevationem SS. Sacramenti, quamvis Celebrans, aut alii genuflectant, nisi aliter notetur. Sustinet autem Patenam dextra manu elevatam ante oculos, sinistra manu brachium dextrum sustentans, usque ad illa verba Orationis Dominicæ: *Et dimitte nobis debita nostra.* Merati *part. 2. tit. 7.* explicans supra positam Rubricam a *num. 46.* usque ad *num. 62.* in fine addit sequentia. Præterire etiam non deo, quod in Cæremoniali PP. Augustinensium *part. 4. cap. 4.* præscribitur, quod Subdiacono tantum in Missa Solemni datur Patena tenenda, non vero aliis inferioris Ordinis, quando contingeret in aliquo casu necessitatis eos exercere Subdiaconi Officium in Missa; sed ego (sunt verba P. Merati) non dubitarem, etiam inferiori Clerico in tali casu posse Patenam tradi: scio enim id aliquando in Ecclesia Romana actum fuisse sine scrupulo etiam extra casum necessitatis: id ostendo autoritate Ordinis Romani, &c. Hæc Merati. *l. c.*

13. *In Missis Defunctorum &c. Patena non tenetur a Subdiacono.* In Missis Defunctorum (id ipsum etiam dicendum est in aliis Missis, si ob aliquam causam Subdiaconus non teneret Patenam) cantato a Celebrante, *Dominus vobiscum*, uterque Minister, ut suprædictum est, genuflectit, Diaconus accedit ad sinistram Celebrantis, ut supra; Subdiaconus

conus vadit ad Credentiam, ubi absque ullo humeris suis imposito velo, Calicem velo suo coopertum cum superimposita Bursa Corporalium, accipit manu sinistra, & manu dextra posita super Bursam, defert illum ad Altare, sequente eum Thuriferario cum ampullis; Diaconus accepta Bursa, explicat Corporale, ut supra dictum; Subdiaconus deponit velum Calicis in cornu Epistolæ, postea & Thuriferario simul cum ampullis ad Credentiam deferendum, quod velum Thuriferarius imponit super suum sinistrum brachium, & manibus defert ampullas ad Credentiam; alia vero fiunt ut supra, excepto quod in Missis Defunctorum Celebrans non benedicit aquam, & ideo etiam Subdiaconus non dicit: *Benedicite Pater Reverende*. In eo vero casu, quod Subdiaconus non teneret Patenam, & insuper Calix jam a principio Missæ esset collocatus in medio Altaris super explicato Corporali, tunc facta genuflexione a Ministris, & Diacono accedente ad sinistram Celebrantis ut supra, etiam Subdiaconus statim accedit ad cornu Epistolæ; & postmodum Diaconus ad dextram Celebrantis accedens, amovet Calicem de medio Altaris, & Thuriferario afferente ampullas de Credentia, cætera omnia peraguntur ut supra. Patenam vero, quando eam Subdiaconus non tenet, Diaconus semper reponit sub Corporali, ita ut media illius pars tegatur a Corporali, & altera pars tegatur Purificatorio, ut in Missis privatis.

„Rubrica X. Dicto (14.) *Veni Sanctificator*, Celebrans (15.) ministrante Diacono naviculam & dicente: *Benedicite Pater Reverende*, ponit (16.) incensum in thuribulum, dicens: *Per intercessionem &c.* ut in Ordine Missæ. Deinde, accepto thuribulo per manum Diaconi, nullam tunc faciens Cruci reverentiam, incensat (17.) Oblata, ter (18.) ducens thuribulum super Calicem, & Hostiam simul in modum Crucis, & ter (19.) circum Calicem, & Hostiam, scilicet bis a dextra ad sinistram, & semel a sinistra ad dextram (Diacono (20.) interim pedem Calicis tenente manu

P

„dex-

„dextra) dispensans verba in qualibet incensatione hoc modo: In prima incensatione: *Incensum istud. In secunda: a te benedictum.* In tertia: *ascendat ad te Domine.* In quarta: *& descendat super nos.* In quinta, & sexta: *miserericordia tua.* Deinde facta reverentia (21.) incensat Crucem, & Altare, ut dictum est supra, assistente eodem Diacono; interim dicens (22.) *Dirigatur Domine Oratio mea &c.* Et cum incensatur Crux, Diaconus amovet Calicem ad partem Epistolæ, & incensata Cruce reponit in loco suo. Cum reddit thuribulum Diacono, dicit (23.) *Accendat in nobis &c.* & incensatur ab eo; Deinde Diaconus (24.) incensat Chorum, & postremo (25.) Subdiaconum tenentem Patenam; & ipse Diaconus (26.) incensatur a Thuriferario, & Thuriferarius (27.) postea incensat Acolythos, & (28.) Populum. Celebrans postquam incensatus fuerit, lavat (29.) manus, ministrantibus Acolythis ampullam aquæ cum pellicula, & manutergio.

14. *Dicto Veni Sanctificator.* Dum Diaconus porrigit Patenam Subdiacono, Celebrans prosequitur Orationes: *In Spiritu humilitatis &c., & veni Sanctificator &c.* Thuriferarius vero quam primum recepit ampullas vini, & aquæ a Subdiacono, illas defert ad Credentiam, & parat thuribulum cum igne, & accedit ad Altare.

15. *Celebrans, ministrante Diacono naviculam &c.* Dicto a Celebrante *veni Sanctificator*, Thuriferarius tradit naviculam Diacono, qui eam tenet coram Celebrante, sicut & Thuriferarius thuribulum, & omnia fiunt sicut in impositione incensi ante primam thurificationem: unde resumenda, & evidenda sunt ea, quæ tradita sunt superius de impositione incensi in initio Missæ ante Introitum.

16. *Ponit incensum dicens &c.* Celebrans ter imponit thus in thuribulum, dicitque: *Per intercessionem &c.* deinde ad illa verba: *Dignetur Dominus*, reddit cochlear Diacono, qui illud recipit cum solitis osculis; & Celebrans postea ad  
ver-

verbum *benedicere*, manu dextra semel producit signum Crucis super thuribulum fumigans: tum Diaconus tradit thuribulum cum solitis osculis Celebranti, observando ea omnia, quæ tradita sunt supra ad incensationem Altaris ante In-  
troitum.

17. *Incensat Oblata.* Celebrans accepto thuribulo, nulla facta reverentia, etiamsi sit expositum SS. Sacramentum, incensat oblata. Dum Celebrans incipit incensationem, Ceroferarii elevant sua candelabra.

18. *Ter ducens thuribulum &c.* Incensat autem hoc modo, ter ducens thuribulum super Calicem, & Hostiam simul in modum Crucis, ut præscribit Rubrica, non demittens, & elevans thuribulum per quatuor partes, quasi quatuor puncta signans; sed ter ducens æquali altitudine thuribulum in modum Crucis per duas lineas unam directam, alteram transversalem. Primam igitur lineam incipit ex parte tabellæ Secretarum, & eam ducit super Calicem, & Hostiam directe versus se, simul dicendo: *Incensum.* Secundo ducit lineam transversalem incipiendo ex parte Evangelii versus partem Epistolæ, simul dicendo: *Istud:* & habetur prima Crux. In secunda Cruce ducendo lineam directam dicit: *A te;* & ducendo lineam transversalem dicit: *Benedictum.* Formando tertiam Crucem, & ducendo lineam directam dicit: *Ascendat,* ducendo vero lineam transversalem dicit: *Ad te Domine.* Intersecatio linearum debet fieri inter Calicis Pallam, & Hostiam ad perpendicularum.

19. *Et ter circum Calicem &c.* Celebrans formatis tribus Crucibus super Calicem, & Hostiam ut supra, demittens manum, & pede thuribuli distante a mensa Altaris tribus quasi digitis (si tamen ita circumducendi thuribulum sit sufficiens spatium inter Calicem, & tabellam Secretarum) incipit quartam incensationem ducendo thuribulum circa oblata: primo a dextra transeundo inter Calicem, & tabellam Secretarum ad sinistram donec perficiat circulum, di-  
cendo

cendo hæc verba: *Et descendat super nos.* Secundo similem efformat circulum a dextra ad sinistram proferendo hoc verbum: *Misericordia.* Ultimo tandem ducit circulum oppositum, incipiendo nempe a sinistra ducendo ad dextram, & dicendo hoc verbum: *tua.* Debet autem semper inter unam, & alteram Crucem; & inter unum, & alterum circulum aliquantulum interponere pausam.

20. *Diacono interim pedem Calicis tenente.* Dum supra dicto modo Celebrans incensat Oblata, Diaconus pedem Calicis tenet manu dextra, & in tota incensatione sinistra manu partem posteriorem Planetæ Celebrantis sustinet, & post incensationem oblatorum, & Crucis manum dextram tenet supra pectus, ut dictum est in prima incensatione. Subdiaconus, si ob aliquam causam non teneat Patenam, tunc & ipse per totam incensationem assistit a sinistris Celebranti, prout assistebat in prima incensatione ante Introitum.

21. *Incensat Crucem, & Altare.* Postquam incensata fuerint Oblata, Diaconus amovet Calicem e medio Altaris, quem tamen extra Corporale non transfert, sed supra illud collocat versus cornu Epistolæ; & facta debita reverentia ab utroque, nempe si adsit SS. Sacramentum in Tabernaculo, ab utroque genuflexione, si vero non adsit, facta a Celebrante Cruci inclinatione, & a Diacono genuflexione, prosequitur incensationem Crucis, qua peracta, facta iterum convenienti reverentia, & reposito a Diacono Calice in suo loco, prosequitur Celebrans incensationem Altaris, ut principio Missæ: unde perlegenda sunt ibidem tradita. Thuriferarius quoque, dum Celebrans thurificat Altare, deposita navicula, super Credentia, vadit ad cornu Evangelii per planum, genuflectens in medio, & amovet Missale cum Cussino de Altari, descenditque in planum, ubi stat a latere Evangelii, donec incensata sit pars anterior illius lateris, tenens prædictum librum cum Cussino, & faciem convertens ad Altare: deinde incensata dicta parte anteriori, reponit iterum

iterum librum cum cussino prope Corporale; mox genuflexione facta descendit recta in planum, ac in medio iterum genuflectens a tergo Subdiaconi, pergit ad cornu Epistolæ, ubi stat paulo post Diaconum, dum hic incensat Celebrantem, accepta prius navicula de Credentia.

22. *Dicens, Dirigatur Domine Oratio mea.* Dum Celebrans peragit hanc secundam Altaris incensationem, recitat illam in Missali contentam Orationem: *Dirigatur Domine Oratio &c.* Aliqui prædicta verba ita distribuunt, ut singulis ductibus, singula verba respondeant; sed ut ait Hippolytus a Portu *super hanc Rubr. num. 12.* id faciunt aliqui nimium scrupulosi. Unde communiter ad incensationem Crucis dicuntur hæc verba: *Dirigatur Domine Oratio mea:* reliqua vero ita distribuuntur, & proferuntur, ut eodem tempore finiatur, quo obsolvitur tota Altaris incensatio.

23. *Dicit: ascendat in nobis &c. & incensatur &c.* Celebrans dum terminata thurificatione reddit thuribulum Diacono, dicit: *Ascendat in nobis &c.*, ut habetur in Ordine Missæ; & ita conversus ad Diaconum permanet stans in eodem loco, junctis manibus ante pectus, & brachio sinistro quasi tangens frontem Altaris: Diaconus vero accepto thuribulo descendit in planum a parte Epistolæ, & facta profunda capitis inclinatione Celebranti, eum triplici ductu incensat.

24. *Diaconus incensat Chorum.* Postquam Diaconus incensavit Celebrantem in cornu Epistolæ, reddit thuribulum Thuriferario, qui sine mora, si opus fuerit, & fumus defecerit, imponit incensum in thuribulum sine benedictione; deinde Diaconus, in eodem loco ubi stat, simul cum Thuriferario stante post eum, genuflectit Altari, & procedit ad incensandum Chorum, intrando Chorum per portam in eadem parte Epistolæ, junctis manibus ante pectus, eum præcedit Thuriferarius portans manu dextra thuribulum, & sinistra naviculam. Postquam pervenerint ad

Chorum, Thuriferarius se sistit aliquantulum post Diaconum, a dextris tamen illius, Diaconus autem se collocat in medio Chori, & statim salutatur totum Chorum per gyrum, nempe una capitis inclinatione salutatur omnes stantes in ea parte Chori, in qua stat Superior; deinde similiter salutatur omnes similiter stantes in altera parte; quod pariter simul facit Thuriferarius. In Choro existentes tam in Scallis, quam extra, attamen penes Stallas in ordine stantes (nam tunc nullus stare debet in medio ante Pulpitum, sed omnes se retrahere debent ad partem) debita capitis inclinatione Diaconum resalutant. Deinde Diaconus accepto thuribulo a Thuriferario (qui Thuriferarius postea stat post Diaconum) profundam facit inclinationem Superiori loci, seu Guardiano, & eum incensat triplici ductu, ac rursus eidem se profunde inclinat: postea incensat Cantores, si sunt Superpelliceis ornati, quemlibet duplici ductu: deinde continuat incensationem, incipiendo a dignioribus primi Chori, seu ubi dignior stat, usque ad ultimum illius Chori; postea eos, qui stant ex altera parte, incipiendo rursus a digniore usque ad ultimum, & semper cum debitis reverentiis ante thurificationem; & quidem incensando Patres Provinciæ, & Patres Confessarios duplici ductu, reliquos vero unico ductu. Quod si adesset magnus numerus incensandorum, ita ut non posset finire singulorum incensatio ante finem Præfationis, tunc incensato Superiore, & Cantoribus superpelliceis ornatis (nam si hi non sint ornati, nullus singularis respectus illorum habendus est) omnes stantes in una parte simul incensare debet triplici ductu, nempe in medio, in parte digniori, & tertio ductu inferiores: deinde similiter triplici ductu stantes in altera parte. Si in Choro adesset Pater Provincialis, vel visitator Generalis in actu visitationis, hic thurificabitur triplici ductu, Celebrans vero, & Guardianus duplici.

Si adesset Episcopus in propria sua Diœcesi, aut archiepiscopus in sua Provincia, ipse imponet, & benedicet incensum, non Celebrans, & primo thurificabitur post Celebrantem, qui tunc duplici tantum ductu incensabitur, & Episcopus triplici, cum debitis semper genuflexionibus. Si vero adfuerint alii Episcopi exteri, vel alii Prælati, honoris gratia semper thurificabuntur immediate post Celebrantem, & quilibet illorum triplici ductu.

Quo ad Principes vero, & magnos Dominos Sæculares, ad tollendam omnem ambiguitatem, omnes auctores tradunt, servandam esse consuetudinem, quæ diversa esse solet secundum locorum diversitatem.

In Choro adhuc observandum, quod illi, qui sunt incensandi, ante eam immediate inter se mutuam inclinationem facere debent, ita ut alter alterum immediate sibi subsequenter capitis motu modeste invitet ad thurificationem capiendam. Quo vero ad resalutandum Diaconum incensantem, observari debet hæc regula; nimirum quando, qui incensatur, est dignior incensante, nullam facit incensanti reverentiam, vel solum aliquam modicam: si vero sit æqualis, æqualem facit inclinationem: si sit inferior, majori capitis inclinatione incensantem resalutare debet.

25. *Postremo Subdiaconum.* Incensato Choro, & aliis Personis, si quæ sunt incensandæ, Diaconus reddit thuribulum Thuriferario, & salutatur totum Chorum in gyrum, prout in accessu fecerat, ac revertitur per portam ex parte Evangelii ante Altare, præcedente Thuriferario, & dum pervenerit ante Altare in parte Evangelii, genuflexione facta, & accepto a Thuriferario thuribulo, incensatur Subdiaconum duplici ductu, cum mutuis inclinationibus ante, & post. Subdiaconus vero dum incensatur, convertit se facie ad Diaconum, & Patenam, magno velo obtectam, demittit, & interim pectori suo innixam tenet.

26. *Ipse Diaconus incensatur a Thuriferario.* Incensato Subdiacono, Diaconus reddit thuribulum Thuriferario, & ascendit ad solitum suum secundum gradum ante medium Altaris post Celebrantem, ubi facit genuflexionem, ibique stans versa facie ad Thuriferarium, junctis manibus ante pectus, caputque mediocriter inclinans ante, & post thurificatur ab illo duplici ductu, inclinante se Thuriferario pariter ipsi Diacono ante, & post, thurificationem: postea Diaconus permanet stans in eodem loco, versa facie ad Altare, usque ad *Sanctus*.

27. *Thuriferarius postea incensat Acolythos.* Incensato Diacono, Thuriferarius in medio ante Altare paulo retro post Subdiaconum genuflectit, & stans in eodem loco se convertit primo ad primum, deinde ad secundum Acolythum, & quemlibet incensat unico ductu, sine ulla, vel cum levi inclinatione.

28. *Et Populum.* Postremo Thuriferarius facta iterum genuflexione in eodem loco ante medium Altaris, se parum retrahit versus Populum, & se sistit aliquantulum a latere Evangelii (ne terga vertat Cruci Altaris, aut Sacramento) incensat Populum, ter ducens thuribulum, scilicet primo in medio, secundo versus sinistrum latus sui, quod est dextrum latus Populi; deinde tertio versus latus oppositum, seu latus Evangelii, facta ante, & post inclinatione versus prædictas partes, seu facta inclinatione ad utramque partem ante, & post. Debet autem Thuriferarius, dum incensat, sive Diaconum, sive Populum, sive SS. Sacramentum tempore elevationis, tenere thuribulum, sinistra manu manubrium illius, & dextra manu catenulas prope vasculum, prout tenent tam Celebrans, quam Diaconus, dum faciunt incensationem.

29. *Lavat manus ministrantibus Acolythis &c.* Acolythi, seu Ceroferarii, qui apud nos per totam incensationem Oblatorum, & Altaris, stant suis in locis tenentes candelabra

bra elevata, non genuflectunt, dum Celebrans, & Ministri genuflectunt in transitu ante medium Altaris. Hi quam primum Celebrans finit incensationem Altaris, & reddit thuribulum Diacono, candelabra sua deponunt, simul accedunt ante medium Altaris post Subdiaconum tenentem Patenam, ubi simul genuflectunt, ac mox simul vadunt ad Credentiam, de qua unus accipit ampullam aquæ cum pelvicula, alter accipit mappulam ad extergendos manus Celebrantis, & ita ambo simul, ita tamen ut qui habet ampullam aquæ, sit a dextris, accedunt ad latus Epistolæ Altaris, & ibi cum debitis reverentiis, unus infundit aquam ad abluendos digitos Celebrantis, & alter ad eos extergendos porrigit mappulam, quam extendit super digitos Celebrantis madefactos, deinde omnia reportant ad Credentiam, effusa prius aqua in loco honesto, & remoto: postea simul accedunt ante medium Altaris, ubi simul genuflectunt, & vadunt quisque ad suum locum. Celebrans quoque redit ad medium Altaris, & prosequitur Missam more consveto: ad *Orate fratres*, respondet Subdiaconus *Suscipiat*, pectori suo interim admoda Patena.

„Rubrica XI. Cum dicitur Præfatio, Diaconus (30.)  
 „& Subdiaconus stant retro post Celebrantem; & paulo  
 „(31.) antequam dicatur *Sanctus*, accedunt ad Altare, ubi  
 „cum Celebrante hinc inde dicunt *Sanctus*, & quæ sequuntur  
 „usque ad *Canonem*. Deinde Diaconus (32.) accedit ad fini-  
 „stram Celebrantis, ei assistens dum dicitur *Canon*; nisi (33.)  
 „alius Sacerdos assistat, quia tunc ipse staret ad dextram  
 „aliquantulum post Celebrantem. Subdiaconus vero (34.)  
 „tunc stat post Celebrantem.

30. *Diaconus, & Subdiaconus stant retro post Celebrantem.* Si aliquando Diaconus non incensat Chorum, ut contingere solet in Missis votivis particularibus, & dum cantatur Missa ad aliquod Altare multum a Choro remoto, tunc incensato Celebrante, reddit thuribulum Thuriferario, &

*Biblioteca thesauriensis 11. Q. Bernardi nomm* acce-

accedit ante Altare ad secundum gradum post Celebrantem; deinde dum Celebrans, dicto Psalmo *Lavabo*, accedit ad medium Altaris, simul cum eo in suo secundo gradu accedit quoque Diaconus, ibique sine genuflexione stat retro post Celebrantem, & ad *Orate fratres*, absque capitis inclinatione, respondet, *Suscipiat Dominus* &c. postea genuflectit, & ascendit ad sinistram Celebrantis, & dum Celebrans legit Orationes Secretas, tenet librum, & vertit folia, & Orationes indicat. Ad finem ultimæ Orationis Secretæ, invertit folia, & invenit Præfationem, & Missale ita collocat, ut Celebrans ex eo commode cantare possit Præfationem: deinde genuflectit, & descendit ad secundum gradum, ubi stat retro Post Celebrantem, & a tergo Diaconi stat Subdiaconus cum Patena, & sic stantes permanent usque circa finem Præfationis, inclinantes se ad ea verba, ad quæ se inclinatur Celebrans. Ceroferarii per totam Præfationem tenent candelabra elevata.

31. Paulo antequam dicatur *Sanctus* accedunt ad Altare. Nempe Diaconus, & Subdiaconus, facta in suis locis genuflexione, ambo accedunt ad Altare, Diaconus ad dextram, & Subdiaconus ad sinistram Celebrantis, ubi inclinati, manibus junctis ante pectus, præter Subdiaconum, qui stat inclinatus, manibus non junctis, utpote, impeditis a Patena sustentata, omnes simul voce mediocri pronuntiant *Sanctus*, & reliqua usque ad ultimum *Hosanna in excelsis* inclusive. Ad verba: *Benedictus qui venit* &c. Celebrans, & Ministri se erigunt, & se signant, præter Subdiaconum, cum ipse dextram manum impeditam habeat tenens Patenam. Quod si in aliquo casu Subdiaconus non teneret Patenam, tunc & ipse deberet se signare, & antedecenter tenere manus junctas ante pectus. Ad *Sanctus* primus Acolythus ter pulsatur parvam campanulam. Gavantus hic, & alii cum eo communiter addunt: Non cantatur a Choro: *Benedictus qui venit*

nit *Ec.*, nisi post depositionem Calicis, etiam in Missis Defunctorum.

32. *Diaconus accedit ad sinistram Celebrantis Ec.* Dum Celebrans, & Diaconus ad verba: *Benedictus qui Ec.*, se signant, Subdiaconus manu sinistra volvit folia Missalis ad principium Canonis, ut Celebrans absque ulla mora possit incipere Canonem eundem; nam alias vel deberet ipse Celebrans volvere, aut expectare adventum Diaconi. Dicto ultimo *Hosana in excelsis*, Diaconus & Subdiaconus genuflectunt in loco, in quo stant, & Diaconus accedit ad sinistram Celebrantis, ubi iterum genuflectit, quod semper facit, quoties de uno latere recedit, & accedit ad aliud latus, ita ut semper genuflectat in recessu, & accessu, non autem in medio, ut male plerique faciunt (ait hic Merati) & ibi non tenet manus junctas, sed stans erectus, sinistra manu librum sustentat, & dextra vertit folia, & digito ostendit, quæ legenda sunt a Celebrante.

Pro faciliiori intelligentia genuflexionum, quas facere debent Sacri Ministri tempore Missæ cantatæ, hæc generalis regula observanda communiter præscribitur. 1. Sacri Ministri nempe Diaconus, & Subdiaconus genuflectere debent unico genu, quotiescunque transeunt ante Crucem Altaris, nisi contrarium notetur in proprio loco. 2. Quando stant in suis locis retro post Celebrantem, & debent ascendere ad latera Celebrantis; item e contra quando stant ad latera Celebrantis, & debent descendere ad sua loca retro post Celebrantem, tunc semper genuflectere debent in loco, quem deserunt, non vero in eo, ad quem perveniunt, etiam post Consecrationem. 3. Quando non a lateribus Celebrantis, sed ex quovis alio loco veniunt ad suum locum ante medium Altaris retro post Celebrantem; similiter quando hunc locum deserunt, ut alio se recipiant, in prædicto loco ante medium Altaris genuflectere debent, quoties ad eum adveniunt, & quoties ab eo recedunt: cum hac tamen exceptio-

ne, quod quando Sacri Ministri junctim, & simul cum Celebrante incedunt, ut quando post *Kyrie*, dictum in cornu Epistolæ, cum Celebrante incedente in Suppedaneo, Diaconus in secundo gradu, & Subdiaconus in plano simul cum eo accedunt ad medium Altaris: similiter quando post cantatum *Dominus vobiscum*, omnes simul pariformiter recedunt a medio Altaris, & accedunt ad cornu Epistolæ, in tali enim casu, ut Ministri se conforment Celebranti, non genuflectunt. 4. Quando ab uno latere Celebrantis stantis in medio Altaris transeunt ad aliud latus ejusdem Celebrantis, genuflectere debent ad utrumque latus, nempe dum recedunt ab uno, & iterum dum adveniunt ad alterum, tam ante, quam post Consecrationem; in medio vero tunc genuflectere non debent. 5. Quando vero non a latere Celebrantis, sed ab uno cornu Altaris ad aliud cornu accedunt, tunc transeuntes in medio tantum genuflectunt, nulla facta genuflexione in angulis, & hoc sive ante, sive post Consecrationem. Excipiuntur ab hac generali regula quidam speciales casus, videlicet in principio Missæ, quando Celebrans facta Confessione ascendit cum Ministris ad medium Altaris, & illud osculatur, non autem genuflectit, Ministri tamen Sacri a lateribus ejus genuflectere debent propter primum accessum ad Crucem. Deinde Subdiaconus, post cantatum a Diacono Evangelium, deferens librum Evangeliorum Celebranti ad deosculandum, transeundo ante medium Altaris, nullam facit reverentiam Cruci, imo nec SS. Sacramento exposito. Supradictas genuflexiones tempore Missæ cantatæ Sacri Ministri (juxta unanimem Auctorum omnium doctrinam) peragere debent, etiamsi in Altari non adsit Tabernaculum cum incluso SS. Sacramento, & sola nonnisi Crux adsit in Altari, & ideo ipse Celebrans nonnisi profundam inclinationem faciat Cruci.

33. *Nisi alius Sacerdos assistat.* Nempe Presbyter assistens, nam ut refert Bauldry, ex Decreto S. Congr. Rit.

19. Jul. 1604. non tantum Episcopis, & aliis Prælatiſ, ſed etiam aliis non Prælatiſ, ut Canonicis, aut in aliqua dignitate conſtitutiſ, poteſt dari aliquiſ Preſbyter aſſiſtentiſ, qui miniſtret Miſſæ Solemni præter Diaconum, & Subdiaconum. Officia taliſ Preſbyteri aſſiſtentiſ videantur in manuali Sacramentorum Cæremoniariſ Patriſ Bauldry *part. 1. cap. 3.* qui auctor *num. 14. loco cit.* addit: Raro autem Preſbyter aſſiſtentiſ debet inſervire paratuſ Pluviali, niſi Celebrantiſ ipſe ſit Canonicuſ, aut in aliqua dignitate conſtitutuſ; ſed quando aſſiſtit præcipue ad Miſſam novi Sacerdotiſ, aut alteriſ Sacerdotiſ, utitur tantum Cotta ſine Stola. Hæc ille.

34. *Subdiaconuſ vero &c.* Facta genuflexione in loco apud Altare Subdiaconuſ redit ad medium planum retro poſt Celebrantiſ, ibique ruruſ ſtat, tenentiſ Patenam, uſque ad finem Orationiſ Dominicæ.

Quod ſi in aliquo caſu Subdiaconuſ non teneret Patenam, tunc inſuſa aqua in Calicem, & reddita ampulla Thuriferario, deſcendit in planum, & accedit ad ſiniſtram Celebrantiſ, facta in medio Altariſ genuflexione; deinde aſſiſtit Celebrantiſ per totam thurificationem Altariſ prout in prima thurificatione ante *Introituſ*; & dum Celebrantiſ reddit thuribulum Diacono, Subdiaconuſ deſcendit in planum, & ſiniſtriſ Diaconi, dum hic incenſat Celebrantiſ; & intrante Diacono Chorum pro incenſando illo, Subdiaconuſ ſtat retro poſt Celebrantiſ in plano, dum hic manuſ lavat; poſtea in plano accedit ſimul cum Celebrante ante medium Altariſ, ubi ſtantiſ ſine genuflexione, ad *Orate fratres* reſpondet: *Suſcipiat &c.*; quo dicto genuſcetiſ, & aſcendit ad ſiniſtram Celebrantiſ, tenentiſ librum, folia vertentiſ, & Orationeſ Secretaſ indicantiſ, & ad finem ultimæ Orationiſ Secretæ, facta genuflexione, deſcendit in planum retro poſt Celebrantiſ, ubi a Diacono reſerſo ex Choro incenſatur, manetque ibidem ſtantiſ uſque ad finem, Præſationiſ.

Si vero Diaconus non incensaret Chorum, utpote nimium distantem ab Altaris, tunc incensato Celebrante, & reddito thuribulo, ascendit Diaconus ad secundum gradum, & stat post Celebrantem, stante post ipsum in plano Subdiacono, si hic quoque non teneret Patenam: deinde dicto a Celebrante Psalmo *Lavabo*, omnes simul accedunt ad medium Altaris, & responso a Diacono ad *Ornate fratres; Suscipiat &c.* ipse ascendit, facta prius genuflexione, ad sinistram Celebrantis, manente Subdiacono stante in suo loco.

Si tandem talis cantaretur Missa, ut refert Gavantus, prout dictum est supra a principio hujus Capituli immediate ante numerum 4. in qua neque Altare incensaretur, nec Subdiaconus teneret Patenam, tunc postquam Subdiaconus infuderit aquam in Calicem, & Diaconus tradiderit Calicem Celebranti, & simul cum eo dixerit Orationem: *Offerrimus tibi Domine &c.*, sinistra manu sustentans brachium Celebrantis, aut dextra manu tangens pedem Calicis, manent ambo Sacri Ministri stantes in eodem loco: postquam vero Celebrans dicto: *Veni Sanctificator &c.*, accedit ad cornu Epistolæ pro lotionem manuum, Diaconus descendit ad secundum gradum, Subdiaconus vero in planum, & stant unus post alterum in linea recta post Celebrantem, & dicto a Celebrante Psalmo *Lavabo*, omnes simul accedunt ad medium Altaris, & alia peragunt, ut supra dictum est. Pro lotionem manuum, Thuriferarius receptis ampullis vini, & aquæ eas collocat in consveto loco, parvum manutergium complicatum ponit in cornu Altaris, illudque tali modo disponit, ut a Celebrante facile capi possit, deinde sinistra manu accipit pelliculam, dextra vero ampullam aquæ, & Celebranti, super digitos aquam effundit, ac postea omnia, reportat ad locum suum.

Sacri Ministri in casu mox dicto, finito ultimo *Hosanna in excelsis*, ambo genuflectunt, Diaconus accedit ad sinistram Celebrantis, ut dictum est supra num. 32. Subdiaconus

nus vero, secundum communem auctorum Sententiam, etiam si non teneat Patenam, prout eam tenere non debet in Missis Defunctorum, adhuc semper stare debet in plano post Celebrantem, quando a Rubrica ipsi non assignatur alius locus. Apud multos tamen consuetudo invaluit, quod stante, juxta præscriptum Rubricæ, Diacono ab uno latere Celebrantis, Subdiaconus stet ab opposito latere ejusdem Celebrantis, aliquantulum tamen retro post eum. Hoc adhuc observandum venit, quod dum Celebrans facit *Memento* tam vivorum, quam defunctorum, Sacri Ministri non debent discedere a suis locis in quibus stant.

## AD TITULUM VIII.

### DE CANONE USQUE AD CONSECRATIONEM.

„Rubrica VIII. In Missa Solemni ad finem Præfationis accenduntur (1.) duo saltem intorticia ab Acolythis, „quæ extinguuntur post elevationem Calicis, nisi aliqui sint „communicandi, & tunc extinguuntur post Communionem. „In diebus etiam jejuniorum, & in Missa pro defunctis, tenentur accensa usque ad Communionem. Cum (2.) autem „Celebrans dicit: *Quam oblationem &c.*, Diaconus accedit ad „ejus dextram; & ibi in superiori gradu Altaris genuflexus, „cum Sacramentum elevatur, fimbrias Planetæ elevat, & „quando opus est, se erigens, Calicem discooperit, & cooperit, & cum Celebrante genuflectit. Subdiaconus (3.) „genuflectit in suo loco. Thuriferarius (4.) genuflexus in „cornu Epistolæ ter incensat Hostiam, cum elevatur, & „similiter Calicem, posito incenso in thuribulum absque benedictione. Reposito Calice, Diaconus (5.) redit ad librum, „nisi alius (6.) assistat. Cæteri (7.) surgunt, & stant in locis suis.

I. *Accenduntur duo saltem intorticia.* Hippolytus a Portu super hanc Rubricam num. 1. ait Circa finem Præfationis,

nis, vel paulo ante, Ceroferarii (si moris est) accendunt cereos existentes in majoribus candelabris. Sed non videntur accendendi cerei isti, si procedant funalia quatuor ad minimum. Hæc Hippolitus. Bauldry *part. 3. cap. II. art. 8.* docet: Finita Præfatione, Ceroferarii genuflectunt, & Cæremoniario comite procedunt in Sacristiam; de qua duo funalia, vel intorticia (non vero candelabra, ut quidam non recte) prius a Thuriferario accensa afferunt ad Altare. Hæc Bauldry. Merati *part. 2. tit. 8. num. 28.* asserit. In Festis Solemnioribus, & in majoribus Ecclesiis adhibentur etiam quatuor, sex, vel octo intorticia, & consequenter totidem Clerici, qui ea deferant, requiruntur. Prædicta autem intorticia, vel accenduntur in Sacristia, vel in alio loco retro Altare, ubi Missa celebratur. Hæc Merati. Circa hoc in diversis locis, diversa solet esse consuetudo. Apud nos in Missis ordinariis, Ceroferarii inservientes, quorum unus stat in cornu Epistolæ, alter in cornu Evangelii, sua candelabra cum cereis accensis, tenent in manibus elevata per totam Præfationem, & quæ sequuntur usque ad Canonem; & deinde genuflexi, eadem candelabra elevant ad elevationem Hostiæ, ac elevata tenent usque ad depositionem Calicis.

2. *Cum autem Celebrans dicit Ec.* Diaconus ita collocat Missale super cussinum, ut Celebrans ex eo commode possit legere, si non adsit alius, qui assistat; & dum Celebrans dicit: *Quam oblationem Ec.*, facta genuflexione Cruci Altaris, transit ad dextram Celebrantis, ubi iterum genuflectit, & se erigit; prope tempus Consecrationis, in superiori gradu Altaris, seu super suppedaneum prope tamen Altare genuflectit utroque genu. Dum elevantur Hostia, & Calix, Diaconus sinistra manu elevat aliquantulum infimam posteriorem Planetæ partem, quam nec ante, nec post osculatur. Hostia in Altari reposita, & a Celebrante adorata, erigit, se cum eo Diaconus, & discooperit Calicem, & iterum

rum flectit utrumque genu ad elevationem Calicis. Si adfit Pyxis cum Particulis consecrandis, dum Celebrans dicit: *Qui pridie*, Diaconus eam detegit, collocatque a latere Calicis prope majorem Hostiam, & deposita Hostia post elevationem, factaque a Celebrante genuflexione, Pyxidem cooperit, & collocat in pristino loco, deinde Calicem discooperit, & mox utrumque genuflectit; unde Celebrans aliquantulum moratur, ut Diacono det tempus supradicta peragendi.

3. *Subdiaconus genuflectit in suo loco.* Genuflectit utroque genu supra infimum Altaris gradum in suo loco, videlicet in medio post Celebrantem, & quidem eodem tempore, quo Diaconus genuflectit utroque genu ad dextram Celebrantis; Patenam demittit, & tenet eam innixam pectori, donec erigatur. In casu quod Subdiaconus non teneat Patenam, ad ipsum spectat, incensare Sanctissimum dum elevatur.

4. *Thuriferarius genuflexus in cornu Epistolæ &c.* Thuriferarius eodem tempore, quo Diaconus accedit ad dextram Celebrantis, accedit ad cornu Epistolæ, imponit thus in thuribulum sine benedictione, & genuflexus supra infimum gradum Altaris, SS. Sacramentum incensat triplici ductu pro unaquaque elevatione: scilicet incensat unico ductu, tenendo thuribulum per manubrium manu sinistra pectori admota, & dextra tenendo catenulas prope operculum, elevans, & demittens thuribulum, non præcipitanter, sed lente cum mora, & cum summa reverentia, adhibita ante, & post profunda capitis inclinatione, *primo* quando Celebrans adorat Hostiam in prima genuflexione; *secundo* incensat altero ductu, quando elevatur Hostia; *tertio* demum quando Hostia deponitur. Eodem tempore primus Acolythus ter pulsat parvam campanulam; & præterea pulsandæ sunt ter campanæ majoris turris campanariæ, ut Populus admoneatur. Similiter Thuriferarius, ter incensat Calicem, & Acolythus

lythus ter pulsat parvam campanulam, ac ter pulsantur campanæ majores, eodem modo quo dictum est in elevatione Hostiæ: deinde Thuriferarius, facta prius in medio genuflexione, portat thuribulum ad Sacristiam, & revertitur ad locum suum. In casu autem quod Subdiaconus non teneat Patenam, ad ipsum spectat incensare Sanctissimum, dum elevatur, quod etiam semper præstare debet in omnibus Missis cantatis Defunctorum, prout expresse præscribit, & præcipit Rubrica Titulo XIII. Rubrica 2. his verbis: *Subdiaconus non tenet Patenam post Celebrantem, sed tempore Elevationis Sacramenti genuflexus in cornu Epistolæ illud incensat.* Hinc genuflectente Diacono ad illa verba: *Quam oblationem* transituro a sinistra Celebrantis ad ejus dextram, genuflectit quoque in suo loco Subdiaconus, & accedit ad cornu laterale Epistolæ, ubi genua flectit in supremo gradu facie versa ad cornu Evangelii, acceptoque thuribulo e manibus Thuriferarii, qui in illud prius immisit incensum absque benedictione SS. Sacramentum triplici ductu incensat ad utramque Elevationem cum profunda inclinatione ante, & post, eo modo & tempore, ut dictum est de Thuriferario: qui in hoc casu genua flectit in plano post Subdiaconum quasi ad ejus dextram, & simul cum Subdiacono ante, & post incensationem profunde se inclinat. Post depositionem Calicis Subdiaconus reddit Thuriferario thuribulum, & accedit ad suum locum retro post Celebrantem, quo perveniens genuflectit, ibique stat, ut dictum est supra Titulo immediate præcedenti in fine ad num. 34.

5. *Diaconus redit ad librum.* Reposito Calice super Altare, Diaconus surgit, & Calicem Palla cooperit, ac mox facta unico genu genuflexione a dextris Celebrantis, accedit ad ejus sinistram, & ibi iterum facta genuflexione, assistit ad librum, folia dextra sua vertendo, quando opus est, sed non inclinat se cum Celebrante ad Orationem: *Supplices te rogamus*, neque osculatur cum eo Altare ad ea verba: *Ex*  
*hac*

hac Altaris participatione; signat tamen se cum Celebrante dicente: *Omni benedictione cœlesti*, & simul cum eo caput inclinat, dum dicit: *Per eundem Christum Dominum nostrum*, immediate ante: *Nobis quoque peccatoribus*, ad quæ verba etiam simul cum Celebrante percutit pectus.

6. *Nisi alius assistat*. Nempe Presbyter assistens, ut dictum est Titulo præcedenti num. 33.

7. *Cæteri surgunt, & stant in locis suis*. Subdiaconus, qui per hoc tempus tenebat Patenam innixam pectori, surgit, & Patenam iterum ante oculos elevatam tenet, sed nec ipse, nec alii inferiores Ministri se signant, nec genuflectunt, dum Celebrans, & Diaconus se signant, & genuflectunt.

## AD TITULUM IX.

### DE CANONE POST CONSECRATIONEM USQUE AD ORATIONEM DOMINICAM.

„Rubrica IV. In Missa Solemni cum Celebrans dicit: *Per quem hæc omnia &c.*, Diaconus, facta Sacramento „(1.) genuflexione, accedit ad dextram Celebrantis, & quando opus est discooperit Calicem, & cum Celebrante adorat: similiter cooperit, & iterum genuflectit. Cum incipit (2.) *Pater noster*, idem vadit retro post Celebrantem, facta prius Sacramento genuflexione; ubi stat, dum dicitur „Oratio Dominica.

1. *Facta Sacramento genuflexione &c.* Dum Celebrans dicit: *Per quem hæc omnia*, Diaconus, facta Sacramento genuflexione unico genu, antequam discedat a sinistris Celebrantis, accedit ad dextram ipsius, & ita opportune, si possibile est, ut postquam Celebrans tertio signaverit super Hostiam, & Calicem dicendo: *benedicis*, ipse possit detegere Calicem, & statim genuflectere cum Celebrante, aliter si prius accedat, adveniens ad dextram Celebrantis debet solo genuflectere, & deinde iterum genuflectere cum Cele-

brante. Itaque dum Celebrans dixit: *Et præstas nobis*, Diaconus discooperit Calicem deponendo Pallam super Corporale, & genuflectit cum Celebrante, ac statim cum eodem surgit, & stat, & dum Celebrans signat ter Calicem cum Hostia dicens: *Per ipsum, Et cum ipso, Et in ipso*, Diaconus duobus digitis dextræ manus tenet pedem Calicis: deinde dum Celebrans reponit Hostiam super Corporale, ipse Calicem Palla cooperit absque prævia genuflexioné, & deinde cum Celebrante ipse quoque genuflectit, cum eodemque surgit; & stat in eodem loco.

2. *Cum incipit Pater noster &c.* Dum Celebrans incipit: *Per omnia Sæcula*, hoc est Præfationem ad Orationem Dominicalem, Diaconus per totum tempus, quo Celebrans canit dictam Præfationem, stat ut prius ad dextram Celebrantis: deinde dum incipit Orationem Dominicam illis verbis: *Pater noster*, tunc, & non prius genuflectit unico genu, & descendit ad secundum gradum retro post Celebrantem; quia si statim sine mora post coopertum Calicem Diaconus deberet descendere post Celebrantem, inutiliter profecto a Rubrica præscriberetur duplex illa genuflexio. Ceroferarii per totum *Pater noster*, tenent candelabra sua elevata.

## AD TITULUM X.

### DE ORATIONE DOMINICA, ET ALIIS USQUE AD FACTAM COMMUNIONEM.

„Rubrica VIII. In Missa Solemni Diaconus stans retro post Celebrantem, cum in Oratione Dominica dicitur „(1.) *Et dimitte nobis debita nostra*, facta ibidem genuflexione, vadit ad dextram Celebrantis, & Subdiaconus circa „sinem Orationis Dominicæ, facta item genuflexione, revertitur ad Altare, & stans in cornu Epistolæ, porrigit (2.) „Patenam Diacono, quo eam discooperit, & Purificatorio „ab-

„abstergens dat Celebranti, illius manum osculando, &  
 „quando opus est, discooperit (3.) & cooperit Calicem, &  
 „cum Celebrante adorat. Subdiaconus (4.) reddita Patena,  
 „& deposito velo, quod ab humeris ejus pendebat, genu-  
 „flectit, & descendit retro post Celebrantem: & cum dici-  
 „tur (5.) *Pax Domini*, iterum genuflectens accedit ad fini-  
 „stram Celebrantis, & simul dicunt (6.) *Agnus Dei*, deinde  
 „facta ibidem Sacramento genuflexione, redit (7.) post Ce-  
 „lebrantem. Diaconus vero (8.) a dextris genuflexus ex-  
 „pectat Pacem: & cum Celebrans (9.) osculatur Altare,  
 „ipse se erigens simul osculatur illud extra Corporale, & a  
 „Celebrante dicente, *Pax tecum*, complexus (10.) accipit  
 „Pacem, sinistris (11.) genis sibi invicem appropinquantibus,  
 „& ei responderet, *Et cum Spiritu tuo*. Postea iterum  
 „Sacramento in Altari adorato, vertit se ad Subdiaconum  
 „retro post Celebrantem, & similiter (12.) dat ei Pacem.  
 „Subdiaconus accepta Pace a Diacono, & facta Altari genu-  
 „flexione, comitatus ab Acolytha vadit (13.) ad Chorum, &  
 „dat Pacem primo cujusque ordinis, dignioribus prius,  
 „deinde minus dignis, & reversus ad Altare, facta genufle-  
 „xione, dat (14.) Pacem Acolytha, qui ipsum comitaverat,  
 „qui & aliis Acolythis circa Altare dat Pacem: deinde Sub-  
 „diaconus (15.) vadit ad dextram Celebrantis, & quando  
 „opus est discooperit Calicem, accipit ampullas vini, & in-  
 „fundit (16.) quando Celebrans vult purificare. Diaconus  
 „(17.) post datam Pacem Subdiacono vadit ad librum, &  
 „dum Celebrans se communicat, stat ipse, & Subdiaconus  
 „profunde inclinati versus Altare.

I. *Et dimitte nobis &c.* Dum Celebrans dicit in Ora-  
 tione Dominica: *Et dimitte nobis debita nostra*, Diaconus, &  
 Subdiaconus simul facta genuflexione Sacramento unico genu  
 retro post Celebrantem suis in locis, accedunt ad Altare  
 in cornu Epistolæ, Diaconus quidem a dextris Celebrantis,  
 Subdiaconus vero a dextris Diaconi. Thuriferarius pariter

accedit ad cornu Epistolæ. In casu, quod Subdiaconus non teneret Patenam, ut in omnibus Missis Defunctorum, solus Diaconus ascendit ad dextram Celebrantis.

2. *Porrigit Patenam Diacono &c.* Subdiaconus stans ut supra, porrigit Patenam nondum detectam Diacono, qui removens eam partem veli, quæ est super Patenam, eam a Subdiacono offerentem capit, eamque supra Altare Purificatorio abstergit, & reposito Purificatorio Patenam ambabus manibus per extremitates apprehendit, eamque in superiori extremitate osculatur, & ponit eam in dextra Celebrantis inter pollicem, & indicem unitos ex una, & medium digitum præfati Celebrantis ex altera parte, & simul eandem manum dextram osculando, dum Chorus respondet: *sed libera nos a malo.* Postea Celebrans dicto *Amen*, proseguitur: *Libera nos quæsumus*, eadem Patena se signat &c. ut in Missa privata.

3. *Discooperit, & cooperit Calicem.* Dum Celebrans dicit verba illa: *ab omni perturbatione securi*, Diaconus discooperit Calicem, deponendo de more Palla super Corporale, cum Celebrante genuflectit, & surgit. Advertat autem Diaconus, ne teneat pedem Calicis, dum super eum Celebrans frangit Hostiam; neque tunc debet permanere genuflectus, ut aliqui gratis faciunt; sed postquam Celebrans particulam Hostiæ immiserit in Calicem, hunc iterum Palla cooperit, cum Celebrante genuflectit, & surgit: nunquam tamen Diaconus, similiter Subdiaconus, dum ad Altare genuflectunt, manus super Altare ponant, ad differentiam Celebrantis.

4. *Subdiaconus reddita Patena &c.* Subdiaconus vero reddita Patena Diacono, deponit velum oblongum, quod ab humeris ejus pendeat, quod velum accipere debet ambabus manibus Thuriferarius stans post Subdiaconum, & facta genuflectione, illud defert ambabus manibus ad Credentiam, ibique plicatum reponit. Subdiaconus autem ibidem,

dem nempe ad dextram Diaconi genuflectit, & redit ad suum plani medium retro post Celebrantem per gradus anteriores Altaris, ibique stat facie ad Altare versa.

5. *Cum dicitur Pax Domini &c.* Dum Celebrans dicit: *Pax Domini &c.*, Subdiaconus genuflectit in loco suo super infimum gradum in medio, ubi erat & accedit ad sinistram Celebrantis, & statim ac pervenit ad ejusdem sinistram, genuflectit iterum apud Altare, eodem tempore quo post coopertum Calicem, Celebrans, & Diaconus suis in locis genuflectunt.

6. *Simul dicunt Agnus Dei.* Celebrans, & Ministri inclinati simul, inclinatione media, junctis manibus ante pectus, dicunt simul *Agnus Dei*, submissa voce: & dum dicunt prima vice: *Miserere nobis*, disjungunt manus, sinistram infra pectus ponunt, & dextra percutiunt pectus, sinistramque pectori admotam tenent, usquedum percutiant pectus secunda, & tertia vice ad illa verba: *miserere nobis, & Dona nobis pacem.* Celebrans tamen percutiendo pectus, sinistram ponit super Corporale, ut in Missis privatis. Ceroferarii, dum Celebrans cum Ministris dicunt *Agnus Dei*, tenent candelabra sua elevata.

7. *Redit post Celebrantem.* Subdiaconus dicto *Agnus Dei*, & facta ibi ad Altare genuflexione unico genu Sacramento, redit retro post Celebrantem, non descendens in suum locum in plano, sed stans in secundo gradu Altaris (ubi Diaconus stare debet, quando est retro Celebrantem) ut sic commodius ab ipso Diacono Pacem recipere valeat.

8. *Diaconus vero a dextris genuflexus expectat Pacem.* Diaconus finito ultimo *Agnus Dei*, statim genuflectit utroque genu in eodem loco a dextris Celebrantis, & remanet genuflexus per totam primam Orationem: *Domine Jesu Christe, qui dixisti &c.*, quam de more dicit Celebrans submissa voce.

9. *Cum Celebrans osculatur Altare &c.* Circa finem supradictæ Orationis, ut simul cum Celebrante osculari possit

fit Altare, Diaconus se se erigit, & manibus ante pectus junctis, non autem super Altare positus, illud osculatur, sed extra Corporale, dum Celebrans illud osculatur in medio, positus manibus super Corporale.

10. *Complexus accipit Pacem.* Peractis supra dictis Celebrans dat Pacem Diacono, sed antequam ei Pacem offerat, non debet Sacramento genuflectere, nec id facere, quando oblata Pace se iterum ad Sacramentum convertit. Celebrans igitur osculato Altari, convertit se ad Diaconum, & eum amplectitur hoc modo, ponit manum dextram supra sinistrum humerum Diaconi, sinistram vero ponit sub axillis dextræ manus Diaconi; & similiter Diaconus suam dextram ponit supra sinistrum humerum Celebrantis, & sinistram sub axillis illius dextræ: Celebrans dicit: *Pax tecum:* & Diaconus respondet: *Et cum Spiritu tuo.*

11. *Sinistris genis sibi invicem appropinquantibus.* Diaconus appropinquat sinistram genam sinistræ genæ Celebrantis, non est autem necesse, ut se tangant genis. Observat hic *lit. u.* Gavantus, quod Diaconus accipiat Pacem stans a dextris Celebrantis, non tamen appropinquantibus genis dextris, sed sinistris; quia per genas sinistras significatur, dari Pacem e corde, quod ad sinistram vehit, & quod in adversis etiam cum proximo Pax habenda sit.

12. *Similiter dat ei Pacem.* Celebrans oblata Pace Diacono, conversus ad librum prosequitur alias Orationes, ut in Missa privata. Diaconus autem accepta Pace, & facta genuflexione in eodem loco, in quo Pacem recepit, vertit se ad Subdiaconum per latus suum sinistrum, advertens ne terga vertat Sacramento, & tunc Diaconus non se inclinat Subdiacono; quia qui Pacem defert, quicumque sit, nulli quantumvis Supremo Principi, reverentiam facit, antequam ei Pacem det, sed solum post datam Pacem. *Cærimon. Episc. lib. I. cap. 24. §. 5.* Gavantus *lit. y.* & alii Rubricistæ communiter. Subdiaconus tamen Diacono se inclinat, quia qui  
Pa-

Pacem accipit, pro qualitate Personæ plus, vel minus se inclinatur, antequam accipiat Pacem. Itaque Diaconus amplectitur Subdiaconum, ponens manum dextram supra sinistrum humerum Subdiaconi, sinistram vero manum ponens sub axillis illius: & Subdiaconus similiter facit, sinistris genis sibi invicem appropinquantibus; Diaconus dicit: *Pax tecum*, & Subdiaconus respondet: *Et cum Spiritu tuo*: quod item alii observant in danda, & accipienda Pace. Vel secundum alios (apud Merati *part. 2. tit. 10. num. 44.*) Pax datur sequenti modo. Dans Pacem superimponit brachia sua, aut saltem manus suas humeris recipientis, & recipiens vicissim brachia sua, aut saltem manus ponit subtus brachia dantis Pacem: nisi recipiens dignior esset, quam dans; nam in hoc modo dandi Pacem, dignior superimponit sua brachia, aut manus humeris alterius, & minus dignus ponit suas manus subtus brachia alterius. Demum data Pace mutuo se inclinare debent inclinatione unicuique debita proportionaliter, hoc est plus, vel minus secundum qualitatem Personarum dantis, & accipientis.

13. *Vadit ad Chorum &c.* Subdiaconus accepta a Diacono suprascripto modo Pace, genuflectit cum Thuriferario, & ingreditur Chorum per portam ex parte Epistolæ præcedente Thuriferario; Subdiaconus perveniens ad medium Chori (stante Thuriferario a sinistris eius paululum post ipsum) salutatur totum Chorum ab utraque parte, eo modo, quo supra ad Titulum VII. Rubr. X. *num. 24.* dictum est de Diacono ante incensationem Chori (prohibetur enim salutatio determinatæ personæ, cui danda est Pax, sed non salutatio Chori, quæ profecto non est omittenda, ut ait hic Merati *num. 45.*) Deinde si Cantores sint ornati superpelliceis, accedit ad primum Cantorem, eique dat Pacem per amplexum, eo modo, quo ipse accepit a Diacono dicens: *Pax tecum*, ut supra explicatum est postea accedit ad secundum Cantorem in altera parte, simili modo ei Pacem offerens. Cantores vero quilibet in suo Choro dat statim Pacem primo

seu digniori, qui stat ex parte sui Chori, & hi quilibet illorum dat suo viciniore, & hic alteri, & sic deinceps usque ad ultimum sui Chori. Quod si Cantores non essent ornati, Subdiaconus nullum illorum respectum habebit; sed dabit Pacem primo, seu digniori ex utraque parte Chori, & hic viciniore &c.

14. *Dat Pacem Acolytha &c.* Subdiaconus data Pace, ut supra, & iterum facta reverentia utrique parti Chori, revertitur ad Altare per portam ex parte Evangelii, præcedente suo Comite; perveniens ante medium Altaris, genuflectit super infimum gradum, genuflectente Thuriferario à sinistris Subdiaconi in plano, & statim surgunt; Subdiaconus se parum convertit per suam sinistram, ne tamen terga vertat Altari, ad Thuriferarium, & ei de more dat Pacem, Thuriferarius eam dat primo Acolytha, & hic secundo.

Hippolytus a Portu super hanc Rubricam *num. 27.* docet: Si Laicis, aut Prælato deportanda sit pax, per Instrumentum tantummodo, seu Tabellam datur. Unde si adsit sive in Choro, sive ante Altare in, vel prope Presbyterium (non enim debet ad eos ambulare usque ad mediam Ecclesiam) aliquis Prælati, aut Princeps, vel alius insignis, & magnæ auctoritatis Dominus, illis Subdiaconus Pacem defert cum Instrumento, in quo idem ordo servandus est, quem servavit Diaconus in incensatione eorum, nempe quos Diaconus incensavit ante, vel post incensationem Chori, illis pariter Subdiaconus defert Pacem antequam, vel postquam illam detulit Choro incedet autem ad Prælatum, vel Principem &c. habens a sinistris Thuriferarium portantem Instrumentum Pacis, ad quos perveniens accipit Instrumentum a Thuriferario, & offert Prælati, aut Principi &c.: deosculandum, nulla facta ante, sed bene post deoscultationem reverentia, dicens: *Pax tecum.* Quod si pluribus exhibeatur prædictum Instrumentum, post quodlibet osculum illud Subdiaconus, reverentiæ causâ, abstergat velo, quod debet esse

esse appensum manubrio Instrumenti. Et post quamlibet deosculationem profundam faciat reverentiam deosculanti.

Observandum adhuc, quod si Missa celebretur in aliquo Altari nimium distante a Choro, tunc non convenire, ut Subdiaconus deferat Pacem ad Chorum, sed in tali casu Subdiaconus accepta Pace a Diacono statim eam offert Thuriferario, & hic primo Acolytho, & hic alteri: in Choro vero existentes poterunt sibi met dare Pacem, ita ut in quamlibet parte Chori dignior det suo vicino, & hic sequenti, & sic usque ad ultimum.

15. *Subdiaconus vadit ad dextram Celebrantis &c.* Subdiaconus data Pace suo Comiti, iterum genuflectit in medio super infimum gradum, surgit, & accedit ad dextram Celebrantis, illuc perveniens non genuflectit denuo, nisi quando Celebrans genuflectit; inclinatur se mediocriter SS. Sacramento, & pectus (quod quoque præstat Diaconus) percutit ad *Domine non sum dignus*: dumque SS. Hostiam, & Sanguinem sumit Celebrans, profunde inclinatur ambo Ministri versus Altare, sed non inclinatur se illo temporis intervallo, quod ab una sumptione ad aliam elabitur. Deinde quando necesse est, Subdiaconus discooperit Calicem, & cum Celebrante genuflectit. Dum Celebrans dicit: *Domine non sum dignus*, Ceroferarii elevatur sua candelabra, & elevata tenent usque post sumptum SS. Sanguinem.

16. *Infundit, quando Celebrans vult purificare.* Sumpta S. Hostia a Celebrante, Thuriferarius facta genuflexione, tempestive de Credentia defert ampullas vini, & aquæ, & accedit ad latus Epistolæ, & quando opus est, eas successive porrigit Subdiacono sine osculis: Subdiaconus vero infundit vinum in Calicem manu dextra ad nutum Celebrantis pro ejus purificatione, cum reverentia prævia, & osculo ampullæ tantum porrigente ipso Celebrante Calicem super Altare, non extra. Infuso vino pro purificatione, Subdiaconus deinde rursus infundit vinum pro ablutione manu dex-

tra super pollices, & indices Celebrantis: eoque infuso reddit ampullam vini Thuriferario, & eadem manu dextra accipiens ampullam aquæ, infundit aquam super eosdem digitos, osculata prius ampulla (prædicta autem oscula in Missis Defunctorum omittuntur) tandem reddit etiam ampullam aquæ Thuriferario, qui utramque reportat ad Credentiam.

Si postquam Celebrans sumpsit SS. Corpus D. N. I. C. Subdiaconus sit adhuc impeditus in distribuenda pace, & nondum redierit ad Altare pro ministrandis ampullis Celebranti, Diaconus facta genuflexione, transit ad dextram Celebrantis, & dum Celebrans incipit disjungere manus, Diaconus discooperit Calicem, & genuflectit cum Celebrante, cui deinde ministrat purificationem, & abluionem; sed adveniendi Subdiacono, statim ei locum cedit Diaconus, & illum residuum sui officii peragere sinit, ipse vero Diaconus redit ad librum, cum consuetis genuflexionibus in utraque parte. In casu vero quod Pax non detur, prout non datur in omnibus Missis Defunctorum, statim finito ultimo *Agnus Dei*, Diaconus accedit ad librum, & Subdiaconus ad dextram Celebrantis. Si autem Populo distribuenda esset S. Eucharistia, Diaconus permaneret ad dextram Celebrantis, & Subdiaconus data Pace superveniens, facta genuflexione in medio super infimum gradum, ascenderet ad sinistram Celebrantis, & ea observarent, que dicentur Rubrica sequenti.

17. *Diaconus post datam Pacem &c.* Diaconus data Pace, Subdiacono, statim transit ad sinistram Celebrantis, seu ad librum, incedens per secundum gradum, & non genuflectens in medio, sed in accessu ad Altare, seu ad sinistram Celebrantis genuflectit unico genu, & statim surgens ibi eidem assistit, non tamen se inclinatur cum Celebrante tempore Orationum *Domine Jesu &c.* & *Perceptio &c.*; genuflectit vero cum illo, & mediocriter se inclinatur, & percutit pectus ad *Domine non sum dignus*; dum autem Celebrans se communicat (prout Rubrica præscribit) profunde se incli-

nat versus Altare: ut etiam supra *num.* 15. dictum est de Subdiacono.

„Rubrica IX. In Missa Pontificali, Assistens acci-  
 „pit, & defert Pacem, ut in Cæremoniali habetur. Si in  
 „Missa Solemni fiat Communio, omnia servantur ut supra,  
 „sed prius communicet Diaconum, & Subdiaconum, deinde  
 „alios per ordinem: & Diaconus purificationem eis mini-  
 „stret. Interim a Choro cantatur Antiphona, quæ dicitur  
 „*Communio.*

Quando in Missa Solemni facienda est Communio Po-  
 puli (nam de Communionem distribuenda nostris Religiosis,  
 dictum est supra *part.* 2. *cap.* 4. *a num.* 7. *& seq.*) Postquam  
 Celebrans sumpserit SS. Sangvinem, & antequam in Cali-  
 cem infundatur vinum pro purificatione, cooperit Calicem  
 Palla, illumque retrahit aliquantulum versus cornu Evange-  
 lii, ut tamen semper sit super Corporale, & lapidem Sa-  
 crum. Diaconus vero transit ad dextram, & Subdiaconus  
 accedit ad sinistram Celebrantis, facta ab utroque in accessu,  
 & recessu genuflexione unico genu: advertat autem Subdia-  
 conus, dum est in via, ut gradum superiorem cedat Diaco-  
 no, & ipse transeat per planum, & Diaconus per secundum  
 gradum, qui dum ad dextram Celebrantis pervenerit, facta  
 ibidem genuflexione, Pyxidem Particularum, si in Missa  
 sint consecratæ, collocat in medio Altaris, ubi prius erat  
 Calix, eamque discooperit, & iterum genuflectit. Si vero  
 Pyxis sit extrahenda de Tabernaculo, tunc Celebrans, ut  
 relinquat locum medium Diacono, recedit cum Subdiacono  
 versus cornu Evangelii, & ibi ambo genuflectunt. Diaco-  
 nus autem aperit Tabernaculum, ac mox unico genu genu-  
 flectit, & statim surgit, ac Pyxidem e Tabernaculo extra-  
 hit, quam ponit in medio Altaris super Corporale, illam-  
 que aperit, cujus operculum super Altare ponit; & postea  
 iterum unico genu Sacramentum adorat, & surgens recedit

a medio: ac mox Celebrans cum Subdiacono surgit, & redit ad medium Altaris.

Aperta Pyxide, & facta genuflexione (juxta Cærimoniale Episcoporum *lib. 2. cap. 29. Bauldry, part. 3. cap. 10 num. 3. & alios*) Diaconus se recipit ad cornu Epistolæ supra secundum gradum, ubi stans junctis manibus corpore mediocriter inclinato ad Celebrantem, recitat alta voce *Confiteor*. Finita Confessione Celebrans, qui stabat facie ad Altare conversa, genuflectit unico genu Sacramento, & statim surgit, ac manibus junctis ante pectus se convertit ad Communicandos, conversis humeris ad cornu Evangelii, ita ut facies convertatur partim ad communicandos, partim ad latus Epistolæ, ne terga vertat Sacramento, & sic stans dicit intelligibili voce (stante interum Subdiacono a tergo Celebrantis) *Misereatur vestri &c. Indulgentiam &c.* producens manu dextra signum Crucis super communicandos.

Postquam Celebrans dixit *Indulgentiam &c.*: Diaconus, & Subdiaconus statim permutant locum, genuflectentes solummodo in medio unus post alium, quisque supra gradum suum, & ascendunt ad latera Celebrantis, Diaconus quidem ad cornu Evangelii, Subdiaconus vero ad cornu Epistolæ, ubi stant omnino profunde inclinati versus SS. Sacramentum, dum Celebrans dicit: *Domine non sum dignus*, deinde assistunt Celebranti stantes a lateribus ejus per totum Communionis tempus, quo durante Subdiaconus tenet manus junctas ante pectus, Diaconus vero sinistra manu pectori admota, dextra Patenam tenet sub mento eorum, quibus datur SS. Eucharistia.

Quod si etiam Diaconus, & Subdiaconus S. Communionem sint accepturi, Subdiaconus statim a principio, dum *Confiteor* a Diacono recitatur, genuflectit in margine suppedanei Altaris in medio, aliquantulum tamen versus partem Evangelii; & dicto a Celebrante *Indulgentiam &c.*: Diaconus

nus quoque accedit, & genua flectit in margine suppedanei circa medium Altaris ad dextram Subdiaconi. Deinde cætera fiunt, prout dictum est supra *part. 2. cap. 4. num. 7.* & sequentibus.

Finita Communionem, Celebrans redit ad Altare, tenens digitos super Pyxidem, quam deponit supra Corporale, tergitque leviter super eam pollicem, & indicem dextros, ut in eam decidant, si quæ illis adhæserant particulæ: Diaconus Patenam super Corporale reponit, & Celebrans simul cum Sacris Ministris genuflectit, Subdiaconus transit ad cornu Evangelii, ubi flectit genua una cum Celebrante, Diaconus autem ad cornu Epistolæ, ubi facta rursus genuflexione, Sacram Pyxidem cooperit, & in Tabernaculo reponit, ac denuo genuflectit, & erectus (Celebrante, & Subdiacono etiam tunc surgentibus) Tabernaculum claudit, Calicem reponit in medio Corporalis, illoque detecto locum mutat cum Subdiacono, & ab utroque ad latera Celebrantis in recessu, & accessu fiunt genuflexiones requisitæ. Subdiaconus ministrat Celebranti purificationem, & ablutionem, ut dictum est Rubrica præcedenti *num. 16.*

## AD TITULUM XI.

### DE COMMUNIONE, ET ORATIONIBUS POST COMMUNIONEM DICENDIS.

„Rubrica III. In Missa Solemni Diaconus (1.) desert  
„librum Missalis ad cornu Epistolæ, deinde vadit retro post  
„Celebrantem: Subdiaconus (2.) vero vadit ad cornu Evan-  
„gelii, ubi Calicem mundat, aptat cum Purificatorio, Pa-  
„tena, & Palla cooperit, plicat Corporale, reponit in bur-  
„sam, & illam ponit super Calicem coopertum velo, quem  
„(3.) collocat in Altari, vel super (4.) Credentia, ut prius;  
„postea (5.) redit ad locum suum retro post Diaconum: qui  
„dum dicit, *ite, Missa est*, cum Celebrante (6.) vertit se

„ad

„ad populum; & in (7.) Quadragesima dicto per Celebrantem *Oremus*, Diaconus in cornu Epistolæ vertens se ad populum, junctis manibus dicit, ut supra *Humiliate* &c., quo dicto vertit se versus Altare a tergo Celebrantis, & Celebrans dicit Orationem super populum.

1. *Diaconus defert librum Missalis* &c. Dum Celebrans sumit ablucionem, Diaconus stans in cornu Evangelii, accipit ambabus manibus Missale clausum cum cussino, illudque defert ad cornu Epistolæ, ambulans per secundum gradum, in medio genuflectit unico genu: Missale vero ponit in cornu Epistolæ apertum in folio, ubi est Antiphona, quæ dicitur *Communio*, quam idem Diaconus Celebranti, indicat digito, & illi assistit, quousque eam legerit; deinde vadit retro post Celebrantem ad secundum gradum, & statim cum eo procedit ad medium Altaris, ubi stat post Celebrantem versus Altare, dum Celebrans dicit: *Dominus vobiscum*; postea per eundem secundum gradum redit cum Celebrante ad cornu Epistolæ, Orationem, vel Orationes Celebranti ostendit, & folia vertit, si opus sit; finita ultima conclusione claudit librum. Qui tamen liber claudi non debet, si aliud Evangelium ab illo consveto S. Joannis legendum est. Ceroferarii tempore Orationum tenent candelabra elevata.

2. *Subdiaconus vero vadit* &c. Subdiaconus postquam reddidit ampullas Thuriferario, accedit ad cornu Evangelii per planum, genuflectit in medio Altaris retro post Diaconum eodem tempore, quo hic genuflectit cum libro: & cum venerit ad cornu Evangelii, extergit Calicem Purificatorio, postea idem Purificatorium super Calicem ponit, & desuper Patenam, quam cooperit Palla, deinde velo; quod velum Thuriferarius, quando reportavit ampullas vini, & aquæ ad Credentiam, de eadem accipit velum, & defert ad Altare, incedendo per planum Presbyterii, unico genu flectens in medio, & per gradus laterales Evangelii ascendit,  
&

& tradit Subdiacono: quod si a principio Missæ Calix statim depositus fuit super Altare, & ante offertorium velum Calicis remansit super Altare prope Corporale ex parte Epistolæ, Subdiaconus transiens ex hac parte ad cornu Evangelii, ipsemet secum defert prædictum velum. Subdiaconus plicat Corporale, quod statim reponit in Bursam, quam ponit super velum, & statim super Bursam revolvit velum in parte anteriori, in casu quo Calix statim deferendus est ad Credentiam, ut mox dicetur.

3. *Quem collocat in Altari.* Loquitur Rubrica de Missa minus Solemni, & quando ex Sacristia Subdiaconus portat Calicem, & Diaconus librum ad Altare, & Calix statim statuitur super Altare, prout dictum est supra in principio hujus capituli, de ingressu Sacerdotis ad Altare immediate ante *num. 4.* ex Gavanto, & etiam ad Titulum 7. Rubr. 9. *num. 2.* In hoc casu Subdiaconus coopertum Calicem, ut supra, collocat in medio Altaris, eo modo quo fuerat in principio, nempe velum in anteriori parte non debet esse revolutum super Calicem, sed dependens ad mensam Altaris, Corporale tamen sit inclusum in Bursa, quæ sit posita super velum Calicis.

4. *Vel super Credentia.* Gavantus hoc loco *lit. 9.* inquit: magis placet, imo vero etiam decet Calicem amoveri de Altari. Bauldry *part. 3. cap. 9. num. 2.* docet: Subdiaconus Calicem sic dispositum reportat ad Credentiam, eumque collocat super eandem Credentiam, partem anteriorem veli, quæ erat revoluta super Bursam, explicans ante Calicem, ita ut tegatur in parte anteriori; ut initio Missæ. Hippolytus a Portu super hanc Rubricam *num. 6.* ait: omnino removeatur ab Altari, & deferatur ad Credentiam. Merati hic *num. 10.* asserit: Calix instructus ut supra, omnino ab Altari removeatur, & ad Credentiam deferatur. Cavalieri *tom. 5. cap. 24. num. 45.* concludit: Subdiaconus, induto Calice, & revoluta super Bursam anteriori veli parte, Cali-

cem ipsum movet ab Altari. Ubi hunc posuerit super Credentiam, partem veli anteriorem, quæ revoluta erat super Bursam, deponit, & anteriorem cooperit Calicis partem. Itaque saltem diebus Festivis, & in aliis Missis Solemnioribus, Subdiaconus Calicem, ut supra vestitum, desert ad Credentiam per viam breviorē, adeoque per gradus anteriores Altaris, facta tamen in medio genuflexione Altari unico genu: incedit autem solus sine comite, tenens Calicem sinistra per nodum, & dextra posita super Bursam, ne aliquid decidat, & statim ut supra Credentiam illum reposuerit, partem anteriorem veli, quæ erat revoluta super Bursam, explicans ea cooperit anteriorem partem Calicis.

5. *Postea redit ad locum suum.* Subdiaconus collocato Calice super Credentia, vadit ad cornu Epistolæ in plano per viam breviorē, ut adsit ad Orationem, vel Orationes si plures sint dicendæ, & stat retro post Diaconum in plano ante infimum gradum anteriorem, manibus junctis sine prævia genuflexione. Si vero Celebrans, & Diaconus adhuc starent ante medium Altaris, Subdiaconus accedens retro post ipsos ante medium Altaris, genuflectere debet. Celebrans autem, cantatis Orationibus, cum suis conclusionibus, relicto Missali aperto, quod claudere debet Diaconus, redit ad medium Altaris simul cum Ministris modo consueto, ubi stante Diacono in secundo gradu, & Subdiacono in plano post Celebrantem, is se convertit ad Populum, & cantat *Dominus vobiscum.*

6. *Vertit se ad populum.* Responso a Choro: *Et cum Spiritu tuo:* Diaconus facta genuflexione versus Altare unico genu in loco in quo est, movendo se a suo latere sinistro ad dextrum convertit ad populum faciem, renes autem ad Celebrantem, & stat prout Celebrans (non se retrahens ad cornu Evangelii, quod solum præcipitur esse faciendum, dum est SS. Sacramentum supra Altare extra Tabernaculum) cantat tono competenti, manibus junctis; *Ite, Missa est.*

*est.* Celebrans vero, dum Diaconus cantat: *Ite, Missa est,* stat adhuc versus populum; Subdiaconus autem non se movet, sed stat in suo loco in plano versus Altare. Dicto *Ite, Missa est,* Celebrans, & Diaconus vertunt se ad Altare, ibique Celebrans dicit de more: *Placeat tibi Sancta Trinitas &c.* Si vero non dicatur, *Ite, Missa est,* sed vel *Benedicamus Domino;* vel in Missa Defunctorum: *Requiescant in pace,* tunc Diaconus, dum hæc cantat, non vertit se ad populum, sed stat versus Altare (sicut etiam stare debet Celebrans) manibus junctis, & cantat: *Benedicamus Domino:* vel *Requiescant in pace.*

7. *In Quadragesima &c.* Scilicet a Feria 4. Cinerum usque ad Feriam 4. Majoris Hebdomadæ inclusive, in Missis tantum de Feria, additur altera Collecta super populum, cui præmittit, stans in cornu Epistolæ Celebrans alta voce cantando: *Oremus;* quo dicto Diaconus, stans post Celebrantem, nulla facta genuflexione, per latus suum dextrum vertit se ad populum, & sic conversus stans manibus junctis, & demissis ad terram oculis, cantat: *Humiliate capita vestra Deo:* quo dicto se iterum convertit ad Altare, & stat inclinatus ad Orationem, quam cantat Celebrans, ad quam Orationem etiam Subdiaconus caput inclinare debet stando pariter junctis manibus: alii vero omnes, sicut etiam Chorus ad supradictam Orationem manent genuflexi manibus junctis, & capite inclinato, præter Ceroferarios, qui stant tenentes sua candelabra elevata.

Merati hoc loco num. 13. cum Gavanto lit. r. addit: observandum hic esse, quod Celebrans non debeat dicere submissa voce, *Ite, Missa est,* cum adest Diaconus, qui ea verba cantando profert; ita nec dicere debet idem Celebrans submissa voce: *Humiliate capita vestra Deo.* Alia vero est ratio de *Benedicamus Domino,* aut *Requiescant in pace* (quæ Diaconus cantat versus Altare) nam in illo Celebrans non

solum alios, sed etiam se ipsum hortatur ad benedicendum Domino in hoc vero pro mortuis orat, ideoque utrumque etiam dicit submissa voce.

## AD TITULUM XII.

### DE BENEDICTIONE IN FINE MISSAE, ET EVANGELIO S. JOANNIS.

„Rubrica. In Missa Solemni Celebrans eadem voce, „& modo, quo in Missis privatis, semel tantum benedicit „(1.) populo, nisi sit Episcopus: & dicto Evangelio secun- „dum Joannem, vel alio ut supra, ministrante (2.) Subdia- „cono librum, si opus est, discedit (3.) cum Ministris ordi- „ne, & modo, quo venerat.

1. *Benedicit populo.* Postquam Celebrans dixerit: *Placeat &c.*, dum osculatur Altare, omnes genuflectunt, & ad benedictionem sinistra manu infra pectus posita, dextra manu omnes se signant signo Crucis a fronte ad pectus de more: Diaconus genuflectit in medio Altaris in superiori gradu paululum versus cornu Epistolæ, Subdiaconus similiter ascendens, in eodem superiori gradu genuflectit a sinistris Diaconi: Thuriferarius, & Ceroferarii, & omnes alii flectunt in suis locis.

2. *Ministrante Subdiacono librum.* Data benedictione omnes surgunt, Subdiaconus statim accedit ad cornu Evangelii, ibique sustinet tabellam Evangelii S. Joannis. Si vero sit dicendum aliud Evangelium, in eo casu Subdiaconus, dum Celebrans dicit. *Placeat tibi Sancta Trinitas &c.*, genuflectit in suo loco, ubi est, & mox accedit ad cornu Epistolæ, accipit Missale, & illud transfert ad cornu Evangelii; sed advertat, ut prius in medio genuflectat ad sinistram Diaconi, quando Celebrans dat benedictionem; non tamen se signat, quia habet in manibus librum: & data benedictione statim surgit, Missale collocat super cornu Altaris, illudque susti-

fufinet, dum Celebrans ex eo legit. Diaconus autem ascendit, & dum legitur Evangelium, stat quasi medius inter Celebrantem, & Subdiaconum manibus junctis, aliquanto tamen post Celebrantem, cum quo (quod & alii facere debent) se signat in fronte, ore, & pectore. Ceroferarii tempore Evangelii tenent sua candelabra elevata. Cum dicitur: *Et Verbum caro factum est*, sicut etiam in fine tertiæ Missæ in die Nativitatis Domini ad illa verba: *Et procedentes adoraverunt eum*: omnes unicum genuflectunt, Celebrans quidem versus librum, seu tabellam, Diaconus vero, & Subdiaconus, sicut & omnes alii, etiam in Choro, genuflectunt versus Altare.

Finito Evangelio, Subdiaconus respondet: *Deo gratias*; & si Evangelium fuit lectum ex Missali, illud Subdiaconus statim tradit Diacono. Celebrans revertitur ad medium Altaris, Diaconus accedit ad dextram Celebrantis, & librum, si ex eo fuit lectum Evangelium, reponit super Cussum in cornu Epistolæ; Subdiaconus stat ad sinistram Celebrantis, & omnes simul faciunt inclinationem Cruci; deinde Celebrans, & Subdiaconus vertendo faciem ad cornu Epistolæ, Diaconus autem ad cornu Evangelii descendunt, junctis manibus ante pectus, in planum ante infimum gradum; & statim Thuriferarius Instrumentum Pacis cum Reliquiis Sanctorum, aut Crucem acceptam de Credentia, tradit Diacono, & hic Celebranti. Quod si ante Missam non fuerit Missale collocatum super Altare, & Calix super Credentia; sed Diaconus Missale, & Subdiaconus Calicem ad Altare portaverint ex Sacristia, tunc etiam finito ultimo Evangelio, Diaconus accipit Missale, & Subdiaconus Calicem de Altari, & facta inclinatione Cruci simul cum Celebrante, cum eo se vertunt ut supra, in planum descendunt, & supradicta ad Sacristiam reportant.

3. *Discedit cum Ministris.* Constitutis omnibus ut supra, ante infimum gradum Altaris, etiam Cantoribus si sint

superpelliceis ornati, stantibus post Diaconum, & Subdiaconum, omnes simul genuflectunt unico genu (quod si non adfit in Tabernaculo SS. Sacramentum, Celebrans solum se profunde inclinat) deinde se convertunt, Celebrans, & Sacri Ministri caput cooperiunt, alii vero nudo capite, procedunt omnes ad Sacristiam eodem ordine, quo venerant ad Altare, ut dictum est in principio hujus capituli *num. 3.* Cum ad Sacristiam pervenerint, omnes simul se se profunde inclinant Cruci, seu Imagini principali; deinde minus profunde Celebranti, qui eis congrua capitis inclinatione respondet: postea accedunt ad deponenda Paramenta, & Ceroferrarii sua candelabra, & candelas extinguunt, & statim simul cum Thuriferario adjuvant Celebrantem, & Ministros Sacros ad deponenda Paramenta, qui, easdem vestes, quas induendo osculati sunt, nempe Stolum, Manipulum, & Amictum etiam deponendo osculari debent. Demum Celebrans lavat manus, ministrantibus Acolythis aquam cum manutergio, vel etiam accedens ad lavatorium, ut dictum est de lotionem manuum ante Missam. Tandem Thuriferarius, & Acolythis accedunt ad Ecclesiam, & ex Altari, & de Credentia, ea quæ ante Missam ibidem collocaverant, ad Sacristiam reportant: ultimo tandem superpellicea deponunt. Statim ab Altari Celebrans cum Ministris recessit ad Sacristiam, candelas Altaris extingvit Subcrista, aut alius Frater Laicus.

## C A P U T VII.

D E

### OBSERVANDIS A CANTANTIBUS MISSAM IN CHORO.

I. **U**t omnia rite, & ordinate fiant, in quolibet Conventu sit unus Cantor ordinarius, cujus adjutor qualibet Septimana scribatur in tabula Officiorum (nisi aliquis determinatus

minatus sit pro adjutore perpetuo) ita quod in Choro semper sint duo Cantores, unus ex una parte Chori, alter ex altera parte. Pro præcipuis autem Solemnitatibus in majoribus Conventibus possunt assignari Cantores quatuor tam in Missis, quam in Vesperis.

2. Præcipuum Cantoris ordinarii officium est, Chorum quo ad cantum dirigere, ac moderari, ut cantus sit regularis, & gravis, non altus nimium, neque depressus, sed mediocris, moderatus, ac religiosus, cum debitis pausis nihil prorsus habens cum sæcularibus naniis commune. Neque ipse Cantor alte inonet, nec alios voce altiori Chorum excedere permittat; ex nimio enim clamore minuitur devotio, levitas ostenditur, rupturæ gignuntur, multaque incommoda proveniunt, recte enim dicitur: Non clamor, sed amor psallit in aure Dei. Cantor itaque cum sit rector Chori, quo ad cantum, ut tempestive possit ad Missam cantandam venire, Missam privatam ante, vel infra Primam legat.

3. Cantum difficilem, tam in Missis, quam in Vesperis, præsertim quo ad Antiphonas proprias, antecederet in Refectorio, aut in cella Cantor cum Clericis prævideat, ne errores in Ecclesia ob cantus ignorantiam, vocumque discrepantiam, cum vituperio, risu, atque audientium offendiculo committantur, & ut juvenes tali exercitio assveti, cantum a Cantore discant. Libros chorales tam ipse Cantor, quam alii munde tractet, folia graphio vertat, non vero humefactis saliva digitis; strepitum nullum exitet, & omnino abstineat ab omnibus verbis irreligiosis, & laceasantibus Fratres convitiis. Ac proinde sicut Oratorem, sic nostrum Cantorem modestia vultus, gestus, vocisque moderatio commendare debet. Statim autem (dum aliquid cantatur) cum suo adjutore, in medio Fratrum, ut ante, & post a Fratribus audiatur.

4. Similiter Pater, five Frater Organarius leves cantus, vel sæculares nœnias, curiosasque cantilenas in medium non proferat, serio id prohibente Concilio Tridentino; sed devotas, pias, ac religiosas, quæ homines ad devotionem, non vero ad risum, aut ad delectationem sæcuharem moveant: habeatque Organarius juxta differentiam Festorum etiam differentiam mutetarum, ita ut singularia Festa habeant etiam singulares, & devotas modulationes. Attente etiam observet Organarius tinnitum campanulæ, quo monetur, quando finiendum. Observentque exacte tam Cantores, quam Organarii ea omnia, quæ pro illis præscripta sunt in Statutis Provincialibus folio 401. & 406.

5. In Divinis Laudibus persolvendis in Choro, & Ecclesia, omnes & singuli Fratres, & Patres ab omnibus iis prorsus caveant, & abstineant, quæ Domum Dei, & Sancta Sanctorum dedecent, ac propterea modesta corporis compositione, intimo pietatis affectu, mente, & spiritu Deo psallant, cantantes vocibus, cordibus exultantes, non oscitanter, & perturbate, sed attente, & devote; canantque, non cantibus quibus solum alliciuntur aures, sed devotis, & compositis, quibus pietas Fidelium excitatur, & qui Majestatem redolent Ecclesiasticam. Nam ultra Concilium Tridentinum etiam Sacri Canones Cap. Cantantes 92. serio prohibent in Ecclesiis omnem cantum, quo audientes ad lasciviam potius, quam ad devotionem excitantur. Et Alexander VII. in Constitutione: *Piæ Sollicitudinis*. 23. Aprilis 1657. *Severe præcipit omnibus, & singulis utriusque Cleri Superioribus, ne in eorum Ecclesiis, dum Officia Divina celebrantur, quidquam cantari permittant modulis illis, qui choreas, & profanam potius, quam ecclesiasticam melodiam imitantur.* Hinc summo-pere caveant, imo & abhorreant, præsertim tempore Nativitatis Domini, ab illis puerilibus cantilenis, & quod pejus est in nota chorearum, & aliarum nœniarum Sæcularium

com-

compositis, ut vulgo dicere solent: *Kolendowat*; contra facientes Superiores severe puniant.

6. Quod attinet cantum Missæ: postquam Celebrans cum Ministris ad Altare pervenerit, Cantor in Choro *Introitum* inchoat, & mox totus Chorus eundem *Introitum* usque ad finem decantare debet. Deinde ambo Cantores decantant medietatem Psalmi, reliquum prosequente toto Choro: Cantores item cantant: *Gloria Patri &c.*, totus vero Chorus: *Sicut erat &c.* Postmodum illis diebus, quibus Organa silent, iterum totus *Introitus* repeti, & decantari debet a toto Choro: quando vero Organa pulsantur, solum intelligibili, & plana voce *Introitus* repetitur ab illo, qui stat in loco primi Acolythi. *Kyrie eleison*, & *Gloria in excelsis* alternatim cum interpositione, & pulsu organorum similiter decantantur, illa autem, quæ per Organa suppleantur, semper ab aliquo de Choro proferri debent intelligibili voce: & in fine ad illa verba: *Cum S. Spiritu in gloria Dei Patris*, omnes signo Crucis se signare debent. A principio vero quando Celebrans intonat: *Gloria in excelsis Deo*, omnes in Choro inclinare se debent inclinatione profunda. Dum vero ipsi cantant illa verba: *Adoramus te: Gratias agimus tibi: Jesu Christe: Suscipe deprecationem nostram; & iterum Jesu Christe*, omnes se inclinant versus Altare inclinatione media.

7. Ad primas Collectas, seu Orationes, & conclusionem ultimæ Orationis; similiter ad Orationem: *A cunctis*, usque ad illa verba: *Et B. Francisco, & omnibus Sanctis* inclusive, omnes stare debent inclinati inclinatione profunda; quod similiter observandum ad Orationem post Communionem, & conclusionem ultimæ Orationis: ad alias vero Orationes stant erecti, facie ad Altare conversa. Dum vero Diaconus, vel Celebrans si solus celebret, cantat: *Flectamus genua*, omnes genuflectere debent utroque genu, nec prius surgere, quam Subdiaconus incipiat, *Levate*. In omnibus autem Missis cantatis de Requiem, & de Feria, ad omnes,

singulas Orationes tam ante Epistolam, quam post Communionem omnes in Choro genuflexi permanere debent.

8. Dum cantatur Epistola omnes sedent: qua finita cantant Graduale, vel Tractum, aut Alleluia, sive Sequentiam, juxta temporis differentiam. Non est tamen necesse, ut supradicta semper ex integro decantentur, sed sufficit unus, & alter versus, ita tamen ut tanto tempore duret cantus, ut interea Celebrans possit legere Evangelium, imponere, & benedicere Incensum, & etiam Diaconum benedicere. De Alleluia vero notandum, quod illud prima vice decantet Cantor sine completionem, sed secunda vice a toto Choro in omnibus Notis completur cantus, & mox a toto Choro pariter decantatur sequens versus. Sequentia autem decantari potest alternatim cum interpositione pulsus Organorum.

9. Ad Evangelium omnes stant, & dum cantatur *Initium*, vel *Sequentia S. Evangelii* &c.: omnes se signare debent in fronte, ore, & pectore: & quando ipsi respondent: *Gloria tibi Domine*, omnes se profunde inclinant: Similiter se inclinant, aut etiam genuflectunt ad illa verba, ad quae se inclinatur, aut genuflectit Diaconus, & Celebrans.

10. Dum Celebrans intonat: *Credo in unum Deum*, omnes se profunde inclinant, & deinde statim cantare incipiunt: *Patrem omnipotentem*, totumque Symbolum cantando prosequuntur, non vero alternatim cum interpositione pulsus Organorum, ut aperte præcipit Cæremoniale Episcoporum *lib. 2. cap. 28. num. 10.* ea ratione, quia æquum est ut populus, qui est in Ecclesia, audiat totam, & integram, & non solum dimidiatam nostræ Fidei Professionem. Quando cantant illa verba: *Dominum Jesum Christum*, & illa: *Qui cum Patre, & Filio simul adoratur*, omnes se inclinant inclinatione media: dum vero cantant illa verba: *Et incarnatus est*, omnes genuflectunt usque ad *Resurrexit*. Tandem

in

in fine cantando illa verba: *Et vitam venturi Sæculi*, omnes se signare debent signo Crucis.

11. In Missis in quibus Organa non pulsantur, offertorium in Choro cantari debet; dum vero pulsantur Organa, sedent usque Diaconus ingrediatur Chorum pro ejus incensatione, quo ingrediente omnes surgunt & stant, ut dictum est Capite præcedenti de incensatione Chori ad Titulum VII. Rubr. X. ad num. 24.

12. Ad Præfationem omnes stant versa facie ad Altare; dum tamen Celebrans cantat: *Gratias agamus Domino Deo nostro*, omnes profunde se inclinant. Deinde *Sanctus* &c. Chorus decantat alternatim cum pulsu Organorum. In Missis vero, in quibus Organa non pulsantur, omnia Chorus decantare debet. Dum datur signum ante Elevationem, omnes genuflectunt, & ad utramque Elevationem SS. Sacramentum in silentio adorant, interim sonantibus Organis graviore, & dulciori sono: deposito Calice a Celebrante, Chorus prosequitur: *Benedictus qui venit* &c., & omnes se signant signo Crucis.

13. *Agnus Dei* &c., alternatim cantatur cum pulsu Organorum, quando vero Organa silent, *Agnus Dei* &c., tribus vicibus a Choro decantari debet; & in tali casu Chorus debet etiam cantare Antiphonam dictam *Communio* statim ac Celebrans sumpserit SS. Sangvinem. Postea dum Celebrans cantat Orationes postcommunicantes, omnes se profunde inclinant, vel genuflectunt, sicut ad primas Orationes, ut dictum est supra num. 7. Ad ultimum Evangelium omnes stant versa facie ad Altare, & dum Celebrans genuflectit ad *Verbum Caro factum est* (si id possunt advertere) omnes cum eo pariter unico genu flectunt; & nullus e Choro egrediatur, nisi postquam Celebrans cum Ministris ab Altari discesserit.

## C A P U T VIII.

D E

## P R A N D I O.

I. **F**inita matutina Devotione in Ecclesia, Fr. Servitor mensæ pulsabit prima vice campanam Refectorii, idque notificabit per fenestram culinæ Coquo: & dum idem Coquus signum dabit, quod Prandium sit paratum, pulsabit secunda vice, & associatus cum lectore mensæ accedent P. Superiorem, coram quo genuflexi, dicet Servitor mensæ: Benedicite Pater Reverende, Mensa jam est parata. Quod si P. Superior fuerit impeditus, & jusserit, ut dent signum P. Vicario, aut alteri: ipsi accedent idem P. Vicarium, aut alium destinatum pro præsentia, coram quo iterum genuflexi, dicet Servitor mensæ: Rdm Pr. Superior petit Rdam Paternitatem, ut dignetur præsidere ad mensam; postea se conferant ad Refectorem. Omnes etiam alii Fratres, & Patres audito secundo pulsu, ad Refectorem se conferant, ubi Fratres Laici, & Clerici, ac juniores Sacerdotes stent in ordine, alii vero Patres sedere possunt, sed omnes in silentio expectantes adventum P. Superioris, interim recogitantes, quali modo promeruerint comedere paratas Sacras Eleemosinas, & qualiter pro iis Deo gratias agendum, & pro Benefactoribus orandum sit.

2. Postquam Superior Refectorem ingressus fuerit, & in loco suo genuflexerit, Servitor mensæ dicet clara voce: *Miserere mei Deus*, quem Psalmum in silentio totum recitabit & per hoc tempus tertia vice pulsabit. Finito Psalmo Servitor iterum clara voce dicet: *Gloria Patri*, &c. & omnes surgent, ac (extra dies 1mæ, & 2dæ Classis, quibus diebus benedictio mensæ dicitur in cantu) alternatim Psalm: *De profundis* recitabunt, in fine P. Hebdomadarius, addet Orationem: *Fidelium* &c., & postea incipiet benedictionem men-

mensæ. Curandum autem est ubique, ut Prandium (nisi obstet aliquod manifestum impedimentum) semper detur hora undecima.

3. Tempore mensæ exacte observentur ea omnia, quæ præscribuntur in Statutis Provinciæ *cap. 3. art. 1.* per totum a *folio 100.* Simili modo observentur Ordinationes eorundem Statutorum *cap. 1. art. 2. num. 5. fol. 7.* de Lectione ad mensam, quam lectionem omnes in silentio attente audire fatagant, ut dum corpus cibum suum sumit, anima sua refectione spiritali non defraudetur. Hoc insuper observandum, quod quando Feria sexta legitur Sacra Regula, in fine semper legendam esse S. P. N. Francisci tam Benedictiōnem, quam Maledictiōnem, & utramque auscultandam esse eodem modo quiete, & compositæ sedendo, utpote verba Sanctissimi Patris nostri, prima allicientia ad bonum, secunda deterrentia a malo.

4. Quavis Feria sexta, & Sabbato, quando juxta præscriptum Statutorum Provinciæ *fol. 104. num. 9.* Fratres post mensam vadunt ad Ecclesiam cantaturi assignatas Antiphonas, observare debent, quod antequam incipiant cantare Feria sexta Antiph. *Tibi laus &c.*, & die Sabbati: *Tota pulchra es Maria &c.*, prius debeant finire gratias integras; nempe non statim incipere Antiphonam dicto *Benedicamus Domino*, sed post *∞. Fidelium animæ &c.*, addi debet secreto *Pater noster*, & ultimo *Pater Hebdomadarius* concludat: *Deus det nobis suam pacem. R. Amen.* Non vero ut quidam male sentiunt, in Refectorio sic esse dicendum, in Ecclesia vero dici debere: *Dominus det nobis suam pacem*: nam a Rubrica Breviarii hic modus: *Dominus det nobis suam pacem. R. Et vitam æternam &c. Amen.* solummodo præscribitur pro concludendo Divino Officio, ubicunque locorum illud recitetur. Pro concludendis vero gratiis post mensam, ubicunque locorum illæ dicantur, Rubricæ præscribunt dicendum esse: *Deus det nobis suam pacem. R. Amen.*

5. Decantata Antiphona a Choro, & versu ab Acolythis, Pater Hebdomadarius semper cantabit tres Orationes (possunt tamen in casu alicujus necessitatis etiam plures esse) Feria sexta prima erit de Passione Domini, & die Sab-  
bati de Immaculata Conceptione B. M. V. secunda pro congruentia temporis, vel ex mandato Superioris: ultima vero semper debet esse pro Benefactoribus: *Deus, qui post Baptismi Sacramentum secundam ablutioem peccatorum Eleemosinis indidisti &c.*

## CAPUT IX.

DE

### VESPERIS, ET COMPLETORIO.

1. **D**e Pulsu pro Vesperis observandum est, quod tempore mox assignando Pater Sacrista curabit, ut pulsentur tot Campanæ, & tot vicibus, prout supra dictum est *part. 2. art. 1.* de Pulsu pro Matutino: curabit autem, ut pulsetur sequenti tempore. In Januario, Februario, Novembri, & Decembri hora secunda post meridiem. In Martio, & Octobri media tertia. In Aprili, Majo, Junio, Julio, Augusto, & Septembri hora tertia. Ipse vero Sacrista ante omnia pulsabit campanam Refectorii, ad cujus pulsum Patres, & Fratres Clerici convenient ad Refecturium, & dicant Officium parvum B. M. V. Vesperas, & Completorium, & quando finiuntur Vesperæ, ambo Acolythes vadant ad Chorum, ubi primus Acolythus exponat libros supra Pulpitum, Officium inveniat, omnia necessaria exquirat, & signacula suis in locis interponat. Secundus vero Acolythus Stalla, Sedilia, Breviaria, & Pulpitum a pulveribus purget.
2. Finito Officio parvo B. M. V. in Refectorio, omnes bini, & bini incedendo vadant ad Ecclesiam, recitantes

tantes per viam Psal. *De profundis*, cum Oratione *Fidelium &c.* Ante ingressum Ecclesiæ omnes se sistant, & junior ex illis porrigat aspersorium cum Aqua benedicta P. Superiori, vel in ejus absentia P. Vicario, qui omnes asperget aqua benedicta, & interim pulsentur Campanæ secunda vice (si fit faciendus triplex pulsus) Ingressi Ecclesiam coram Augustissimo Sacramento procumbant, & præstabunt ea, quæ dicta sunt supra *part. I. cap. 2. num. 4.*

3. Hic etiam notandum, quod diebus Dominicis, & Festis, quæ celebrantur a Populo, tam pro primis, quam pro secundis Vesperis pulsandum quidem esse pro Vesperis prima vice præfixo tempore; sed quando Fratres, dicto Officio parvo B. M. V. vadunt ad Ecclesiam, non debent pulsari Campanæ secunda vice pro Vesperis, sed pulsanda est Campana minima pro Corona B. M. V. & nonnisi finita Corona, diebus vero Dominicis finita via Crucis, pulsandum est pro Vesperis.

4. Adorato SS. Sacramento, & præmissa præparatione, P. Hebdomadarius dabit signum pro ultimo pulsu, quo incæpto dabit signum pro dicendo *Pater*, & *Ave*, ut supra dictum est: his dictis P. Hebdomadarius diebus a Statutis præscriptis, incipiet in cantu: *Deus in adiutorium &c.*, & dum post *Gloria Patri* cantatur: *Sicut erat in principio &c.*, exeat de Stallo, & stans post Fratres ante Pulpitum intonabit primam Antiphonam cujus initium ostendet graphio primus Acolythus: initium secundæ Antiphonæ ostendet secundus Acolythus Patri digniori: & iterum primus Acolythus initium tertiæ Antiphonæ ostendet sequenti P. Digniori, & sic consequenter. Decantata a Choro tota Antiphona, si sit duplex (in Semiduplici vero statim post incæptam Antiphonam) Cantores intonabunt Psalmos; sicut etiam cantato ab Hebdomadario Capitulo, iidem Cantores intonabunt Hymnum: Versum vero intonabunt ambo Acolyths; & initium Antiphonæ ad Magnificat intonabit P. Hebdomadarius.

Quan-

Quando cantantur Vesperæ cum interpositione pulsus Organorum, post decantatum primum Psalmum, primus Acolythus integram primam Antiphonam clara, & intelligibili voce repetet: Secundam Antiphonam post secundum Psalmum simili voce repetit secundus Acolythus; tertiam iterum primus Acolythus, & sic consequenter. Similiter quando Hymnum Organarius concinit, Acolythus eandem Stropham, quæ organo concinitur, clara, & intelligibili voce recitet, & alter Acolythus initium sequentis clara voce inchoando porrigat. Idem fiat ad Magnificat, ita ut quam primum (decantato a Choro: *Magnificat anima mea Dominum*) personare incipiat Organarius, statim primus Acolythus plane, claraque voce dicat: *Et exultavit Spiritus meus in Deo salutari meo.* Secundus vero Acolythus sequentis versus initium (caput inclinando) exprimit, dicens: *Quia respexit;* & sic per consequens. Hoc specialiter observet secundus Acolythus, ut advertat, quem versus Chorus in Hymno, & Magnificat, aut in Psalmo: *In exitu Israel* inchoare debeat: quare Acolythus primus integros versus, qui organo personantur, solus recitet; secundus vero tantum initia versusum. Finito cantico *Magnificat*, totam Antiphonam primus Acolythus repetet.

5. In casu, quod non adsit organarius, seu quod organa non pulsentur, post quemlibet Psalmum, totus Chorus, incipientibus Cantoribus, totam Antiphonam in cantu repetere debet; Hymnum cantabit uterque Chorus alternatim, nempe primam Stropham primus Chorus, secundam Stropham secundus Chorus, tertiam iterum primus, & sic consequenter alternatim. *Magnificat* pariter alternatim decantari debet sicut alii Psalmi, & eo finito Antiphona in cantu repetatur; & nunquam permittatur ille absurdissimus modus, ut inter cantum admittatur aliquid proferri plana voce, si organa non pulsentur.

6. Post Orationem decantatam a P. Hebdomadario, si faciendæ sint Commemorationes, Antiphonas, incipientibus

bus Cantoribus, decantat totus Chorus, versus vero ambo Acolythi, & post ultimam Orationem Cantores incipiunt *Benedicamus* prosequente Choro: Si vero organa non sonent, Cantores decantabunt totum *Benedicamus*, & Chorus cantabit *Deo gratias*. Dicto a P. Hebdomadario *ŷ. Fidelium animæ &c.* si immediate dicendum sit Completorium, statim primus Acolythus incipiet sive in cantu, sive voce plana (pro diversitate Festorum) *Jube Domine benedicere*. Si vero terminandum sit Officium, dicto secreto *Pater noster*; Pater Hebdomadarius plana voce dicat *ŷ. Dominus det nobis suam pacem. R. Et vitam æternam. Amen.* Et pro diversitate temporis Chorus dicit stando, vel genuflectendo Antiphonam B. M. V. P. Hebdomadarius versum, & Orationem: & concluditur per *Sacrofanctæ &c.* addendo secreto unum *Pater noster*, & *Ave Maria*.

7. Quando vero *Vesperæ* dicuntur plane, serventur proportionaliter ea, quæ dicta sunt *cap. 2. de Laudibus*. Hoc adhuc venit observandum, quod quando in *Laudibus* & *Vesperis* dicuntur Suffragia Sanctorum, dum Chorus dicit Antiphonas, omnes stant facie conversa ad se invicem, dum vero P. Hebdomadarius dicit Orationem, convertunt se facie ad Altare; quod idem servandum, dum fiunt aliæ Commemorationes. Similiter stant facie conversa ad se invicem per Cantica: *Benedictus*, *Magnificat*, & *Nunc dimittis*. Sicut etiam dum in Horis minoribus dicuntur Responsoris brevia: nec non ad preces in Prima, & Completorio.

8. Absolutis *Vesperis*, vel si *Vesperæ* sint dicendæ immediate ante Completorium, tunc ante *Vesperas*, quotidie dicitur in Choro a Patribus, & Fratribus legitime non impeditis, Corona B. M. V. De qua Corona Rubricæ particulares nostri Breviarii *Tit. VIII. num. 90.* præscribunt sequentia. Sabbato præsertim, & singulis aliis Hebdomadæ diebus recitanda est a Nostratibus, ex devotione Corona B. V. M. Dominae nostræ, approbata a San. mem. Leone X. in

Brevi: *Exponi nobis*: die 14. Sept. 1517. concessio, & per aliud ejusdem Pontificis Breve, quod incipit: *Dum præexcelsa* die 19. Junii 1518. Indulgentia decorata, quam Paulus V. post generalem Indulgentiarum revocationem, benigne innovavit, & recol. mem. Innocentius XI. per suas etiam in forma Brevis literas, similiter incipientes: *Exponi nobis*: die 15. Maji 1688. firmam esse voluit, atque sancivit. *Hæc Rubrica.*

9. Constat autem hæc Corona ex septem Decadibus, & aliis tribus *Ave Maria*, & uno *Pater noster*, in honorem septuaginta trium annorum, quibus B. V. M. in hoc mundo vixisse traditur; & simul in honorem septem præcipuorum gaudiorum ejusdem Immaculatæ Virginis, & Matris Mariæ. Unde asserunt nonnulli auctores, quod recitantes hanc Coronam expresse debeant exprimere in quolibet *Ave Maria* post Nomen *JESUS* eadem Gaudia; nempe in prima Decade: Quem Angelo nuntiante concepisti. In secunda Decade: Quem in utero portans Elisabet visitasti. In tertia: Quem Virgo genuisti. In quarta: Quem a tribus Regibus adorare vidisti. In quinta: Quem post triduum in templo invenisti. In sexta: Quem a mortuis resurgentem vidisti. In septima Decade: A quo cum corpore: & anima in coelum assumpta fuisti.

10. Elapsa integra hora post finitas Vesperas, præsertim in Conventibus ubi sunt Studia, pulsari debet prima vice pro Completorio, ordinarie quidem Campana mediocri, ad Feriale vero Officium campana minima: in Solemnioribus vero Festivitatibus campana majori. Audito pulsu, Patres, ac Fratres statim ad Chorum properent, corda sua præparaturi Domino. Debito intervallo facto, Hebdomadarius dabit signum pro secundo pulsu: quo incipiente dabit signum pro inceptioe: & statim primus Acolythus mediocriter se convertens versus Hebdomadarium, profunde inclinatus cantat, vel dicit clara voce (pro diversitate Festerum)

rum) *Fube Domine benedicere*, & omnes in Choro profunde se inclinant ad benedictionem, & data benedictione ab Hebdomadario, Acolythus se erigat, stans tamen adhuc conversus ut antea dicit, vel cantat: *Fratres Sobrii estote* &c. Dum Hebdomadarius dicit: *Adjutorium nostrum* &c., & ipse, & omnes alii se signant Cruce a fronte ad pectus. Deinde Hebdomadarius, dicto prius secreto *Pater noster*, profunde inclinatus facit Confessionem voce plana aliquantum depressa, & persistit inclinatus, quoadusque finiatur a Choro: *Miserere tui* &c. Similiter Chorus repetens Confessionem, stat profunde inclinatus usque ad *Indulgentiam*, quod dum incipit Hebdomadarius, se omnes erigunt, & signant se Cruce a fronte ad pectus.

II. Dicto *Indulgentiam* &c., & *R. Amen* adhuc voce aliquantum depressa, Pater Hebdomadarius elevat vocem, & in cantu, vel plane dicit: *Converte nos* &c., & tam ipse Hebdomadarius, quam omnes alii de Choro se signant Cruce in pectore pollice manus dextræ. Deinde ad *Deus in adjutorium* &c., iterum omnes se signant a fronte ad pectus. Finito *Gloria Patri* &c., Hebdomadarius incipit Antiph. *Miserere*, & tempore Paschali *Alleluia*, & statim, quando Completorium dicitur in tono plano, primus Chorus incipit Psalmum; Finitis Psalmis totus Chorus repetit Antiph. *Miserere* &c., Hymnum incipit primus Chorus, Antiph. vero ante *Nunc dimittis* &c., incipit Hebdomadarius, & dum primus Chorus incipit Canticum, omnes se signant signo Crucis; finito Cantico totus Chorus repetit Antiph. *Salva nos* &c., & tempore Paschali additur *Alleluia*. Quando vero Completorium cantatur, primum Psalmum, Hymnum, & Canticum incipiunt ambo Cantores, reliquos vero Psalmos Cantor primi Chori. Antiphonas post Psalmos, & Canticum; nempe *Miserere mihi* &c. & *Salva nos* &c. decantat totus Chorus. Si vero Organa sonent, dictas Antiphonas, & etiam secundam Stropham Hymni recitat clara voce primus

Acolythus. Responsorium breve: *In manus tuas &c.*, semper ambo Acolythi cantant, vel plane pronuntiant, excepto Officio Feriali, in quo solus Acolythus primus illud dicit.

12. Quando Officium non est duplex, aut infra Octavam, ad Completorium semper dicuntur assignatæ preces, esto in Vesperis non fuerint dicta Suffragia Sanctorum, ut tempore Adventus, Passionis, & Paschali. Quod si fuerint in Vesperis dictæ preces feriales, tum preces Completorii debent dici flexis genibus. Post Orationem dum Hebdomadarius dicit: *Benedicat, & custodiat nos &c.*, omnes se signent signo Crucis: & finitur Completorium, ut in Breviario præscribitur: Dicto *Sacrofanctæ &c.*, & addito *Pater noster*, & *Ave Maria*, omnes expansis in Crucem brachiis dicant tria *Pater noster*, & tria *Ave Maria*, & unum *Credo* pro defectibus commissis in recitatione Divini Officii. His finitis primus Acolythus dat signum leniter digito pulsando pulpitem, & omnes Fratres profunde se inclinando dicant: *Benedicite*, & *Pater Superior*, vel in ejus absentia P. Vicarius benedictionem proferat.

13. Accepta benedictione omnes surgunt, & exeunt ex utraque parte Chori, & accedunt ante Altare B. V. M. ante quod immediate se sistunt ambo Acolythi, post eos alii bini, & bini, primo Laici, postea Clerici, ultimo Sacerdotes secundum suum ordinem, & quotidie cantant Antiph. de B. V. M. *Ave Regina Cælorum &c.* Versum: *Dignare me laudare te &c.*, cantant Acolythi, Orationem vero: *Defende quæsumus &c.*, P. Hebdomadarius: deinde quotidie cantant Antiph. *Da pacem Domine &c.* cum suo versu, & Oratione. Postea Acolythi dicunt Litanias Lauretanæ B. V. M. Choro respondente; finitis Litiis non amplius debet dici Antiphona illa: *Hæc est virgo &c.*, sed ut Rubrica particularis Breviarii nostri præscribit, omni die dici debet alternativim, seu tanquam a duobus Choris Antiphona: *Tota pulchra es Maria &c.* Diebus vero Sabbatis tam Litanix, quam di-

sta

Et Antiphona decantari debet, & semper cum Versu, & Oratione de Immaculata Conceptione. Ultimo tandem quotidie etiam debet cantari Antiphona de S. P. N. Francisco: *O Patriarcha pauperum &c.*, Vers. *Signasti Domine &c.*, Oratione: *Domine Jesu Christe, qui frigescente mundo &c.*: Quod si aliquo tempore ex mandato Superiorum ob aliquam instantem necessitatem jubeatur cantari Antiphona B. V. M. *Sub tuum præsidium*, aut alia; propter hoc nunquam debet omiti aliqua ex supra dictis Antiphonis, & Orationibus.

14. Tandem pro lucranda Indulgentia plenaria Stationis SS. Sacramenti ante Altare, in quo asservatur idem Augustissimum Sacramentum, omnes dicant expansis brachiis, non vero expansis manibus ante pectus, ut quidam nimium delicatuli faciunt, ac si Præfationem Missæ dicerent, sed extensis brachiis in modum Crucis, sex Pater, & sex Ave, & unum Credo, post quodlibet Ave addendo *Gloria Patri &c.* His dictis omnes se iterum conferant ad Chorum, ibidemque juxta præscriptum Statutorum Provincialium folio 141. Meditationem peragant eo modo, ut dictum est supra *hac parte 2da cap. 4.* Finita Meditatione, tempore autumnali, & hyemali, addatur Psalm. *De profundis &c.*, cum versibus, & Oratione *Fidelium &c.* Tempore vero vernali, & æstivo a Festo Inventionis S. Crucis usque ad Festum Exaltationis S. Crucis, finita Meditatione statim dicatur Officium parvum B. M. V. quo ad Matutinum, & Laudes sequentis diei; tempore vero brumali idem Officium dicitur, post absolutum in Choro media nocte Matutinum, in Refectorio.

15. Omnibus expletis Devotionibus in Ecclesia, Frater Servitor Mensæ pulsabit prima vice campanam Refectorii pro Cœna, vel Collatione, & præstabit ea omnia, quæ præscripta sunt supra ad Prandium servata proportione.

16. Officia, & Exercitia alia, ac labores totius diei exacte peragantur prout præscripta sunt in Statutis Provincialibus.

## C A P U T X.

DE

### VESPERIS SOLEMNIBUS.

1. **S**ummopere foret laudabile, si omnibus Festis, quæ a Populo celebrantur, Vesperæ obsolverentur solemniter in Apparatu, quia hic modus multum ædificat Populum, ad majorem devotionem accendit, & promovet concursum Populi ad Ecclesiam ad interessendum talibus Vesperis, quod non fit, si solum audiant Religiosos in Choro inclusos psalentes, neminem vero vident aliquam Sacram actionem, & Ecclesiasticum Ministerium exercentem. Sed tanta jam invaluerat negligentia in aliquibus Conventibus, ut rarissime Vesperæ in Apparatu absolverentur, & nonnisi illis paucis diebus, in quibus publice expositum fuit SS. Sacramentum. Hinc Definitorium Provinciæ de novo præcepit, & serio mandavit, Vesperas solemniter esse absolvendas in Apparatu, ubi sufficiens Fratrum numerus habetur, in omnibus Festis Sabaoth, Paschæ, Pentecosten, Nativitatis Domini. In omnibus Festis Solemnibus B. V. Mariæ; in Festo omnium Sanctorum & SS. Apostolorum Petri, & Pauli. S. Michaelis Archangeli: & Solemnioribus Ordinis Nostri. In Dedicatione Ecclesiæ propriæ, sicut etiam in ejusdem Ecclesiæ Festo Titulari.

2. Ante prædicta Festa Sacrista tempestive præparet omnia Ornamenta pro ornandis ad Vesperas necessaria Gavantus, Bauldry, Merati, & omnes exteri Scriptorum de Cæremoniis Vesperarum Solemnium, nullum usum Dalmaticarum

ticarum admittunt in Vesperis; sed pro Celebrante assignant super Amictum, Superpellicium, vel Albam, Stola, & Pluviale; Similiter pro Assistentibus duobus, quatuor, aut sex, super Amictum, & Superpelliceum, attamen sine Stola, Pluvialia coloris convenientis. In Regno tamen Poloniae ex antiquissima consuetudine, plurimis in locis, etiam in Vesperis Celebranti solent assistere Diaconus, & Subdiaconus, ornati ut ad Missam (excepto solo Manipulo, cujus nullus usus est extra Missam) Unde omnimodo conveniens est, ut etiam Celebrans sit ornatus Alba, non vero Superpelliceo, super Albam Stola, in modum Crucis ante pectus composita, & Pluviali. Ultra hos apud nos ornantur Superpelliceo (in majoribus Solemnitatibus etiam adhibito Amictu, seu Humerali) duo Ceroferarii; unus, vel duo Thuriferarii: duo, aut quatuor Cantores, hi tamen nempe Cantores, etiamsi sint Sacerdotes, nunquam debent adhibere Stola; nam Stola nullatenus potest computari inter ornamenta Cantorum.

3. Ante omnes in Sacristia Conveniant Ceroferarii, & Thuriferarius, qui ne immundis manibus tractent munda Ornamenta, prius lotis manibus sua Ornamenta accipiant, & se invicem in ornando adjuvent; deinde Ceroferarii adjuvabunt in oratione Diaconum, & Subdiaconum, & hi postremo adjuvabunt Celebrantem, eo modo ut dictum est supra *cap. 6. tit. 2.* de ornatu ante Missam Solemnem; sed nullus dicit Orationes assignatas ante Missam.

4. Dum incipiunt se ornare Diaconus, & Subdiaconus, Thuriferarius jam indutus Superpelliceo, vadat ad Ecclesiam, ubi ante infimum gradum Altaris in medio genuflectat, deinde surgens accipiat bacillum præparatum pro accendendis candelis Altaris, & assumpto lumine ex lampade, accedit ante medium Altaris, & infra infimum gradum genuflectat, postmodum ascendat ad suppedaneum, ibique stans in medio prius accendat candelas, quæ sunt ex parte  
Evan-

Evangelii, deinde eas, quæ sunt ex parte Epistolæ, incipiendo utrobique a proximiori Cruci. Ultimo accendat candelas Ceroferariorum, & illas cum candelabris deferat ad Sacristiam.

5. Ornato ut supra Celebrante, omnes, stantes in debito ordine, simul profundam faciant reverentiam Cruci, seu Imagini principali, & se conferant ad Ecclesiam hoc ordine: præcedit Thuriferarius manibus junctis ante pectus, sine thuribulo, nam ante incæptionem Vesperarum non debet thurificari Altare, ut aliquando factum est sine ulla fundamento ex puro abusu: unde etiam Definitorium Provinciæ in Congregatione intermedia Socali celebrata 12. Maji 1771. sic præcepit. *Ante incæptionem Vesperarum Solemniū, & Matutini, non est thurificandum Altare, cum talis thurificatio sit contra Cæremoniale Episcoporum.* Thuriferarium sequuntur Cantores, & hos Acolythi, seu Ceroferarii, ultimo Celebrans medius inter Diaconum, & Subdiaconum; Diaconus a dextris elevat fimbrias Pluvialis Celebrantis manu sinistra, dextra pectori admota; & Subdiaconus a sinistris elevat fimbrias ejusdem Pluvialis manu dextra, sinistra pectori admota. Si vero intret per angustam portam, aut ob nimium concursum Populi non possint simul incedere, tunc præcedet Subdiaconus, & post eum Diaconus, ultimo Celebrans; & hi tres incedant capite cooperto, si non sit expositum SS. Sacramentum: reliqui vero omnes semper incedere debent detecto capite.

6. Postquam omnes pervenerint ante infimum gradum Altaris, ita ut Celebrans sit in medio, & hinc inde a dextris, & sinistris alii omnes assistentes in linea recta, ita ut Cantores sint extremi, excepto Thuriferario; qui in aliqua distantia se sistit directe post Celebrantem. Sic omnes constituti ante Altare, omnes etiam simul, quasi in eodem temporis puncto genuflectunt utroque genu, Ceroferarii deponunt sua Candelabra; soli Cantores statim surgunt, & in-

trant

trant Chorum, quilibet per portam ex parte sua. Reliqui vero omnes simul cum Celebrante manent genuflexi per aliquam moram mentaliter orantes, & præparantes corda sua ad devote, & sine distractionibus persolvendum Divinum officium ipsi Deo, coram quo adstantes Angeli contremiscunt.

7. Facta brevi oratione, & præparatione, omnes simul surgant. Celebrans dat signum leniter percutiundo manum ad manum, & mox omnes, etiam in Choro existentes; profunde inclinati dicunt secreto integre *Pater noster*, & *Ave Maria*, quibus dictis iterum dato signo a Celebrante, omnes se erigunt ab inclinatione: Diaconus aliquantulum elevat partem dextram Pluvialis Celebrantis, & ipse Celebrans signat se signo Crucis a fronte ad pectus, simul incipiendo clara, & competenti voce: *Deus in adiutorium* &c., & pariter omnes alii se signant, exceptis Ceroferariis, qui candelabra cum candelis accensis elevata tenent in manibus.

8. Decantato cum profunda inclinatione *Gloria Patri* &c. usque ad *Spiritu Sancto* inclusive, omnes simul genuflectunt unico genu, & statim surgunt: Ceroferarii deponunt sua candelabra; Celebrans, & Diaconus in eodem loco aliquantum directe retrocedunt ab Altari, ita ut Subdiaconus ante illos, & ante infimum gradum Altaris possit præterire, & junctis manibus ante pectus ingrediuntur Chorum per portam ex parte Epistolæ hoc ordine: primus Thuriferarius, quem sequitur Acolythus, seu Ceroferarius, qui stabat ex parte Epistolæ (nam alter Acolythus, qui est ex parte Evangelii, solus ingreditur per illam portam ex parte Evangelii) Acolythum sequitur Subdiaconus, deinde Diaconus, ultimo Celebrans.

9. Postquam pervenerint ad Chorum, Acolythi statim accedunt ad Pulpitum; Thuriferarius vero parum declinat ad suam dextram, & se convertit medio corpore, & permittit ante se transire Subdiaconum, qui pariter post transitum ante Thuriferarium parum declinat ad suam dextram,

& ipsum transit Diaconus, & Celebrans, cui Celebranti transeunti ante eos se profunde inclinant Thuriferarius, & Subdiaconus; deinde in medio Chori ita se collocant versa facie ad pulpitem, ut Celebrans stet in medio, ad illius dextram Diaconus (maximum enim absurdum est, prout alicubi practicabatur, ut Subdiaconus stet a dextris, & Diaconus a sinistris tempore Vesperarum) a Sinistris Celebrantis stet Subdiaconus, & ad hujus sinistram stet Thuriferarius.

10. Decantato *Alleluia* vel *Laus tibi Domine*, primus Cantor Celebranti monstrat graphio initium primæ Antiphonæ in libro, cujus Antiphonæ initium Celebrans intonat, & Cantores cum Choro prosequuntur; finita Antiphona Cantores intonant primum Psalmum, & Chorus profequitur. Dum Cantores incipiunt intonare primum Psalmum, Celebrans deponit Pluviale, adjuvantibus clausuram illius aperire Diacono a dextris, Subdiacono a sinistris, qui ambo manibus suis Pluviale tradunt Thuriferario, qui stans immediate retro post Celebrantem, ambabus manibus illud accipit, & deportat, ac reponit in loco consveto, postea vadit ante pulpitem, & stat post primum Acolythum; si vero in aliquo casu necessitatis Thuriferarius esset Frater Laicus, is reposito Pluviali exit ex Choro, & genuflectit in plano ante medium Altaris usque circa finem ultimi Psalmi, ut infra dicitur. Celebrans deposito Pluviali intrat Stallum suum, Diaconus vero, & Subdiaconus tempore Psalmorum sedent in parvo Scanno a secundo Acolycho pro ipsis allato.

11. Secundam Antiphonam intonandam monstrat in libro secundus Cantor, incipiendo a Patribus dignioribus: tertiam iterum Cantor primus (vel Cantor tertius, si quatuor sint ornati Cantores) Patri sequenti, & sic ulterius. Finito quolibet Psalmo, si pulsentur organa, Acolythus repetit clara voce totam Antiphonam: omniaque alia peraguntur, prout dictum est præcedenti capite de Vesperis cantatis sine Apparatu.

12. Circa finem ultimi Psalmi, Thuriferarius cum debitis reverentiis exhibit ex Choro ad parandum ignem in thuribulo, & secum defert ex Choro parvum pulpitem ornatum pulchro velo, quod pulpitem reponit circa Credentiam. Convenientius tamen est, ut Thuriferarius ante Vesperas, & antequam se ornet, prædictum pulpitem collocet prope Credentiam, illud velo ornet, superimponat Breviarium, & in illo signacula interponat, ubi Oratio, vel Orationes cantandæ sunt: & sic statim ex Choro vadit ad Sacristiam, thuribulum cum igne, & naviculam cum incensu defert ad Ecclesiam, ubi ante infimum Altaris gradum in medio genuflectit, & deinde accedens ad Credentiam super illam reponit Naviculam thuribulum vero tradit alicui Fratri, qui interim leviter illud agitet, ne ignis extingvatur: ipse Thuriferarius intrat Chorum, & dum tempus advenit, accipit Pluviale, & illud deportat ad Celebrantem.

13. Dum Acolythi cantant post Hymnum versum, Celebrans exit e Stallo, & stat conversus ad Pulpitem medius inter Diaconum a dextris, & Subdiaconum a sinistris: mox a tergo Celebrantis Pluviale expansum ambabus manibus porrigit Thuriferarius, quod Pluviale Diaconus, & Subdiaconus simul imponunt Celebranti, & ante collum claudunt ferraturam: Thuriferarius se confert ad dextram Diaconi.

14. Responso a Choro ad Versum, Celebrans intonat Antiphonam sibi monstratam a primo Cantore, & ea decantata a toto Choro Cantores intonant Canticum *Magnificat*, quo intonato Celebrans cum Ministris genuflectit unico genu Altari, si in eo asservetur SS. Sacramentum; postea Celebrans, & Diaconus parum se retrahunt, & permittunt ante se procedere Subdiaconum, & omnes e Choro exeunt per portam, quæ est ex parte Evangelii hoc ordine: primus incedit Thuriferarius, postea Acolythus, quem sequitur Subdiaconus, deinde Diaconus, ultimo Celebrans: alter

vero Acolythus exit per portam alteram ex parte Epistolæ. Unde pro regula generali observandum est, quod Celebrans cum Ministris debeat semper intrare Chorum per portam ex parte Epistolæ, exire vero ex Choro debet per portam ex parte Evangelii, exceptis Acolythis, quorum quilibet intrat, & exit in ea parte, in qua stat.

15. Egressi e Choro Ceroferarius, & Subdiaconus se parum retrahunt, & permittunt ante se procedere Diaconum, & Celebrantem, cui se profunde inclinant, & omnes se sistunt ante Altare, ita ut in medio ante illud sit Celebrans, ad cuius dextram Diaconus, & ad hujus dextram Acolythus: a sinistris Celebrantis Subdiaconus, & ad hujus sinistram alter Acolythus; Thuriferarius vero se sistit retro post Celebrantem, & sic constituti omnes simul genuflectunt Altari unico genu, si in Tabernaculo sit inclusum SS. Sacramentum; si vero sit expositum, genuflectunt utroque genu, facientes simul profundam capitis inclinationem: mox surgunt, & Celebrans cum Diacono, & Subdiacono (qui paulisper elevat Albam, & vestem anteriorem Celebrantis) ascendunt ad Altare, quod solus Celebrans in medio osculatur. Thuriferarius vero statim ac surrexit a genuflexione, accedit ad Credentiam, accipit thuribulum, & naviculam, & accedit ad Altare, tradit Naviculam Diacono, & ipse sustentat thuribulum; Celebrans vero imponit incensum in thuribulum; & incensat Altare, & in fine ipse incensatur a Diacono, eoque prorsus modo fiant omnia, quæ tradita sunt superius Capite 6. de incensatione Altaris in *Missâ ante Introitum*. Ceroferarii quoque per totam incensationem tenent elevata sua candelabra, & non genuflectunt, quando genuflectit Celebrans cum Ministris, dum transit ante medium Altaris.

16. Diaconus postquam incensavit Celebrantem, eo modo, & loco, prout dictum est de incensatione in *Missâ ante Introitum*, reddit thuribulum Thuriferarius, & cum

Sub-

Subdiacono vadit ante medium Altaris in plano ante infimum gradum Altaris; Celebrans quoque accedit in suppedaneo ad medium Altaris, ubi facta Cruci reverentia, descendit in planum, & stans medius inter Diaconum, & Subdiaconum, conversus ad Altare, simul cum illis genuflectit unico genu, si in Tabernaculo inclusum sit SS. Sacramentum, ac mox surgit, & cum iisdem dicit Canticum *Magnificat*; & Acolythus adfert parvum pulpitem, & illud collocat ante Celebrantem cum Breviario aperto, in eo loco, ex quo cantari debet Oratio.

17. Thuriferarius recepto thuribulo, genuflectit Altari, & statim intrat Chorum per portam ex parte Epistolæ, & perveniens ad medium Chori, salutatur totum Chorum per gyrum, nempe una capitis inclinatione salutatur omnes stantes in ea parte Chori, in qua stat Superior; deinde se convertit ad alteram partem, & ibidem stantes similiter salutatur: postea Thuriferarius profundam facit inclinationem Superiori loci, seu P. Guardiano, & eum incensatur triplici ductu, ac rursus eidem se profunde inclinat. Deinde incensatur Cantores superpelliceis ornatos, quemlibet duplici ductu: postea se convertit ad primum Chorum, & totum salutatur una capitis inclinatione, omnesque simul incensatur triplici ductu, primo in medio, secundo in parte digniori, tertio in opposita parte, & facta iterum reverentia, se convertit ad alterum Chorum, & simili modo eum incensatur. Quod si pauci Religiosi essent in Choro, tunc posset quemlibet seorsive incensare, ut dictum est supra cap. 6. de incensatione Chori per Diaconum tempore Missæ.

18. Peracta incensatione Thuriferarius se denuo convertit ad Superiorem eque facit profundam inclinationem, postea facta utrique Choro reverentia, se convertit ad Altare, in eodem loco genuflectit, & exit ex Choro per portam ex parte Evangelii. Perveniens ante Altare, paululum retro post Celebrantem genuflectit Altari, deinde stans in eo-

dem loco incensat primo Diaconum, postea Subdiaconus, cum debitis reverentiis ante, & post, quemlibet duplici ductu, illi autem ad incensationem se convertunt medio corpore ad Thuriferarium, ita ut uterque facie stet versus Celebrantem. His incensatis Thuriferarius stans adhuc in eodem loco, incensat Acolythos cum mutuis inclinationibus, quemlibet unico ductu, qui se pariter tunc medio corpore convertunt ad Thuriferarium. Ultimo Thuriferarius se parum retrahit ad partem Evangelii, ne terga vertat Altari, & se convertit ad Populum, quem triplici ductu incensat, primo in medio, secundo in parte Epistolæ, tertio in parte Evangelii, faciendo debitam reverentiam capitis inclinatione ante, & post. Advertat autem Thuriferarius, ut omnes incensationes peragat, non jactando una manu totum thuribulum, sed eo modo quo Celebrans incensat Altare, & Diaconus Celebrantem, tenendo nempe sinistra manu extremitatem catenularum, dextra vero tenendo easdem catenulas prope vas thuribuli.

19. Quod si adesset Episcopus Diæcesanus, aut Archiepiscopus in sua Provincia, ipse benedicet incensum. Unde in hoc casu postquam Celebrans cum Ministris ex Choro pervenerit ante Altare, facta genuflexione, Celebrans cum aliis Ministris manet stans ante Altare, Diaconus vero junctis manibus ante pectus, præcedente Thuriferario cum thuribulo, & navicula, accedit ad Episcopum, & in parva distantia ante eum uterque genuflectit unico genu, & mox surgunt, Diaconus accipit naviculam e manibus Thuriferarii, extrahit cochlear, & genuflexus dextro genu ante Episcopum, ei tradit cochlear, quod prius osculatur, & deinde osculatur manum illius, & dicit: *Benedicite Pater Reverendissime.* Thuriferarius autem utroque genu genuflexus ante Episcopum, ministrat thuribulum, ita illud elevando, ut commode incensum imponi possit. Diaconus recipiens cochlear prius osculatur manum Episcopi, postea cochlear, & illud

illud reponit in naviculam. Imposito, & benedicto incenso, uterque surgit, & paululum se retrahunt, Diaconus reddit naviculam Thuriferario, & rursus uterque genuflectit unico genu Episcopo, & præcedente Thuriferario revertuntur ad Altare, ubi faciunt solitam genuflexionem, mox Celebrans aliquantum, ne terga veriat Altari, se convertit ad Episcopum, eique profundam facit inclinationem: deinde cum Ministris ascendit ad Altare, quod osculatur in medio, & accepto thuribulo a Diacono, incensat Altare more solito; finita incensatione Altaris, Celebrans reddit thuribulum Diacono, & stans in eodem loco ab illo incensatur duplici tantum ductu, postea accedit ad medium Altaris, & facta Cruci reverentia, descendit in planum, & cum Subdiacono dicit Canticum *Magnificat*. Diaconus vero incensato Celebrante tradit thuribulum Thuriferario, & facta genuflexione Altari, præcedente Thuriferario, accedit ad Episcopum, coram quo uterque genuflectit unico genu, & mox surgentes Diaconus accipit thuribulum, & incensat Episcopum triplici ductu, & deinde reddit thuribulum Thuriferario, & ambo iterum genuflectunt unico genu Episcopo, & revertuntur ad Celebrantem, ubi iterum uterque genuflectit Altari. Diaconus remanet penes Celebrantem, & dicit in silentio Canticum *Magnificat*: Thuriferarius vero statim ingreditur Chorum, & illum incensat ut supra.

20. Si vero adessent Episcopi extranei, vel alii Prælati, honoris gratia semper thurificentur a Diacono triplici ductu immediate post Celebrantem, qui in tali casu etiam triplici ductu incensari potest.

21. Si adsit Pater Provincialis, vel Commissarius Visitator Generalis in actu visitationis, thurificabitur immediate post Celebrantem triplici ductu, quidem, si adsit extra Chorum in aliqua sede prope Altare, a Diacono, si vero sit in Choro post Altare, a Thuriferario; tunc vero Celebrans, & P. Guardianus thurificabuntur solum duplici ductu.

22. Quo

22. Quo ad Principes, & Magnos Dominos Sæculares fervetur consuetudo.

23. Advertant autem cantantes in Choro, ut cantum ita demeriantur, majori cum pausa cantando Canticum *Magnificat*, permittendo diutius personare Organa inter unum, & alterum versum, ut tota incensatio sit expleta, antequam Celebrans dicat: *Dominus vobiscum*, quia omnino cessare debet Thuriferarius ab incensatione initio Orationis. Ad *Gloria Patri* &c. Thuriferarius pausam faciat, & se profunde inclinet versus Altare; deinde prosequatur incensationem, si necdum sit completa, qua completa stat post Celebrantem; qui repetita Antiphona post *Magnificat*, cantat Orationem, & Ceroferarii elevant sua candelabra.

24. Dum post Orationem, vel Orationes Celebrans incipit cantare: *Dominus vobiscum*, Cantores exeunt ex Choro, quilibet ex parte sua, ita tamen ut simul exeant unus ex una parte, alter ex alia, & se sistunt, facta simul genuflexione Altari, unus post Diaconum, alter post Subdiaconum, habentes in medio, paululum tamen retrorsum, Thuriferarium, & cantant: *Benedicamus Domino*: responso *Deo gratias*, Celebrans humiliori voce dicit *ψ. Fidelium animæ* &c.

25. Quando post Vesperas statim dicendum est Completorium, dicto a Celebrante *ψ. Fidelium animæ* &c., & *R. Amen.* omnes simul genuflectunt Altari, & redeunt ad Sacristiam, eo ordine quo venerunt. Interim qui sunt in Choro, si sint sufficientes, incipiunt Completorium; si vero pauci fuerint, expectant parumper, quousque Celebrans cum assistentibus revertatur ex Sacristia ad Chorum. Si vero non sequatur Completorium, dicto a Celebrante post Orationem Dominicam, graviori voce: *Dominus det nobis suam pacem*, & *R. Et vitam æternam. Amen.* Idem Celebrans incipit eadem voce Antiphonam finalem B. V. Mariæ, quam postea stans ibidem, vel genuflexus, pro ratione temporis, prosequitur cum aliis, qua finita, ipse Celebrans stans, vel genu-

genuflexus, ut supra, dicit versum, semper tamen stans dicit *oremus*, & Orationem; tandem dicto: *Divinum auxilium* &c. *Sacrofunctæ. Pater & Ave*, omnes revertuntur ad Sacristiam, ut supra.

26. Quando expositum est SS. Sacramentum, & cum eodem facienda est Processio, videantur de hoc dicta infra *parte 3. cap. 23.* ubi fit sermo de iis, quæ facienda sunt in Festo, & per Octavam SS. Corporis Christi.

27. Pro Completorio solemniter cantando in Apparatu, ut in Quadragesima in Festis S. Josephi; Annuntiationis B. M. V. &c. hæc notanda, quod Celebrans cum omnibus Ministris stans ante infimum gradum Altaris (ut supra ante Vesperas) Thuriferarius profunde inclinatus cantat: *Jube Domine benedicere*, quod si Thuriferarius fuerit aliquis Fr. Laicus, tunc Acolythus primus, si vero etiam Acolythi, seu Ceroferarii fuerint Fratres Laici, tunc Subdiaconus profunde inclinatus cantet prædictum *v.* Celebrans eadem voce cantat benedictionem sine ullo signo Crucis: & reliqua fiunt, ut dictum est supra Capite præcedenti a *num. 10.* Post decantatum *Gloria Patri*; dum Chorus incipit: *Sicut erat* &c., omnes intrant Chorum ex parte Epistolæ, & alia fiant proportionaliter ut supra hoc Capite a *num. 8.* ad Vesperas. Finitis Psalmis ad Antiphonam, Hymnum, & Canticum pulsantur Organa; ad *Nunc dimittis* autem non est facienda incensatio Altaris: Celebrans tamen cum assistentibus, dum incipiunt Cantores prædictum Canticum, exit ex Choro per portam ex parte Evangelii ante Altare, & ibi cantat Orationem, *Visita quæsumus* &c. & alia subsequencia absolvit usque ad finem.

28. Quando post Vesperas immediate subsequitur Completorium sive in cantu, sive in tono plano, & post Completorium facienda est Processio cum SS. Sacramento, de hoc habetur infra *parte 3. cap. 23.* de Processionibus cum SS. Sacramento.

## CAPUT XI.

DE

RELIQUIS OFFICIIS  
ACOLYTHORUM.

Sunt adhuc nonnulla alia Officia ab Acolythis præstanda, quæ in superioribus commode exprimi non potuerunt, quapropter in hoc particulari Capite recensentur.

1. Officium Acolythorum est de vespere pulsare pro silentio; pulsabit autem primus Acolythus campanam Refectorii per Psalmum: *Miserere mei Deus*, & quidem tempore autumnali, & hyemali, incipiendo a Festo Exaltationis S. Crucis: usque ad Festum Inventionis S. Crucis; una hora elapsa post finitam cœnam, vel collationem. Tempore vero vernali, & æstivo a Festo Inventionis S. Crucis usque ad Festum Exaltationis S. Crucis pulsabit hora octava vespertina.

2. Finito pulsu primus Acolythus accipiat aspersorium, secundus vero ahanulum cum aqua benedicta. Inclinatione facta Crucifixo in Refectorio, ibunt recto capite, primo ad P. Superiorem loci, postea ad omnes Patres, & Fratres per ordinem claustrum: ad quamlibet cellam pulsando digito ter, & dicendo: *Ave Maria, aqua benedicta*, ac intrantes cellam, Acolythus primus aspersorium madefactum aqua benedicta tradet manenti in illa cella, qui aspergat se ipsum, cellam, & lectum dicendo: *Aqua benedicta deleantur nostra delicta. Amen.* Vel: *Per hujus aquæ benedictæ aspersio- nem, & Christi Sanguinem, & Passionem det nobis Deus peccatorum nostrorum remissionem. Amen.* Si vero Acolythus sit Sacerdos, & is qui manet in cella sit Clericus, & idem dicendum in cellis Fratrum Laicorum, ipsemet Acolythus aspersio- nem faciet. Deinde Acolythus dicat: *Amore Dei pe- to unum Pater noster, & Ave Maria pro animabus Purgatorii;* quo dicto, & facta inclinatione illi Patri, vel Fratri, Acolythi

lythi statim abeant, & in nulla cella, etiam Patrum Discretorum morentur, ut tempestive ad proprias cellas se conferre possint: exceptis solis cellis P. Vicarii, & Magistri Seminarii, ut infra dicetur. Ille vero Pater, aut Frater occlusa sua cella, flexis genibus orabit unum *Pater*, & *Ave*, apposita clausula: *Requiem æternam dona eis &c.*

3. Ultimo Acolythi cum aqua benedicta accedent P. Vicarium loci, & facta ab illo aspersione, illi referent, quos in cellis non invenerint cum aqua benedicta, quos P. Vicarius statim visitabit, & examinabit, cur a cella absentes fuerint. In illis Conventibus, ubi habentur Seminaria, Acolythi perambulato, ut supra, Seminario, accedant quoque ad P. Magistrum Seminarii, deferendo eidem quos Seminaristas in cellis non invenerint, quos idem P. Magister pro ratione delicti puniat.

4. Omnia autem prædicta Acolythi expedient modeste, religiose, & sine strepitu, quibus absolutis aquam benedictam reportabunt ad refectorium, & suo in loco reponent, & genuflexi versus Crucifixum, ipsi quoque pro animabus purgatorii devote dicent expansis brachiis unum *Pater*, & *Ave*, & *Requiem æternam &c.* ac statim quilibet ad suam cellam se conferat, compositurus membra quieti.

5. Qualibet Feria secunda, quarta, & sexta, exceptis solummodo (tam secundum Statuta Provincialia, quam Generalia) solis Festis primæ, & secundæ classis, ac iis, quæ a Populo celebrantur, immediate post pulsam silentii facienda est disciplina ab omnibus Patribus, & Fratribus in Refectorio. Dum primus Acolythus pulsat campanam refectorii, secundus Acolythus interim occludat, & obducatur omnes fenestras; & tempore hyemali convenientibus Fratribus ad refectorium, cum candela in lucerna elevata, lucere debet, quousque Hebdomadarius non dabit signum: audito signo, lumen abscondet in fenestrella culinæ; unde tempore disciplinæ locus illius erit apud dictam fenestrellam. Peracta di-

sciplina, ad signum item Hebdomadarii, recepta lucerna iterum refectorium illuminabit, & stabit cum lucerna ad januam refectorii, donec omnes egressi fuerint, quos ille ultimus subsequetur.

6. Primi Acolythi officium etiam est, aquam benedictam pro refectorio in ahæculo providere, & quotidie, an sit ejus copia, diligenter advertere, sub pœna disciplinæ.

7. Tempore Meditationis in hyeme secundus Acolythus subministrabit lucernam cum candela accensa, & primus Acolythus legendo puncta Meditationis, ita lucernam accommodabit, ne lumen offendat oculos Fratrum. Hoc autem specialiter notent Acolythi, ut quandocunque soli aliquid legunt, sive punctum Meditationis, sive Antiphonas, aut Responsorialia, ut semper legant stando, non conversa facie ad Crucem, aut ad Altare, sed medio corpore conversi ad Fratres legant clara, & intelligibili voce, ut omnes percipere, & intelligere possint.

8. Acolythus primus Antiphonas, Psalmos, & Hymnos in Antiphonario, & Psalterio tempestive inveniatur, & signacula interponat, & præsertim pro Matutino id semper faciat die præcedenti ante, vel post Completorium. Ad ipsum quoque spectat tabellam primi Chori faciem representantem de Stallo ad Stallum in Ecclesia, & in refectorio ex una ad alteram partem transferre, quod faciet die Sabbati ante Vesperas.

9. Secundus Acolythus ambas lucernas, tam majorem pensilem apponendam ante magnum Chori pulpitem tempore nocturno, & tenebroso, quam minorem semper mundas, & tersas conservabit, mundando eas sæpius infra hebdomadam, si opus fuerit, non expectato Sabbato.

10. Acolythorum demum officium est purgare Chorum, & ambitus claustrum, ac latrinas lavare, quotidieque munde servare, non expectato Sabbato, quia non pro una die tantum mundities servanda est. Purgando vero pavimentum

mentum non copiose, sed mediocriter aqua perfundant: tempore hyemis conspergant pavementum nive propter faciliorem purgationem. Habeant quoque alas, quibus Stallorum, seu Sedilium pulveres excutiant, ac detergant: habeant præterea binos panniculos lineos ad abstergendum Stalla, & pulpitum, quæ omnia servabit Acolythus secundus in aliquo abscondito loco. Alia Acolythorum Officia in propriis locis habentur annotata.

## CAPUT XII.

DE

### OFFICIIS SACRISTÆ.

**O**fficium Sacristæ est magnæ dignitatis, fidelitatis, & laboris: ipsi enim Cultus Divinus committitur, & ejus probitati relinquitur totus Ecclesiæ Thesaurus, videlicet SS. Eucharistiæ Sacramentum, ac ejus fidelitati commendantur omnes res Sacræ, vasa, ac Supellex Ecclesiæ. Unde

1. Primum, ac præcipuum Sacristæ Officium est, ut SS. Eucharistiæ Sacramentum in nitido Tabernaculo clave semper obserato decenter conservetur, omnemque diligentiam adhibeat, ne mures vermes, aut araneorum tela quomodo illud attingant, vel pulvere conspergatur, vel conspurcetur. Illud ad præscriptum Statutorum Provinciæ *cap. 8. art. 19. num. 1. folio 402.* quolibet die Dominico per recentes Hostias renovet, vel renovari procuret; & ut ante illud incessanter die, noctuque lampas ardeat, diligentissime attendat.

2. Pro offerendo SS. Missæ Sacrificio recentes, puras, mundasque conficiat Hostias; & pro Communionem populi parvas Hostias sine fragmentis disponat, in cujus finem cribrum parvum habeat, ut Particulis in illud impositis,

fragmenta excidant, & Hostiæ ipsæ integræ remaneant: præterea vinum bonum, & purum, non corruptum, non acetosum, vel putridum, pro SS. Missæ Sacrificio habeat, & in mundo vase recens conservet. Idem circa Sacras Reliquias curet, ut scilicet fideliter, & honorifice asserventur, atque in loco tutissimo.

3. Calices, Cruces, Casulæ, humeralia, albæ, map-pæ, Corporalia, Purificatoria, manutergia, aliaque omnia Paramenta Ecclesiæ, & Altarium, sicuti & vasa, libri, & alia id genus, studeat Sacrista, ut non tantum facta, & integra, sed præcipue ut munda, & nitida sint, nec patiatur, ut ab aliis Ecclesiis, si non in pretiosis Suppellectilibus, saltem in ornatu, nitore, munditia, & diligentia superetur. Quam primum adverterit in aliquo scissuram, aut fracturam etiam minimam, statim curet, ut resarciatur, & reparetur; nam quod a principio potest facillimo modo reparari, si id negligatur, successu temporis non nisi magno cum labore, & expensis id fieri poterit.

4. Provideat Sacrista, ut Amictus, albæ, casulæ, purificatoria, aliaque necessaria pro Sacerdotibus Missam celebraturis, in Sacristia per ordinem singula exponantur; præsertim Corporalia qualibet die inspiciat, an sint munda, & nitida, potest enim contingere, quod tempore Missæ, vel a cera defluente ex candela, vel a decidente ex lichno Candelæ particula adusta aut alio modo ipso infcio Corporale maculetur; hinc etiam quilibet Sacerdos advertens tempore Missæ Corporale non esse mundum, sed maculatum, illud Sacristæ remonstret, ut aliud mundum exhibeat. Si enim omnia Paramenta munda esse oportet, mundissimum profecto esse debet Corporale, super quod immediate reponitur ipsum SS. Corpus Eucharisticum. Idem dicendum de Calice, in quo consecratur SS. Sanguis, & de Pyxide in quo asservatur SS. Sacramentum.

5. Omnem denique Ecclesiasticam Supellectilem Sacristia mundam, & diligenter plicatam conservet, & singula Ornamenta in suis loculis asservet, ita ut cum opus fuerit, statim sint in promptu; ita etiam res omnes suis in locis reponat: Siccas a madidis, attritas, aut contractas ab integris separet, ne vel aliæ maculentur, aut fetido odore inficiantur. Pariter Paramenta pretiosa ab aliis minus pretiosis separet, & ea secundum diversos colores in armariis distinctis collocet, ut facilius inveniantur; neque pretiosa, quantum fieri potest, plicet, sed in armariis expansa reponat. Et ut nihil omnino depereat, totius Supellectilis regestrum, seu inventarium habeat, in quo omnia descripta sint.

6. Teneat Sacrista in Ecclesia, vel in Sacristia, vel in alio loco decenti, Sacram Piscinam, seu Sacrarium semper mundum, & clausum, cujus fovea sit supertus terram, in quod effundat aquam benedictam veterem, & aquam post lota Corporalia, Purificatoria, Calices, & omnia alia, quæ Rubricæ, & Sacri Canones in Sacrarium effundenda esse statuerunt.

7. Aquam benedictam singulis diebus Dominicis, vel etiam sæpius, si opus sit, Sacrista renovet, adhibito ad benedictionem Superpelliceo, & Stola violacea, ac Rituali Romano; nisi fiat in Dominica ab ipso Celebrante, quia tunc Stola Celebrantis sit coloris Missæ convenientis.

8. Curet item Sacrista, ut Sacristia, & Ecclesia in omni ejus parte, tam in pavimento, quam in parietibus, columnis, fornicibus, ac laqueariis, nec non singula ejus Sacella, pulpita, Confessionalia, Altaria, & alia id genus semper munda sint, præsertim a pulvere, telis araneorum, & ne per incuriam sordescant, aut pereant.

9. Altaria cum suis ornamentis debite ornet tali colore, qualis secundum Rubricas Missalis præscribitur; quotidie Altaria infra, & supra ex pulveribus excutiat, & tergat, quæ absolutis Divinis Officiis panniculis semper tegat.

In

In ornandis Altaribus devote, & reverenter se habeat, maxime vero ad majus Altare, ubi Divinissimum Sacramentum servatur, & colitur: omnia, & singula agat cum modestia, & silentio, sine strepitu, recitando aliquem hymnum, vel Psalmum, considerando quod vivat, & videat Dominus, in cujus ibi conspectu stat præsentialiter, nec levi de causa nudis pedibus ascendat quodcumque Altare, propter reverentiam Sanctissimi loci, maxime in medio, ubi consecratur SS. Sacramentum: vel si ascendendum est, primo supponatur pedibus tabula, aut cutis, ne inhonoretur locus ille peraugustus in quo stat, quia terra Sancta est. Quod si fieri possint, ut nunquam locus ille pedibus substat, provideatur diligenter. Caveat autem omnino, ne claviculis, aciculis, & id genus ferreis spinulis, affigat tabulis, vel Altaris Imaginibus pallas, linteola acu picta, & similia tobalia; Altaria enim unica tali affixione læsa manent perpetuo, & propter unius diei extraordinarium ornamentum, quotidianus Altaris decor deturpatur.

IO. Amictus, Albæ, mappæ &c. si consecratæ non sunt, Superiorem vocet, qui eas consecret, si vero tantum lotæ sunt, sed antea consecratæ, ipse Sacrista, si est Sacerdos, accepta Stola, Missali, vel Agenda, & aqua benedicta, reconciliet. Caveat autem, ne immundis, & pollutis manibus, mundissima, & consecrata Paramenta tractet; ideo enim lota sunt, ne maculentur, & consecrata, ut reverentur tractentur.

II. Mappas recentes Altari superimpositurus, depositis prioribus, prius purgabit totam superficiem Altaris: deinde ponat alias tres mappas suo ordine secundum Rubricas Missalis; extremitates mapparum cum extremitatibus antependii concinne, apteque junget, & sic ornatum Altare tela munda, vel etiam panno coloris viridi, aut cerulei cooperiat, ob munditiam mappæ superioris semper conservandam. Insuper Altaria omnia, bis saltem singulis annis,  
dum

dum aër serenus est, finitis Missis usque ad vesper spoliata, & nuda sint, & etiam Suppedanea, si sint amovibilia, remota, & inversa sint, ut sicci aëris sentiant beneficium: quo tempore cum Altaria ipsa undequaque mudentur, tum Suppedanorum pars, quæ super est, expurgetur.

12. Curet Sacrista, ut in Sacristia silentium fervetur, nullum ad eam admittat, qui non habeat aliquod negotium ibi peragendum; Sæcularium Confessiones ibidem non excipiat, nec excipere cuique permittat. Habeat aliquot Stolas, quantum fieri potest coloris violacei, pro Confessoribus Sacramentum Pœnitentiæ administraturis. Probatur quoque illa laudabilis consuetudo illarum Ecclesiarum, in quibus duo sunt manutergia distincta in Sacristia, unum quod sit usui ante Missam, & aliud post Missam quod sit ex mundioribus, annotando ad instrumenta, quibus appenduntur, in schedula ea verba: *Ante Celebrationem. Post Celebrationem.* Aliud potest etiam apponi manutergium in alio loco cum inscriptione: *Pro Ministris.* Adsint quoque in Sacristia, vel in alio loco congruo, quædam Oratoria, in quibus Sacerdotes se præparent ad Missam, & post eam gratias agant, & in eis adaptetur Scabellum ante Crucifixi, vel aliam devotam Imaginem, ibique sit tabella, in qua Orationes præparatoriæ, & gratiarum actiones descriptæ sint.

13. Sacrista disponat diversa ornamenta pro diversis ornandis in diversis mensis, omnes vero mensas, in quibus ponendi sunt Sacri Ornatus, mundis pannis, aut mappis contegat, ne pretiosa quæque Ornamenta maculentur, vel ab aspera tabula atterantur: mollia enim mollibus conservantur. Juvet ornandos in oratione, ac postmodum singulos revideat, an bene sint induci, & ornati, & si quid distortum invenerit, corrigat, & emendet. Nullum Presbyterum vagum, peregrinum, & ignotum sine testimonialibus Ordinarii, aut sui respective Superioris, literis ad rem Divinam celebrandam admittat.

14. Quidquid ad Campanarum pulsam spectat, ipse Sacrista curet exequendum, scilicet ad Horas Canonicas, Missam, Salvationem Angelicam, & alia hujusmodi secundum rationem temporis, & Festorum.

15. Tandem Ecclesiam tempore debito, & tempestive aperiatur, & claudatur, & ut Ecclesia tuta sit a furibus, antequam eam claudatur finito officio, prius perlustrat totam Ecclesiam, ne ibidem remaneat aliqua persona vagabunda, peregrina, aut ignota &c.

16. Insuper Sacrista noster exactissime observet ea, quæ pro ipso præscribuntur in Statutis Provincialibus cap. 8. art. 19. per totum, folio 402.

17. Sunt adhuc & plura in Ecclesiis nostris a Sacrista præstanda, quæ in hoc Cæremoniali in propriis locis referuntur.

## CAPUT ULTIMUM.

DE

### OFFICIO PRÆFECTI CHORI, ET CÆREMONIARUM.

1. Præfectus Chori apud nos regulariter solet esse Pater Vicarius Conventus, qui semper Choro die, noctuque præsens assistere debet: ipsius enim Officium est, diligenter providere, ut omnia moderate, rite, & exacte fiant; nam Chori moderatio, quæ in pausa, & convenienti sono, inclinationibus, genuflexionibus, ac tota Disciplina in Choro servanda; sicut etiam assignare Officia, & Officiales, Præfecti Chori moderamini committuntur.

2. Unde Præfectus Chori diligenter curare debet, ut disciplina psallendi exacte servetur ab omnibus, & maxime illud de tarditate vocis, de debita pausa in medio versuum, de summo consensu, & concordia concinnentium, ut  
nul-

nullius vox ante alios præcurrat, nec post alios moretur, & ut nulla sit in psallendo diversitas, sed semper servetur æqualitas ab omnibus, quantum fieri potest.

3. Attendat præcipue Præfectus Chori, ut inviolabile ab omnibus servetur, silentium in Choro, nec in illo prorsus habeantur colloquia, nisi quis cogatur ex necessitate loqui de iis, quæ tantum ad functionem suam pertinent, idque voce submissa: nullus pariter risu, aut quovis gestu incomposito rem Divinam perturbet, vel literas, aut libros quoscunque præter Breviarium, aut Diurnum, eaque tempore debito, & cum opus est, legat; omniaque vitentur impertinentia, & oculorum divagatio, ne inde mentis oriatur distractio. Sunt enim in Choro congregati, non ad confabulandum, aut alia negotia pertractanda, sed unice ad laudandam, & adorandam Divinam Majestatem cum summa humilitate, amore, pariter & timore.

4. Quisque manus bene compositas (si librum non teneat) intra manicas ante pectus teneat: Omnes in stando, inclinando, genuflectendo, aut alio quovis actu uniformitati studeant, quando omnes eadem facere convenit. Nemo privatim, sed cum aliis, omnes simul attente, & devote laudes Divinas in conspectu Angelorum decantent, & dicant; & si forte cuiquam dormire contigerit, statim a Socio, vel alio excitetur. Nemo in demittendis, attollendisque Sedibus, aut per Chorum incedendo strepitum faciat. Omnes prompte, & sine cunctatione surgant simul, paulo antequam finiatur aliquid, post quod standum, inclinandum, aut genuflectendum est, v. g. ad *Gloria Patri* &c., inclinandum est, in fine præcedentis versus omnes surgant; nec etiam ante sedeant, quam id, quod sequitur, ad quod sedendum est, prius inchoatum fuerit, v. g. *Lectiones Nocturnorum*, aut *Martyrologium*: ad *Psalms* vero sedendum post decantatam medietatem primi versus *Psalmi*.

5. Unusquisque suo muneri diligenter incumbat, cavens ne in aliquo erret, ne cunctetur, ne tempus præveniat, nihil sibi sumat, nec quidquam aliis præscribat, nisi ex officio suo id efficiat. Aliquo absente, ille qui proxime eum sequitur, aut si talis non adfuerit, ille qui eum antecedit, suppleat vices illius.

6. Si aliquis errorem committat, Præfectus, prudenter quantum fieri poterit, sine clamore, & perturbatione Chori, errorem corrigat; quod si error fuerit levis, modesto tegatur silentio; melius est enim talem errorem interim dissimulare, quam in toto Choro perturbationem, & distractionem causare; omnes vero errores commissi in Choro corrigantur postea in Refectorio tempore mensæ, etiam per impositionem pœnæ pro ratione culpæ.

7. Minime convenit, ut qui sunt Seniores, & quibus convenit sedere in Stallis superioribus, sedeant in Sedi- libus inferioribus, sed unusquisque locum suum modeste retineat, nisi aliqua causa rationabilis appareat aliter faciendi.

8. Nunquam licet egredi e Choro sine necessitate, etiam ex pleto Officio, nisi prius facto signo exeundi a Superiori, & in hujus absentia a Præfecto Chori, quo signo dato, surgant, & consalutantes se reciproce modesta capitis inclinatione, e Choro exeant, faciendo Altari, & SS. Sacramento profundam, & debitam reverentiam. Quod si aliquis cogatur exire ante finitum Officium, id fiat cum licentia Superioris, & in ejus absentia Præfecti Chori, cui facta debita reverentia, etiam reliquos de Choro hinc inde nudi capitis modesta inclinatione salutabit, a quibus simili modo resalutetur: hujusmodi Salutationes etiam faciendæ sunt, si quis veniat ad Chorum inchoato jam Officio. Si tunc dicatur *Gloria Patri &c.*, ultima Hymnorum Stropha, vel quid simile, ad quod Chorus se profunde inclinât, pariter sive exiens, sive ingrediens Chorum tunc per illud tempus stabit profunde inclinatus.

9. Hæc omnia, ut ab omnibus cum summa diligentia observentur, ac totum Divinum Officium in Choro juxta Ritus, & Cæremonias in hoc Ordinario, seu Cæremoniali descriptas exactissime absolvatur, id efficere Officium Præfecti Chori est: quod si aliquando ob legitimum impedimentum Præfectus Chori fuerit absens, id præstabit is, qui tunc Senior in Choro reperitur. Si autem Præfectus Chori in hoc suo Officio fuerit negligens, & defectuosus, deferatur id Superiori loci, & in Canonicis Visitationibus etiam Superiori Provinciæ.

10. Ut autem Præfectus Chori Officium suum exacte exequatur, singulis diebus prævideat Officium sequentis diei, præsertim quo ad Matutinum, an non habeatur, aliquid singulare, & proprium quo ad Hymnum, Antiphonas, Lectiones, Responsoria &c.; similiter Martyrologium, & alia quæ dicuntur in Choro, ac tempore Cænæ, sive Collationis Acolythos, Lectorem Nocturnorum, & alios moneat de iis, quæ observanda esse judicaverit. Adveniente aliquo Festo, de quibus dicitur sequenti Parte tertia, perlegat, & diligenter prævideat facienda tali Festo: Conveniat cum Præfecto Cæremoniarum, cum eo conferat (si ipsemet Præfectus Chori non sit etiam simul a Ministro Provinciali deputatus pro Præfecto Cæremoniarum) de Sacris Ritibus, & Ecclesiasticis Cæremoniis: imo expediret, ut prævie ante Festum observandi Ritus, & Cæremoniæ perlegantur in Refectorio tempore communis mensæ, ut omnes informentur; & si ita videbitur, etiam particularis scribatur tabula Officiorum, & Officialium pro tali Festo.

11. Quilibet Loci Superior in qualibet Visitatione Canonica præmonea A. R. P. Ministrum Provinciale, ut juxta Statuta Provincialia *cap. 10. art. 1. num. 9. folio 430.* assignet Præfectum Cæremoniarum, qui diligenter curet, ut omnes Ritus, & Cæremoniæ tam in Divino Officio, quam SS. Sacrificio Missæ, tam privato, quam Solemni, suffi-

cienter descriptæ tum in hoc Ordinario, seu Cæremoniali, quam in *Manuductione ad rite, recteque celebrandum SS. Sacrificium Missæ*, exacte ab omnibus observentur. Et ut præcipiunt Statuta, loco citato, saltem semel in mense in Refectorio, vel etiam in Ecclesia, omnibus omnino Patribus, & Fratribus congregatis, celebrentur sicæ Missæ tam privatæ, quam Solemnes, sicut etiam Vesperæ Solemnes: Nec non etiam adveniente aliquo Festo cum particularibus Cæremoniis, tales Cæremoniæ prius in Refectorio, vel etiam in Ecclesia peragantur; ut in Festo Purificationis benedictio candelarum, & subsequens Processio: Dominica Palmarum benedictio Palmarum, & Processio: In Cæna Domini Processio; Lotio pedum: In Parasceve Adoratio Crucis &c. &c. Quæ omnia dum peragentur in Ecclesia, pro interim removeatur ab Altari majori Sanctissimum.

12. Nullus ex Sacerdotibus audeat accedere ad Altare Missam cantaturus, præsertim Votivam, nisi prius conferat cum Præfecto Cæremoniarum, quas, & quot Collectas in Missa ponere debeat; & an *Gloria in excelsis*, aut *Credo* cantare teneatur: & quæ ex *Præfationibus* eo tempore ponenda sit: quod si ad Præfectum Cæremoniarum accedere, & ab eo consilium capere neglexerit, & eum errare contigerit, pœnam in Refectorio subire tenebitur.

---

## PARS TERTIA.

DE

SACRIS RITIBUS, ET ECCLESIASTICIS CÆREMONIIS, IN QUIBUSDAM PRÆCIPUIS DIEBUS, ET FESTIS OCCURRENTIBUS INTRA ANNUM SERVANDIS.

---

**N**on est hic sermo de omnibus, & singulis, quæ singulis anni diebus occurrunt, hoc enim esset superfluum, cum satis copiose hæc omnia in Directoriis pro persolvendo Divino Officio, Missisque celebrandis adnotata habeantur, & quæ forsitan desiderari possunt de celebratione Missarum, abunde omnia explicata sunt in Manuductione rite, recteque celebrandi SS. Sacrificium Missæ. Unde hic solum de iis agitur, quæ clariorem requirunt explicationem.

### CAPUT I.

DE

SACRORUM RITUUM, ET ECCLESIASTICARUM CÆREMONIARUM OBSERVANTIA.

1. **I**n Celebratione Divini Officii, sicut etiam in celebratione SS. Sacrificii Missæ, tam privatæ, quam Solemnis, omnes Ritus, & Cæremonia a Rubricis tam Missalis, quam Breviarii præscriptæ exactissime observandæ sunt; omnes abusus abrogandi; neglectæ, & omissæ Cæremonia (sive ob ignorantiam, sive ut ita dicam, ex pura Socordia) omni-

omnino executioni demandentur, & exactissime observentur. Nullus proferat illam ineptissimam excusationem: *Hoc antea nunquam fuit observatum*; prava enim, & perversa est excusatio, propterea aliquid non esse faciendum, quia antea id omissum fuit: vel aliquid ita esse faciendum, quia antea ex mala consuetudine, vel pessimo abusu ita factum fuit; non enim negligentia, neque abusus, sed Rubricæ Missalis, & Breviarii sunt Leges, & Regulæ immediatæ, & proximæ ab Ecclesia institutæ præscribentes Ritus, & Cæremonias servandas in rebus Sacris peragendis, ad quarum observantiam omnes obligantur, & quidem secundum communem auctorum Sententiam, in Rubricis præceptivis sub gravi peccato (nisi excuset parvitas materiæ, vel inadvertentia) ut patet ex duplici Constitutione S. Pii V. quarum prima incipit: *Quo primum*: pro Missali, secunda vero inchoatur: *Quod a nobis*, pro Reformatione Breviarii.

2. Præter Rubricas Missalis, & Breviarii, etiam Sacrorum Rituum Congregationis Decreta pariter habenda sunt tanquam Leges, & Regulæ proximæ eorundem Rituum, & Cæremoniarum, quia hæc Sacra Congregatio facultatem habet interpretandi, & declarandi quæcunque dubia, quæ insurgunt circa Ritus, & Cæremonias Ecclesiasticas, ut colligi potest ex Constitutione 74. Sixti V. quæ incipit: *Immensa bonitas*.

3. Pro majori, & clariori elucidatione Rubricarum tam Missalis, quam Breviarii eruditissima Commentaria ediderunt plures præstantissimi Viri, inter quos (ut communiter omnes fatentur) merito principem locum tenet Bartholomæus Gavantus; hunc secuti sunt, Sæculo mox elapso, Michaël Bauldry Hippolytus a Portu Vicentino, & plures alii. Hoc vero nostro Sæculo præstantissimus, ac fidelissimus Gavanti assecla Cajetanus Maria Merati, Sacrorum Rituum, & Ecclesiasticarum Cæremoniarum peritissimus, utpote Romæ per annos octodecim Sac. Rit. Congregationis Con-

Confultor, qui Gavanti Commentaria novis Observationibus, & Additionibus auxit, atque egregie illustravit. Novissime tandem hisce temporibus Joannes Michael Cavalieri eruditissima edidit Commentaria in authentica Sac. Rituum Congregationis Decreta.

4. Verum sicuti nulla est talis Facultas, in cujus explicatione omnes Doctores simul conveniant, & in omnibus unum, idemque sentiant; ita quoque in explicando genuino sensu Sacrarum Rubricarum, illarum Elucidatores, & Explanatores multoties inter se discrepant, & dissentiunt; sic in multis sibi contrariantur Bauldry, & Merati, licet uterque profiteatur se sequi Gavantum, a quo tamen etiam in nonnullis discrepare se fatentur. Ita pariter novissimus auctor Cavalieri in suis Commentariis in authentica S. Rit. Congr. Decreta aliquando sequitur Bauldry contra Merati, & nonnunquam sequitur Merati contra Bauldry.

5. Exemplum habetur in eo, quomodo, & quando proferri debeant prima Canonis verba, de quo magna controversia, & lis est inter Rubricistas, prout retuli in *Manuductione celebrandi SS. Missæ Sacrificium part. 2. ad tit. 8. rubr. 1. num. 1. folio 237.* ubi in fine meæ relationis, Censor dictæ *Manuductionis* addidit: *Sententia tamen Gavanti cum Bauldry, & Cavalieri adhærendum est, non obstantibus in contrarium ex Merati adductis rationibus, quas idem Cavalieri, optime gnarus Cæremoniarum, sapientissime refutat, & levi ponderis eas esse asserit.* Hoc inquam in dicta *Manuductione* additum est ab illius Censore, non obstante quod *Manuale Cæremoniarum Romanarum, Studio, ac Opera Presbyterorum Congregationis Missionis part. 1. art. 8. num. 1. folio 38.* expresse præscribat. *Finita Præfatione, Celebrans, stans rectus ante medium Altaris, extendit, ac elevat aliquantulum manus, oculisque elevatis ad Deum, & sine mora demissis, manibus junctis, & super Altare positis, profunde inclinatus incipit secreto, & non prius dicens: Te igitur Clementissime Pa-*  
B b
ter:

ter: Ubi addita hæc verba: *Et non prius.* Cavalieri autem tom. 5. cap. 16. ad Decretum 5. num. 41. Rationes Merati refutat sequenti modo. Quod namque ipse (Merati) reponet ad Rubricam alteram tit. 8. num. 4. quæ diserte mandat, quod Sacerdos elevans ad Cælum oculos, & statim demittens dicat: *Et elevatis oculis in cælum ad te Deum &c.*, etiam nos reponemus ad id, quod in præsentiarum nobis objicit. Quando enim dicetur, quod *totus Canon ex libro legi debet, Et non memoriter recitari*, non debet ita rigide intelligi, ut aliqua pauca ejusdem verba, maxime quæ cum gestibus conjuncta sunt, non possint memoriter recitari, dummodo probe sciantur, aut ex præcedenti obtutu bene, recenterque fuerint memoriæ tradita: unde, & quando Sacerdos efformat Cruces super Oblata, fatius est, quod concomitantia verba, ut supra memoriter recitet, quam ea ex libro legat, cum periculo versandi Calicem. *Hæc Cavalieri*

6. Tam in Manuductione rite, recteque celebrandi SS. Sacrificium Missæ, quam in hoc Cæremoniali sæpe contraria auctororum Sentimenta referuntur, aliquando innuendo, quis illorum potius sit sequendus, quandoque etiam permittendo pro libertate id agendum, quod cuique commodius fuerit. Grande utique nefas esset, si quislibet pro suo proprio libitu vellet novas Cæremonias inducere, aut à Rubricis, & approbatis Doctoribus præscriptas omittere; nam hoc nihil aliud esset, quam in celebrandis Divinis Officiis, & Sacrificiis inducere maximum disordinem, & abominabilem confusionem contra rigorosas prohibitiones Pontificias, & Sacræ Congregationis. At ubi Rubrica per se facis clara non est, & approbati Doctores Rubricarum explanatores in diversas abeunt Sententias, tunc videtur permittendum esse, id agere posse, quod commodius, & conformius videbitur, nisi alicujus particularis Auctoris Sententia per laudabilem usum, & approbatam consuetudinem jam sit communiter in praxi recepta.

7. Ipsamet Rubrica Missalis aliquibus in locis in libertate Celebrantis relinquit unum, vel alterum ritum servandi: Sic de Ritu celebrandi Missam *titulo VI. rubr. 1. habetur*: Dictis Orationibus, Celebrans positus super librum, vel super Altare manibus, ita ut palmæ librum tangant, vel (ut placuerit) librum tenens, legit Epistolam. *Et paulo infra.* Sacerdos si privatim celebret, ipsemet, seu Minister portat librum Missalis ad alteram partem Altaris in cornu Evangelii. *tit. VIII. rubr. 3. habetur.* Cum dicit: Memento Domine, elevans, & jungens manus usque ad faciem, vel petus. *Et paulo infra.* Faciens commemorationem vivorum Christi fidelium ad suam voluntatem, quorum nomina si vult, secreto commemoret ---- Potest enim Celebrans, ne circumstantibus sit morosus, ante Missam in animo proponere sibi omnes illos tam vivos, quam defunctos, pro quibus in ipsa Missa orare intendit, & hoc loco generaliter unico contextu ipsorum vivorum commemorationem agere, pro quibus ante Missam orare proposuit in Missa. *Parte 3. De Defectibus in Celebratione tit. X. rubr. 8. habetur.* Si sumendo Sangvinem, particula remanserit in Calice, digito labium Calicis eam adducat, &umat ante purificationem, vel infundat vinum, &umat. *tit. VII.* De Offertorio in Missa Solemni *rubr. 9. habetur.* Diaconus illum (nempe Calicem) Celebranti dat, & pedem Calicis tangens, seu brachium dextrum Celebrantis sustentans, cum eo dicit: Offerimus tibi Domine &c. Ubi relinquitur pro libertate vel tangere pedem Calicis, vel sustentare brachium dextrum Celebrantis, dummodo tamen Diaconus semper simul cum Celebrante dicat Orationem: *Offerrimus tibi Domine &c.*

8. Tandem Merati *part. 4. tit. 8. num. 16.* refert. Rubrica Missalis Feria V. in Cœna Domini de Processione, quæ fit post Missam cum SS. Sacramento ad locum præparatum præscribit sequenti modo: *Cum autem ventum fuerit ad locum paratum, Diaconus genuflexus a Sacerdote stante ac-*

cipit Calicem cum Sacramento, & ponit illum primo super Altare, ubi a Sacerdote genuflexo incensatur, ut supra: deinde reponit in capsula. His tamen non obstantibus Cæremoniale Episcoporum auctoritate Benedicti XIII. recens recognitum lib. 2. cap. 23. §. 13. præscribit: quod Diaconus, accepto Calice, ut supra, ipsum reponat non super Altare, sed in loco præparato, id est, ut explicat Memoriale Rituum majoris Hebdomadæ cap. 2. §. 9. num. 17. in loculo, sive capsula præparata super Altari, non tamen illam tunc claudens, nisi facta incensatione Sacramenti. Hæc ex Merati loco citato, qui consequenter ibidem super hanc Rituum variationem sic concludit. Ex supradicta igitur Rituum variatione sciendum est, quod quando Missale, & Cæremoniale aperte differunt in præscribendo aliquo Ritu, ut in locis supra citatis, non ideo ita sibi contradicere credendum est, ut unum prohibeat, quod alterum præscribit; sed potius utroque modo talem Ritum observari posse. Missale igitur præscribit, quod Diaconus ponat Calicem super Corporale in medio Altaris; Cæremoniale vero, quod deponat super Altari in loco præparato, id est in capsula (quæ tamen claudi non debet, nisi facta incensatione) quodcumque horum fiat, Rite, ac legitime fiat. Hucusque verba citati Auctoris.

9. Huc etiam spectare videtur sequens Sac. Rit. Congr. Decretum. Cum in Missali ultra primam in principio detur & altera Rubrica in Ordine, & Canone Missæ, & inter has videatur aliqua discrepantia, præcipue in inclinationibus, & manuum junctionibus, quæritur, quænam sequendæ? Responsum fuit pari forma sequenda esse, tum Rubricas generales, tum particulares Missalis Romani, ad Cæremonias inclinationibus, & manuum junctione rite peragendas. Sacra Rituum Congregat. 21. Martii 1744.

10. Ex supradictis apparet, quid sit dicendum de illis, qui omnes volunt cogere ad deferendum Calicem ex Sacristia ad Altare cum velo non revoluto super Calicem, sed pen-

pendente ante Calicem; si nempe velum ob suam brevitatem non tegat totum Calicem, sed solum partem anteriorem, hæc pars anterior veli debeat dependere ante Calicem, & non esse velum revolvendum, & plicandum supra Bursam. Nam ex tali delatione Calicis primo inferuntur, & peragi debent nonnullæ incommodæ gyrationes, & in semicirculum agitationes totius Calicis. Dum enim in Sacristia paratur Calix, prout præscribit Rubrica, & Doctores Rubricarum elucidatores demonstrant: nempe ponendo super Calicem Purificatorium, deinde Patenam cum Hostia, hanc tegendo Palla, & deinde velo, quod velum (ut docet Cavalieri *tom. 5. cap. 7. num. 22.*) si breve sit nimis, major pars a parte Calicis anteriori protrahitur; postea ponendo super velum Bursam cum incluso Corporali, cujus Bursæ pars aperta, ut docet Gavantus *part. 2. tit. 1. lit. O.* debet Celebrantem respicere. Quod si ita præparato Calice Velum non revolvatur super Calicem, sed ita dependens deferendum sit, necesse est Calicem invertere, seu in semicirculum agitare, ita ut pars illa, quæ fuerat anterior, seu Sacerdotem respiciens, fiat posterior, & pars nuda Sacerdotem respiciat. Postea dum Sacerdos ad Altare pervenit, iterum super Altare Calicem in orbem gyrare, & in semicirculum retorquere necesse est, & partem posteriorem collocare pro anteriori. Demum hujusmodi incommoda semicirculatio Calicis perfici debet, antequam Sacerdos ab Altari revertatur ad Sacristiam.

II. Deinde ultra supradictam incommodam Calicis gyrationem, quæ fieri debet, dum Calix defertur prædicto modo dependente Velo, semper magnum periculum adest, ne dependens Velum suo pondere, & gravitate detrahat secum in terram Bursam cum Corporali, Hostia, & Patena (qui casus quam maxime, & omni possibili modo præcaveri debet) cum Velum sæpe soleat esse ejusdem materiæ, cujus est Planeta, & insuper exornatum auro, argento, variisque floribus, & adornamentis, ita ut non modicum ob-

tineat pondus: & licet Rubrica *tit. 2. num. 2.* præscribat, ut Sacerdos manu sinistra accipiat Calicem, & Bursam manu dextra super Calice teneat, ad præcavendum ne aliquid de Calice decidat; attamen ut eadem Rubrica in fine citati numeri, & initio numeri secundi præcipit: Sacerdos si transeat ante Altare, ubi elevatur, vel ministratur Sacramentum, genuflectat, & detecto capite illud adoret. Et cum pervenerit ad Altare, stans ante illius infimum gradum, caput detegit, & profunde se inclinat. Consequenter in his casibus debet semper amovere manum dextram a Calice, & ea caput detegere, & sic manifestum periculum semper adest, ne dependens Velum suo pondere omnia secum ex Calice ad terram detrahat, prout ipsa experientia prædicto modo Calicem deferentibus sæpe demonstravit.

12. Demum de delatione Calicis e Sacristia ad Altare præfato modo non solum in Rubrica nihil habetur, sed nec ullas Auctorum de eo quidquam meminit; imo & in novissimo Manuali Cæremoniarum Romanarum Studio, ac Opera RR. Presbyterorum Congregationis Missionis conscripto, de eo altum habetur silentium. E contra vero Præclarissimi Rubricarum explanatores oppositum adstruunt: Sic Gavantus *part. 2. tit. 1. lit. O.* docet: *Quæ vero pars Bursæ aperta est, Celebrantem respiciat, velo anteriori super eam revoluta.* Id ipsum docet Bauldry *part. 3. de Ritu servando in celebratione Missæ tit. 1. rubr. 1. nota 4.* ubi inquit: *Convenit ut Bursa Crucem in medio habeat, cujus pars aperta Celebrantem respiciat, Velo anteriori super eam revoluta, ut Calix commodius deferri queat a Sacerdote.* Hippolytus a Portu Vicentino in suo Opere de Cultu Dei. *Tit. 1. rubr. 1. num. 13.* ait: *Supra Bursam nec conspicilia, nec manutergium &c., collocandum foret, sed in necessitate tegatur Velo, quod supra Bursam ab anteriori parte plicatur, ut Calix commodius deferri queat.*

13. Merati etiam *part. 2. tit. 2.* ad illam Rubricam de ingressu Sacerdotis ad Altare *num. 2.* ubi dicitur: Cum per-

pervenerit ad Altare &c. Tunc ascendit ad medium Altaris: ibi ad cornu Evangelii sistit Calicem. Sic commentatur: Non ob aliquod mysterium, sed ad majorem commoditatem; quia cornu Epistolæ occupatur a Missali. Et infra num. 12. hæc habet verba prælaudatus Auctor. Postea statim ambabus manibus explicato velo revoluta super Calicem in parte anteriori, accipit sinistra manu Bursam, a qua dextra manu extrahit Corporale. Ex quibus verbis clare patet, quod ommissa illa incommoda gyratione Calicis in semicirculum, Velum quod in anteriori parte Sacerdos revolverat supra Bursam in Sacristia, hic illud ambabus manibus explicet, seu utraque manu accipiat Velum per ejus extremitates revolutas, & de Calice demittat super Altare, & postea explicato Corporali in medio Altaris, juxta Rubricam jam coopertum Calicem in parte anteriori, quæ Sacerdotem respicit, collocet in medio Altaris super Corporale.

14. Cooperitur autem undequaque Calix, vel saltem pars anterior illius (si Velum sit breve) super Altari a principio Missæ usque ad Offertorium, quia hæc pars Missæ est Missa Catechumenorum, quibus solum permittebatur interesse Missæ a principio usque ad Offertorium exclusive, & ante Offertorium mittebantur foras extra Ecclesiam, ut refert S. Isidorus lib. 2. orig. cap. 16. inquit: *Missæ tempore Sacrificii est, quando Catechumini foras mittuntur clamante Levita: Si quis Catechumenus remansit, exeat foras: & inde Missa; quia Sacramentis Altaris interesse non possunt, qui nondum regenerati noscuntur.* Unde Gavantus part. 2. tit. 1. lit. n. inquit: *Velum inde dicitur, quia velando Calicem, ejusdem velata esse mysteria signat: seu ut alii auctores asserunt: Tegitur autem Calix, ut ejusdem mysteria esse velata significetur.*

15. Tandem post finitam Missam, dum revertitur Sacerdos ab Altari ad Sacristiam (omissa illa noviter excogitata gyratione Calicis, ut scilicet manum incommode incurvet, & Calicem in gyrum, seu semicirculum circum agitet,

tet, & ex parte anteriori Calicis faciat posteriorem) juxta præscriptum Rubricæ: *Accipit sinistra Calicem.* Super quæ verba Rubricæ Gavantus *part. 2. tit. 12. lit. g.* sic commentatur: *Accipit sinistra Calicem, revoluta super eum decenter anteriore parte Veli.* Bauldry in *Nota super eandem Rubricam* ait: *Anterior pars Veli debet revolvi decenter a Celebrante, antequam accipiat Calicem, & descendit ab Altari.* Hyppolytus a Portu Vicentino super eandem Rubricam *num. 2.* asserit: *Conjungendo manus ante pectus, ad medium Altaris redeat, revoluta super Calicem, scilicet super Bursam, Veli anteriore parte, si juxta nostram Sententiam, prius non fuerit revolutum, manus sinistra Calicis accipit nodum.* Merati *part. 2. tit. 12. num. 10.* ad eandem Rubricam docet: *Lecto Evangelio ultimo, junctis manibus ante pectus accedit ad medium Altaris, ubi stans adhuc in Suppedaneo, facit reverentiam Cruci, postea revolvit partem anteriorem Veli super Bursam, deinde sinistra manu accipit Calicem in nodo; ponens dextram super Bursam, ne aliquid decidat, ut in initio Missæ.* Tandem Cavalieri *tom. 5. cap. 25. num. 13.* sic concludit. *His omnibus peractis, Minister extinguit, candelas, & accepto Missali ante infimum Altaris gradum descendit. - - - Interim Sacerdos sinistra Calicem accipit, revoluta prius super Bursam parte anteriori Veli; accipit autem eum de more, ut in principio cum ad Altare celebraturus accessit.* Et nec unicus quidem, ex omnibus Auctoribus scribentibus de Rubricis, & Ritibus Missæ, aliquid innuit, de supradiçta Calicis in semicirculum gyratione. Imo Hippolythus a Portu Vicentino *tit. 10. rubr. 5. num. 18.* & Merati *part. 2. tit. 10. num. 22.* hæc expressa verba habent: *Quod si terminata Missa non præscribit Rubrica revolutionem Veli super Bursam; nec alia multa declarantur a Rubrica, generaliter loquendo, quæ tamen declarantur ab Auctoribus, qui Sacras Rubricas explanant, & interpretantur.*

16. Solent quidem Calicis Delatores supradiçto modo, asserere, quod ideo Calix ita deferendus sit, quia id magnum deuo-

deuo-

denotat *Mysterium*: sed interroganti, quale nam illud *mysterium*? vel illud nolunt revelare, vel nullum sciunt. Et certe si in tali delatione subesset aliquod certum *Sacrum Mysterium* (de efficto enim nihil curandum) vel *Rubrica* aliquid de hoc innueret, vel saltem unus aliquis ex tot *Scriptoribus de Sacris Ritibus, & Cæremoniis Missæ* illud indicaret.

17. Sunt nonnulli, qui ut videantur sequi doctrinam supra allatorum *Auctorum* de revolvendo *Velo* supra *Bursam*, hi postquam *Calicem* præparatum in *femicirculum* agtaverint, si ex altera parte adhuc supersit aliquid de *Velo*, saltem in latitudine duorum *digitorum*, talem particulam *Veli* super *Bursam* revolvunt. Sed quid quæso ex talis particulæ revolutione aliquid commodius inveniet, in portando, & deferendo *Calice* ad *Altare*? Nam ultra id, quod adhuc semper remaneat peragenda super *Altari* illa incommoda gy-ratio *Calicis* in *femicirculum*; certe si per illius particulæ revolutionem non augetur, remanet tamen supra dictum *periculum*, ne dependens totum *Velum* in altera parte secum omnia de *Calice* in terram detrahat; & sic per totam viam e *Sacristia* ad *Altare* *Sacerdos* incedere, & *Calicem* deferre debet cum magna turbatione, & anxietate, ne illi contingat supra allatus casus, quod est omnino contra intentum supra allatorum *Auctorum*, qui docent revolvendum esse *Velum* supra *Bursam*, ideo ut *Calix* commodius deferri queat, & vel maxime sine turbatione, & anxietate, ac sine omni periculo.

## C A P U T II.

D E

### A D V E N T U.

I. Per totum *Adventum*, & usque ad *Octavam Epiphaniæ* in *Officio* tam de tempore, quam de *Festis Sanctorum* omittuntur *Suffragia Communia Sanctorum* post *Laudes*, &

Cc

Vc-

speras Dicuntur tamen Preces ad Primam, & Completorium, quando Officium non est Duplex, aut infra aliquam Octavam.

2. Toto tempore Adventus in Conventibus Formalibus qualibet die in aurora cantanda est Missa de B. V. Maria, quæ incipit *Rorate*, cum Gloria, unica Oratione, Credo, Præfatione de Beata: *Te in veneratione*, & ultimo Evangelio semper S. Joannis: *In principio*. De hac Missa *Rorate* videatur in Manuductione ad rite, recteque celebrandum SS. Sacrificium Missæ, in Collectione Decretorum Decretum positum sub num 264. cum annotatione ibidem apposita.

3. Quantum ad tempus, quo cantari debet dicta Missa *Rorate*, observandum est sequens Statutum Definitorii Provinciae. *In Adventu, quando cantatur Missa Rorate; surgendum est pro Meditatione hora quinta, post quam Meditationem per mediam horam absolutam, immediate cantetur Missa Rorate. Deinde Horulæ de Beata, & Supplicationes, ne prima Missa multo tempore ante auroram absolvatur.* In illis tamen Conventibus, ubi expectandus est congressus Populi, qui ob magnam distantiam ab Ecclesia, non potest statim ad primum signum convenire ad Ecclesiam, poterunt prius decantari Horulæ de Beata, & Supplicationes, & deinde immediate Missa *Rorate*, prout antea practicum fuit; ita tamen, ut Meditatio semper incipiat hora quinta, & duret per mediam horam.

4. In Adventu Missa de tempore, nempe de Dominica, & Feria cantari debet sine Organis, excepta Dominica tertia, quæ appellatur *Gaudete*.

5. Rubricæ Generales Missalis part. 1. tit. XIX. *De qualitate Paramentorum. num. 6.* præscribunt, ut toto tempore Adventus in Missa de tempore, Diaconus, & Subdiaconus non utantur Dalmatica, & Tunicella in quibuscunque Ecclesiis; sed Planetis plicatis ante pectus, & iis quidem in majoribus Ecclesiis tantum, scilicet Cathedralibus, Collegiatis, & Ecclesiis Regularium insignioribus; excepta Domi-  
nica

nica tertia, seu *Gaudete*, in qua prædicti Sacri Ministri utuntur Dalmaticis. Esto in nostris Ecclesiis etiam principalioribus, seu in Conventibus formalibus, nondum sit introductus usus Planetarum plicatarum; si tamen aliquando introduceretur, ut sciatur, qualis illarum debeat esse usus, ex *Bauldry part. 4. cap. 1.* & ex *Merati part. 4. tit. 1. num. 4.* sequentia traduntur.

6. Planetæ plicatæ Sacrorum Ministrorum sunt ejusdem formæ, & coloris, ac illa Celebrantis, sed tamen sic plicatæ, ut pars anterior replicetur interius usque ad medium, vel etiam revolutæ interius ante pectus, & tantum aciculis, aut quibusdam vittis, sive ligaculis firmanentur, ne pars earum anterior decidat. Finita autem Missa, possunt eadem aciculæ auferri, vel brevia ligacula, sive cordulæ in suis extremitatibus insutæ possunt relinqui, & sic prædictæ casulæ etiam Sacerdotibus aliis inservire. In multis tamen Ecclesiis pro hoc solummodo usu habentur Planetæ ita jam factæ, & decurtatæ in parte anteriori, ut hæc pars anterior solummodo tegat pectus, & ultra cingulum non pertingat.

7. His Planetis Diaconus, & Subdiaconus ornati assistunt Celebranti in Missa cantata, Subdiaconus quidem per totam Missam, excepta Epistola: unde is cantaturus Epistolam, antequam accipiat librum, Planetam deponit in aliquo loco congruo, & convenienti, ad id deputato, puta super Credentiam, adjuvante eum aliquo Acolytho, vel Thuriferario in cornu Epistolæ. Cantat postea Epistolam indutus sola Alba, cum Manipulo; & post Epistolam cantatam osculata manu Celebrantis, & ab eo accepta benedictione, priusquam deferat Missale Celebrantis ad cornu Evangelii, reassumit suam Casulam. Diaconus vero similiter deponit suam Planetam in eodem loco, priusquam deferat librum Evangeliorum ad Altare; & loco Planetæ ponit super Stolum communem aliud genus Stolæ latioris, sed brevioris, coloris violacei ad hunc solummodo usum factam, quam li-

gat cordulis, seu ligaculis sub brachio dextro adjuvante eum Thuriferario, sicque ornatus ministrat Celebranti usque ad factam Communionem, & hac peracta, postquam detulerit Missale ad cornu Epistolæ, pergic ad Credentiam, seu locum assignatum, ubi deposita latiori Stola, resumit suam Planetam, nec eam deponit amplius, nisi in Sacristia.

8. Prædictis Planetis plicatis Diaconus, & Subdiaconus uti debent, juxta præscriptum Rubricarum Missalis, loco supra citato, in majoribus Ecclesiis, non solum Dominicis, & Feriis Adventus, sed etiam Dominicis, & Feriis Quadragesimæ (excepta Dominica quarta, dicta *Latere*) Item in benedictione Candelarum, & earum Processione, quæ fit in die Purificationis B. M. V. Item in benedictione Cinerum: Sicut etiam in benedictione Palmarum, & earum Processione. Rursus in Sabbato Sancto, sicut etiam in Vigilia Pentecostes ante Missam.

## C A P U T III.

D E

### VIGILIA, NOCTE, ET DIE NATIVITATIS DOMINI.

1. **O**fficium Divinum, hujus Vigiliæ, quomodo persolvendum sit, satis declaratur in Rubricis Breviariis hujus diei, quæ propterea, perlegendæ sunt.

2. Martyrologium vero hac die, in quo Nativitas Christi annuntiatur, majori cum Solemnitate decantatur Itaque Sacrista, aut alius, tempestive parat ante Altare majus in medio ante infimum gradum, pulpitem panno violaceo tectum, super quod ponit Martyrologium. Dum Prima cantatur in Choro, P. Cantor, aut alius Sacerdos induitur in Sacristia Amictu, Superpelliceo, Stola, & Pluviali; Thuriferarius, & duo Acolythes, seu Ceroferarii se pariter

ornant Superpelliceis: & quando in Choro cantatur *Christe Fili Dei vivi*: præcedentibus Thuriferario cum thuribulo, & navicula, nec non Ceroferariis cum cereis accensis, præfatus Sacerdos manibus junctis ante pectus procedit ante Altare, ubi cantari debet Martyrologium, & facta Altari ab eo, & a Ministris debita reverentia; dum cantatur in Choro Oratio: *Domine Deus Omnipotens*: imponit ter incensum in thuribulum, cum solita benedictione, formando super illud signum Crucis, ut de more; deinde accepto thuribulo ter incensat Martyrologium, positum supra pulpitem, interim Thuriferario elevante a dextris fimbriam Pluvialis; & post incensationem Thuriferarius recepto thuribulo stat retro post Cantorem: Ceroferarii vero stant hinc inde a lateribus ejusdem Cantoris, faciem, sicut ille, vertentes ad Altare, & omnes dicto modo manent usque in finem.

3. Dicto in Choro: *Deo gratias*, & omnibus stantibus detecto capite, incipit Cantor cantare lectionem Martyrologii; sed neque se ipsum, neque librum signare debet, sed stans manibus junctis ante pectus, cantat tono competenti primo pronuntiando Kalendas, deinde proseguendo lectionem. Cum dicit: *In Bethlehem Judæ &c.* elevat vocem, & statim omnes) præter ipsum Cantorem, & Ceroferarios, qui semper stant immobiles) genuflectunt. Postea altiori, ac Solemniore tono, qui dicitur Passionis, subdit: *Nativitas Domini nostri Jesu Christi secundum Carnem.*

4. His peractis, & factis debitis reverentiis, cum Thuriferario, & Ceroferariis, eodem ordine quo venerint, revertuntur in Sacristiam, ibique Paramenta deponunt. In Choro vero adstantes omnes ad reliquam lectionem Martyrologii, quam primus Acolythus more solito cantat, sedent.

5. Missa cantatur cum Organis. Vesperæ Solemnissimæ nihil extraordinarium habent: dicuntur ta-

men paulo ante horam solitam. In fine post Antiph: *Alma Redemptoris &c.* mutatur versus, & Oratio.

6. De Vesperi Sacrista præparet in Sacristia omnia Ornamenta, & alia necessaria pro Solemnissime media nocte decantando Matutino, & post illud Missam Solemnem.

7. Celebrans, quem convenit esse ipsum Superiorem Conventus, ante Matutinum poterit Confessionem facere, & Orationes præparatorias ad Missam recitare, ne durante Officio, contra decentiam, ea cogatur peragere: & dum se ornat Sacris vestibus, dicat ad singula Paramenta assignatas Orationes, quia statim post *Te Deum*, est celebraturus Missam. Communitè vero auctores asserunt, Celebrantem primam Missam in hac Sacra nocte, debere antecedenter esse jejunum per horas circiter sex, si non de necessitate præcepti, maxima tamen ex congruentia. Quod si ab aliquo Sacerdote in prima, aut secunda Missa, etiam inadvertenter sumatur ablutio, aut si per errorem aqua pro vino fuerit consecrata, & sumpta, quia per hoc frangitur jejunium naturale, talis Sacerdos post hanc Missam jam non potest aliam celebrare.

8. Circa mediam noctem, postquam in Sacristia Celebrans, & omnes Ministri ornati fuerint eo modo, ut dictum est supra *part. 2. cap. 7. de Vesperis Solemnibus*, eodem quoque modo, ut ibi dictum est, procedunt ad Altare, ante quod postquam per aliquam morulam genuflexi mentaliter oraverint, surgunt, ac profunde inclinati dicunt: *Pater, Ave & Credo.* Deinde Celebrans cum cantu incipit: *Domine labia mea &c.* Invitatorium cantant Cantores ante Altare, qui dum incipiunt versum: *Hodie si vocem Domini audieritis &c.* Celebrans cum Ministris, facta debita reverentia Altari, ingreditur Chorum, & stat in loco consveto ante Pulpitum. In Hymno ad totam sextam Stropham: *Et nos beata quos Sacri rigavit &c.*, omnes genuflectunt utroque genu. Deinde postquam Celebrans intonaverit primam Antiphonam, depo-

deponit Pluviale, & ingreditur suum Stallum: deinde proportionaliter omnia ferventur, prout dictum est *part. 2. de Matutino, & Vesperis Solemnibus.*

9. Tres Lectiones primi Nocturni decantabunt tres Clerici superpelliceis induti: Lectiones secundi Nocturni leget Thuriferarius. Septimam, & octavam Lectionem cantabunt duo Patres ex Senioribus: ex quibus unus tempore ultimi Psalmi tertii Nocturni accedat ad Sacristiam, ibique se ornabit Amictu, Superpelliceo, Stola, & Pluviali, qui finito Psalmo simul cum duobus Fratribus Laicis indutis Superpelliceis, & portantibus accensa intortitia, procedet ante Altare, & cantabit primam Homiliam ex Breviario posito supra pulpito, velo tecto, & tempestive a Thuriferario ante infimum gradum ante medium Altaris posito. Interim alius Pater se similiter ornat in Sacristia, & dum cantatur in Choro Responsorium, procedit e Sacristia ad Altare, similiter cum duobus Fratribus Laicis, portantibus accensa intortitia. Priores autem non recedunt ab Altari; sed prior Sacerdos remanet stans ad sinistram illius, qui de novo advenit: Fratres vero Laici stant a lateribus illorum. Ad finem octavæ Lectionis, Celebrans induitur Pluviali, & dum cantatur ultimum Responsorium, exit e Choro cum suis Assistentibus per portam ex parte Evangelii, & accedit ad pulpitum, habens a dextris & sinistris supradictos Patres ornatos Pluvialibus, & ad horum dextram, & sinistram stant Diaconus, & Subdiaconus, ad quorum latera se sistunt Acolythi, tenentes pariter accensa intorticia, vel sua candelabra cum candelis accensis; post hos omnes in secunda linea se collocant Fratres Laici cum suis intortitiis, habentes in medio Thuriferarium: Cantores quoque, finito Responso, exeunt e Choro, & stant omnium postremi. Sic in assistentia omnium Celebrans cantat ultimam Homiliam, dante ipsi Benedictionem: *Verba Sancti Evangelii doceat nos Christus Filius Dei*, Seniori ex Assistentibus. Finita Homilia, & responso

*Deo gratias*: Cantores incipiunt: *Te Deum*, & prosequuntur alii omnes persistentes in eodem loco, quo finito Celebrans decantat Orationem: Cantores *Benedicamus*, & responso: *Deo gratias*, Assistentes in Pluvialibus, cum Fratribus Laicis portantibus intortitia recedunt in Sacristiam. Celebrans vero cum suis Ministris se retrahit ad cornu Epistolæ, ubi deposito Pluviali, accipit Manipulum, & Planetam. Diaconus, & Subdiaconus pariter accipiunt suos Manipulos, postea regrediuntur ante medium Altaris, & consveto modo Missa Solemnis decantatur. Vel si ita placuerit, poterit & ipse Celebrans cum aliis reverti ad Sacristiam, & ibi deponere Pluviale, & accipere Manipulum, & Planetam, & iterum cum suis Ministris reverti ad Altare.

10. In Missa, quando Celebrans cum Ministris recitat Symbolum, ad illa verba: *Et Incarnatus est &c.* more solito flectunt unico genu, dum vero cantatur a Choro, & non sedeant, flectunt in supremo gradu Altaris ante medium utroque genu; si vero sedeant tempore Symboli, tunc ad prædicta verba accedunt ante Altare, & flectunt utroque genu super infimo gradu Altaris, prout explicatum est in Manuductione celebrandi Missam.

11. Celebrans in prima Missa totum diligentius summet Sangvinem, post unum, alterumve haustum parum inclinando Calicem super Patenam, & fere usque ad labium Calicis deducendo remanentes guttas, & eas deinde sumendo. Curabit quoque, ut nihil remaneat hærens extremitati labii Calicis, ubi sumpsit; unde labio superiori oris, totum exacte absorbere studeat. Deinde Patena Calicem, & Palla Patenam tegens, ac super Corporale relinquens, dicat: *Quod ore sumsimus &c.* Postea ministrante Subdiacono (prout dictum est in Manuductione celebrandi Missam) ampullas, & infundente vinum, postea aquam, abluit in aliquo vase mundo, a Sacrista preparato, digitos, quibus SS. Sacramentum terigit, & interim dicit: *Corpus tuum Domine &c.* absterlis-  
quo

que Purificatorio digitis, prædictum vas Palla coopertum poni debet in posteriori parte Altaris prope Corporale, juxta quod vas collocari etiam poterit Purificatorium. Subdiaconus post lotionem manuum Celebrantis non extergat Purificatorio Calicem; sed illum ad Credentiam sine Purificatorio, indeque alius Sacris initiatus eundem Calicem ad Sacristiam deferat, ubi supposito Corporali in loco aliquo decenti, & clauso servabitur usque ad secundam Missam, ante quam ad Altare deferatur, & statim super Corporale deponatur. Vel etiam (si sit securitas) super Altari, & Corporali relinqui poterit usque ad secundam Missam.

12. Secunda Missa dicitur in aurora, nec dici debet, nisi sub lucis ortum. In hac Missa, si utatur Celebrans eodem Calice, qui adhibitus fuit in prima Missa, ad Offertorium, deposito velo de Calice, Calix parumper versus cornu Epistolæ collocetur, sed non extra Corporale; quia moraliter certum esse videtur, non posse sic absumi Sacrum Sangvinem, quin aliquæ remaneant species, seu guttulæ, quæ post aliquam moram ad fundum conveniunt: ideo ut omnis cautela adhibeatur, & reverentia prædicto Calici præstetur, semper eidem Corporale, vel Palla supponi debet. Deinde accepta Patena cum Hostia Sacerdos illam offerat: facta vero oblatione Hostiæ, omnino caveat, ne Purificatorio extergat Calicem, sed eum intra Corporale relinquens, leviter elevet, ac proinde vinum, & aquam eidem caute imponat, ne guttæ aliquæ ad labia ipsius Calicis resileant; quem Calicem deinde, nullatenus ab intus abstersum, more solito offerat: quod si tamen aliqua gutta appareret in Calice disunita labio adhærere, illam non abstergat Purificatorio, sed leviter agitando Calicem illam uniat cum reliquo vino. Ad consecrationem porro hanc habebit intentionem, quod scilicet velit consecrare totum, & solum illud, quod consecrabile reperitur in Calice: quod etiam in aliis Missis seryari debet. Pro sumptione autem Sangvinis, & ablutio-

ne digitorum, observentur ea, quæ præcedenti numero dicta sunt in prima Missa: hoc insuper addito, quod præstet per eandem partem Calicis sumere in secunda, & tertia Missa, per quam sumptio facta est in prima Missa. In hac Missa non debet distribui S. Communio Fratibus Clericis, & Laicis; nam ut cum majori præparatione possint accedere ad sumptionem SS. Sacramenti, per Statuta Provincialia assignatum est tempus immediate post Supplicationes.

13. Tertia Missa omnium Solemnissime, in ipsa die Nativitatis Domini post tertiam in Choro persolutam, & post Concionem peractam, celebrari debet, in qua prædicta omnia abserventur usque ad sumptionem Sacramenti inclusive, qua peracta sumat Sacerdos purificationem ordinariam; deinde ablutionem digitorum ex illo alio vase immittat in Calicem suum, & postea faciat solitam in Calice digitorum ablutionem, eamque sumat, & postquam extenderit Calicem suum, etiam vas, in quo fuit ablutio digitorum Purificatorio extergat. Omnes prædictæ tres Missæ dicuntur cum *Gloria*, & *Credo*, nec non cum Præfatione, & Communicantes propriis de Nativitate per totam Octavam. In prima Missa hujus diei in Canone infra actionem dicitur: *Communicantes, & Noctem Sacratissimam celebrantes &c.*, etiamsi de die celebraretur: deinceps vero etiam per Octavam, esto forsan de nocte celebraretur, semper dicitur: *Et diem Sacratissimum celebrantes &c.*

14. Quantum ad Missas privatas, si successive dicantur, nempe tres una statim post aliam, finita prima, pariter & secunda Missa, Minister se confert pro more ad sinistram plani partem, ac ibi genuflectit juxta solitum, ut respondeat Celebranti. Ipse vero Celebrans quo ad ablutionem digitorum, & impositionem vini, & aquæ in Calicem ante Offeritorium, non extergendo Calicem, exacte omnia observet, quæ dicta sunt supra in Missa Solemni, & in aurora: & ablutis post Communionem in prima, & secunda Missa digitis

gitis in alio vase, eisque Purificatorio absterfis, ponit Hostiam super Patenam pro subsequendo alio Sacrificio, non extergendo Calicem, quem tamen adaptat ut initio Missæ. Ne autem in secunda, & tertia Missa ad Offertorium Calicis ante impositionem vini, ex inadvertentia, aut oblivione immittat manum cum Purificatorio in Calicem, optime faciet, si Purificatorium non ponat super Calicem, sed illud reponat penes vas, in quo abluit digitos; & immediate super Calicem ponat Patenam cum Hostia, & super hanc Pallam, & deinde velo contegat, ut in principio Missæ. Finito ultimo Evangelio S. Joannis post primam, & secundam Missam, statim se recipit ad medium Altaris, & facta reverentia Cruci, accedit ad aperiendum librum, si antea non reliquerit apertum, eoque aperto redit ad medium Altaris, & breviter renovat intentionem, & applicationem Missæ (debet enim, antequam accessit ad Altare, facere debitam intentionem, & applicationem omnium trium Missarum, ne ad Altare sit morosus adstantibus) & facta iterum reverentia Cruci, descendit in planum, & secundam, aut tertiam Missam incipit. Hoc adhuc observandum, quod in secunda, & tertia Missa, quando transit ante medium, non debet genuflectere, & ad *Dominus vobiscum*, vertit renes ad Altare: ad *Orate Fratres* vero, & dando Benedictionem conficit circulum sicut in aliis Missis, prout declaravit S. Rituum Congregatio. Tandem in fine tertiæ Missæ semper dicitur Evangelium Epiphaniæ: *Cum natus esset JESUS.*

15. Potest vero Sacerdos, dum hac die celebrat private tres Missas, eas celebrare simul successive, id est unam immediate post aliam, vel etiam pro libitu interpolate, spatium aliquod temporis interponendo inter unam, & alteram, & tertiam, dummodo tamen non celebret primam ante auroram, nec tertiam post meridiem; & quod post primam, & secundam Missam Calicem semper relinquat super Corporali sive in Altari, sive secum deferendo ad Sacristiam.

16. Quod si Sacerdos hac die ex rationabili causa unam tantum Missam celebret, multi auctores docent, eum debere celebrare tertiam, utpote quæ maxima est de die, habet Orationem diei propriam, ac cum ipso Divino Officio convenientem. Alii vero, ut refert Merati *part. 4. tit. 3. num. 15.* censent dicendam esse illam Missam ex tribus hujus Festi propriis, quæ tempori, quo celebratur, est accommodata; adeoque si Sacerdos præfatus celebret in nocte, debet accipere primam Missam; si in aurora secundam: si vero in die, semper tertiam.

17. Ultimo tandem advertendum, licitum non esse Sacerdoti, celebranti duas tantum Missas, loco tertiæ Sacram Communionem sumere; quia datur tantum potestas, seu Privilegium triplicandi in hoc Festo Sacrificium, non vero solam Communionem.

18. Quo ad Officium Divinum observandum, quod quando in Choro in Responsoriis, & Versibus dicitur: *Verbum Caro factum est*, non genuflectitur, quia sæpius repetitur, sed solum profunda inclinatio facienda est: quod idem servatur in Epiphania ad illa verba: *proidentes adoraverunt eum.* Quando vero hac die, & per Octavam in Refectorio ad Benedictionem mensæ dicitur præfatus versus: *Verbum Caro factum est*, secundum antiquam, & laudabilem consuetudinem, in reverentiam tanti Mysterii Incarnationis Filii Dei Redemptoris nostri, omnes genuflectunt unico genu.

19. Notandum etiam est, quod Benedictio mensæ: Terminatio Hymnor: *Jesu tibi sit gloria, qui natus es &c.* Et ad Primam in R. hr. *Qui natus es &c.*, non solum dicantur per totam Octavam Nativ. Dom. sed etiam (ut Rubrica præscribit) post finitam Octavam dici debent usque ad primas Vesperas Epiphaniæ exclusive.

## CAPUT VI.

D E

BENEDICTIONE CANDELARUM, ET PRO-  
CESSIONE IN FESTO PURIFICATIONIS BEA-  
TISSIMÆ VIRGINIS MARIÆ.

I. Circa finem Concionis Celebrans, Diaconus, & Subdiaconus in Sacristia sumunt Paramenta violacea, sed sine Manipulis, & præcedente Thuriferario, Cantoribus, & Ceroferariis cum candelis accensis progreditur ex Sacristia Celebrans medius inter Ministros Sacros, elevantes fimbrias anteriores Pluvialis manu proximiori, altera infra pectus admota, & hi tres capite cooperto procedunt, si non sit expositum SS. Sacramentum. Cum ad Altare pervenerint, caput discooperunt, & debitam reverentiam Altari faciunt, ut in Missa Solemni (quod si fuerit dies Dominica, fiat aspersio aquæ benedictæ more solito ante benedictionem candelarum) postea Celebrans cum Ministris Sacris ascendit ad Altare, & illud osculatur in medio, Ministri vero Sacri penusflectunt unico genu. Mox Celebrans, & Ministri Sacri accedunt ad librum positum in cornu Epistolæ, ubi Celebrans aliquantulum conversus ad candelas (quæ candelæ debent esse super parvam mensam positam prope gradum infimum lateralem Epistolæ) medius inter Diaconum a dextris, & Subdiaconum a sinistris incipit cantare in tono feriali: *Dominus vobiscum*, non se vertens ad populum, neque extendit manus, sed semper eas junctas ante pectus tenet, quod semper facit ad Orationes extra Missam. Dum dicit: *Oremus*, vel profert Nomen *Jesu*, vertit se ad Crucem (semper tamen junctis manibus) & caput inclinat. Et dum Celebrans format signum Crucis super candelas manu dextra, sinistram manum ponit super Altare, & Diaconus a

dextris elevat fimbriam Pluvialis anteriorem, ut Celebrans libere movere possit suam dextram.

2. In Choro, dum fit hæc candelarum benedictio, stant omnes conversi ad Altare nudo capite, inclinantes se ad Nomen *Jesu*, & respondentes Celebranti.

3. Completa benedictione, Celebrans in eodem cornu Epistolæ imponit, & benedicit de more thus in thuribulo, eo modo quo in Missa, Diacono ministrante naviculam, & Thuriferario thuribulum; Subdiaconus vero dextra manu attollente fimbriam dextram Pluvialis. Deinde Celebrans accipiens a Diacono, huic ab aliquo Acolyto, vel alio traditum aspersorium, cum debitis osculis a Diacono præstandis, ter candelas aspergit, in medio scilicet, a dextris, & a sinistris earum, dicens sine cantu remissiori voce Antiphonam: *Asperges me Domine &c.*, non addendo Psalmum. Deinde reddito aspersorio Diacono, ab eodem accipit thuribulum cum osculis (porrectum ipsi Diacono a Thuriferario sine osculis) & ter incensat candelas eo modo, quo eas aspergit, nihil dicens, Diacono attollente Pluviale in asperzione, & in thurificatione.

4. Postea Celebrans accedit ad medium Altaris, Diacono, & Subdiacono hinc inde eum comitantibus, tum facta Cruci reverentia, statim convertit se ad populum, & sic stat nudo capite; Diaconus, qui stat a sinistris Celebrantis, ei tradit candelas, prius a se osculatas, distribuendas, quas Diaconus accipit ab aliquo Acolyto sine osculis: Subdiaconus vero stat a dextris Celebrantis, & ejus Pluviale a dextris sustinet.

5. Interim Dignior de Clero accedit ad Altare, & ante infimum gradum facit genuflexionem unico genu, postea ascendit ad gradum proximiorum Suppedaneo Altaris, ibique sumpta a Diacono, stante a sinistris Celebrantis, Candela benedicta, non accensa, sine osculo manus, eandem candelam tradit Celebranti, stanti in Suppedaneo Altaris, cum

cum osculo candelæ tantum ab utroque, & non manus, facta sibi ab utroque debita reverentia ante, & post. Mox Celebrans eam tradit tenendam alicui Acolyto, donec facta fuerit tota distributio.

6. Deinde Diaconus accipit aliam Candelam a Thuriferario, vel ab aliquo alio (qui neque candelam, neque Diaconi manum osculatur) quam idem Diaconus cum osculo candelæ tantum, porrigit Celebranti, qui eam dat eidem Digniori de Clero, a quo ipse suam accepit, genuflexo super Altaris Suppedaneum, qui Dignior candelam osculatur, non manum Celebrantis, postea surgit, & descendit in planum (advertens ne directe terga vertat Celebranti) ubi iterum ad Altare convertitur, & eidem, ac Celebranti debitam facit reverentiam, & pergit ad suum locum.

7. Postquam Dignior de Clero descendit in planum, Ministri Sacri descendunt ad supremum gradum, & genuflectunt super Suppedaneum, Diaconus a dextris, & Subdiaconus a sinistris, & candelas accipiunt a Celebrante, illi ab aliquo porrectas; Ministri vero prædicti Candelam accipiendo, eam osculentur, & deinde Celebrantis manum: postea simul surgunt, & facta debita reverentia Altari, & Celebranti, ad locum suum redeunt, nempe Diaconus a sinistris, & Subdiaconus a dextris Celebrantis, Subdiaconus elevat simbriam Pluvialis, Diaconus vero ministrat Celebranti candelas aliis distribuendas, eas tantum osculando, non vero manum Celebrantis, deposita prius sua candela super Altare. Alius vero ministrat Candelas Diacono sine osculis. Celebrans autem, distribuendo Candelas, teneat eas quasi per medium, & aliquantulum elevet, ut qui accipit, prius osculetur candelam, deinde manum ejus.

8. Post Sacros Ministros alii de Clero bini accedunt ad Altare, incipiendo a dignioribus, qui facta Altari genuflexione, & Celebranti inclinatione, bini ascendunt usque ad secundum gradum, & genuflexi super suppedaneum, accipiunt

cupiunt reverenter, prius ille qui est a dextris, tum ille qui est a sinistris, Candelas cum osculis earum, & manus Celebrantis: tum simul surgentes descendunt in planum, ubi debitam faciunt Altari, & Celebranti reverentiam, & recedunt in Chorum. Hæc eadem observare debent omnes alii, qui succedunt, ut simul bini, & æquali distantia, modeste, & graviter procedant; debitas facientes reverentias simul, ita ut etiam in eundo, & redeundo non impediunt succedentes.

9. Post Clericos in Sacris constitutos, accedunt Ceroferarii, & Thuriferarius simul, & post hos reliqui Clerici in Minoribus constituti, & tandem Fratres Laici Religiosi. Et illi, qui sequuntur, semper per advertant priores, ut non prius genuflectant Altari, quin præcedentes, acceptis candelis, surrexerint, & in plano debitas reverentias Altari, & Celebranti fecerint, nec se se invicem impediunt, premant, & urgeant; ita ut omnes procedant uniformiter. Ubi Chorus est post Altare, regulariter exeunt omnes per latus Evangelii, & redeunt ad Chorum per latus Epistolæ. Ubi vero Chorus est ante Altare, procedunt bini per latus Epistolæ, & redeunt per latus Evangelii.

10. Facta distributione Clerici, possunt a Celebrante & aliis distribui, vel si magna sit populi frequentia, poterit deputari alius Sacerdos, qui in diversis locis Ecclesiæ candelas distribuatur eis, quibus distribuendæ videbuntur.

11. Statim dum inchoatur distributio Candelarum, Cantores incipiant Antiphonam: *Lumen ad revelationem gentium* &c. quam Chorus prosequitur, eamque post singulos versus Cantici: *Nunc dimittis*, integre repetit, & repetuntur usque ad finem distributionis: quare si ita protraheretur distributio, ut esset repetendum prædictum Canticum, tunc dicto illius ultimo versu, & omisso *Gloria Patri*, repetatur a principio: *Nunc dimittis* &c. Nam versus *Gloria Patri*, tantum semel dici debet ad finem distributionis; & interim Can-

Candelæ ab omnibus accenduntur. Dum autem Cantores procedunt ad recipiendas Candelas, semper remaneant aliqui, qui in Choro cantent, iisque procedentibus, alii substituantur: quapropter si pauci sint Cantores, illi non procedant simul, sed unus post regressum alterius, ut semper remaneant, qui cantent, & cantus nunquam cesset in tota distributione. Idem Ritus etiam servandus est in distributione Cinerum, & Palmarum.

12. Completa distributione, & non prius, Cantores cantant graviter: *Exurge Domine &c.* ut in Missali, & Chorus prosequitur: Celebrans vero interim accedit ad cornu Epistolæ, ibique lavat manus, quas etiam cum medulla panis fricat, si opus sit, Acolytho uno dextra fundente aquam, manu sinistra tenente pelviculam (quam pelviculam, medullam panis, & vas cum aqua, Sacrista tempestive debuit afferre) alius Acolythus Celebranti ministrat manutergium; Sacri vero Ministri partes anteriores Pluvialis hinc inde elevant: aqua vero, & medulla panis in Sacrarium postea infundantur.

13. Celebrans, lotis manibus, stans in cornu Epistolæ inter Diaconum ad ejus dextram, & Subdiaconum ad sinistram, legit submissa voce Antiphonam *Exurge Domine &c.* cum Psalmo, & repetita Antiphona a Choro, Celebrans junctis manibus immediate cantat: *Oremus.* Et si hoc Festum celebretur post Septuagesimam, & non fuerit dies Dominica, tunc dicto a Celebrante *Oremus*, antequam incipiat Orationem: *Exaudi quæsumus Domine*, Diaconus immediate genuflexus utroque genu cantet: *Flectamus genua*, omnibus simul genuflectentibus utroque genu, excepto solo Celebrante, qui permanet stans. Subdiaconus vero primus omnium surgens cantat: *Levate*: deinde Celebrans cantat Orationem *Exaudi &c.*

14. Finita Oratione suprascripta, Celebrans accedit ad medium Altaris, ibique imponit, & benedicit incensum

Ee

more

more solito, ministrante Diacono naviculam, & Thuriferario thuribulum: quo facto Diaconus accipiat ab aliquo Acolytho candelam Celebrantis, quam eidem tradit cum osculis ipsius Candelæ, & manu illius: tum suam Candelam accipiat, sibi ab aliquo porrectam. Mox Diaconus facta genuflexione Altari, descendit ad secundum gradum, & stans a tergo Celebrantis, conversus ad populum alta, & sonora voce tantat: *Procedamus in pace*, & Chorus respondet: *In Nomine Christi Amen*. Tunc & non prius Celebrans vertit se ad Populum, descendit in planum, & facit debitam reverentiam Altari.

15. Interim dum Celebrans, & Diaconus capiunt suas Candelas. Subdiaconus descendit, & genuflectit super infimum gradum Altaris, & statim accipit Crucem processionalem ab aliquo sibi porrectam; accipientibus similiter sua candelabra Ceroferariis, ac medius inter eos, ut moris est, accedit ad medium plani Presbyterii, & statim ordinatur Processio hoc modo. Præcedit omnium primus Thuriferarius fumigante thuribulo, & dum fumus deficit, ipsemet imponit thus. Sequitur post eum Subdiaconus medius inter duos Ceroferarios cum Cruce: postea sequuntur Clerici, seu Religiosi, primo juniores, deinde alii Seniores ordinatim; procedunt autem bini, & bini; Candelas vero sic deferunt, ut qui incedunt a dextris, eas manu dextra deferant; & illi qui sunt a sinistris, candelam teneant manu sinistra. Ultimus omnium incedit Celebrans, habens Diaconum a sinistris, qui tamen tunc non elevat simbriam Pluvialis, & ambo suam Candelam portant in manu.

16. Dum Processio incipit progredi, Cantores incipiunt cantare Antiphonas, quæ habentur in Rituali, & Missali, & Chorus eas prosequitur; & si Processio longior sit, repetantur eadem Antiphonæ. Postea quando Cantores in reversione Processionis ingrediuntur in Ecclesiam (vel si Processio non exiit extra Ecclesiam, in ingressu in Presbyterium)

rium) cantant Responsorium: *Obtulerunt pro eo &c.* ut in Missali, quod Chorus prosequitur. Deinde soli Cantores cantant totum versum sequentem: *Postquam impleti sunt &c.*, & Chorus cantat repetitionem Responsorii: *Sicut scriptum est &c.*: deinde Cantores soli cantant *Gloria Patri &c.* & Chorus supradictam repetitionem iterum cantat; qua finita omnes suas Candelas extinguunt, & vadunt in Chorum.

17. Finitis omnibus supradictis, Celebrans, & Ministri accedunt ad Sacristiam, ubi deponunt Paramenta violacea, & accipiunt alba pro Missa. Quod si Missa cantanda sit de Dominica Septuagesimæ, Sexagemæ, aut Quinquagesimæ, tunc Celebrans etiam ante Altare in parte Epistolæ potest deponere Pluviale violaceum, & accipere Manipulum, & Planetam violaceam, & Ministri Sacri pariter accipiant suos Manipulos coloris violacei.

18. In hac autem Missa de Purificatione B. M. V. hoc speciale est, prout præscribit Rubrica Missalis hac die ante Missam, ut dum cantatur Evangelium, Candelæ teneantur accensæ, quo finito extinguuntur; sed iterum accenduntur paulo ante Elevationem SS. Sacramenti, & sic accensæ tenentur usque ad completam Communionem Celebrantis, & Fidelium: non tamen tenentur a Ministris Altaris, sed ab omnibus aliis. Itaque paulo ante Evangelium, & deinde ante Elevationem SS. Sacramenti, aliquis ex Clericis sumpto lumine de lampade, vel de candelabris Ceroferariorum, accedit ad Chorum cum debita reverentia, & primam Candelam cujusque Ordinis accendit, alii vero sibi mutuo Candelas accendunt.

19. Celebrans autem data benedictione Diacono ante Evangelium, accedit ad cornu Epistolæ, & ibidem stans accipit a Sacrista, aut alio Candelam suam accensam cum osculis ab ipso Sacrista, eamque tenet ad Evangelium dum a Diacono cantatur, quo finito, eandem reddit Sacristæ, aut alteri, antequam librum osculetur.

20. Si vero Missa cantetur de Dominica Septuagesimæ, Sexagesimæ, aut Quinquagesimæ, fiet ante eam tantum benedictio, & distributio Candelarum, & Processio ut supra; sed in Missa non tenentur Candelæ accensæ: rationem affert Gavantus *part. 4. tit. 4. num. 10.* Quia Candelæ tenentur accensæ in honorem B. Virginis, & consequenter in ejusdem Missa tantum.

## CAPUT V.

DE

### FERIA IV. CINERUM.

I. **D**um dicitur Nona in Choro, Celebrans cum Ministris in Sacristia sumunt sua respective Paramenta violacea, sed sine Manipulis. Finita Nona in Choro, omnes procedunt ad Altare eo ordine, ut supra dictum est ad Benedictionem Candelarum. Cum ante Altare pervenerint, omnes nudo capite faciunt eidem debitam reverentiam, & postea ascendunt ad Altare, quod Celebrans osculatur in medio, Ministris Sacris iterum unico genuflectentibus, Altare vero nunquam osculantur. Mox Celebrans, & Ministri Sacri accedunt ad librum positum in cornu Epistolæ: inter dictum vero librum, seu Missale, & cornu Epistolæ sit collocatum vas, ex decenti aliqua materia confectum, cum Cineribus de combustis Ramis Palmarum, seu aliarum arborum, præcedenti anno in Dominica Palmarum benedictis, qui Cineres debent esse mundi, & aridi, & non humidi.

2. Celebrans stans inter utrumque Ministrum (ita tamen ut prædicti Ministri Sacri aliquantisper ab Altari distent) legit submissa voce, & manibus junctis Antiphonam: *Exaudi Domine*, quæ Antiphona in Choro cantatur ad modum Introitus Missæ. Reperita, & decantata in Choro Antiphona, Celebrans stans in cornu Epistolæ, manibus junctis,

non

non vertens se ad populum, dicit cum cantu: *Dominus vobiscum*, & Choro ad omnia respondente, subdit statim manibus item junctis: *Oremus*, & cantat in tono feriali quatuor Orationes sequentes, prout in Missali describuntur. In Choro autem hoc tempore omnes stant facie ad Altare versa. Dum dextra format signum Crucis Celebrans super Cineres, sinistram ponit super Altare, & Diaconus a dextris Celebrantis elevat anteriorem fimbriam Pluvialis, ne eum impediatur.

3. Dum Celebrans cantat prædictas Orationes, Thuriferarius, parat thuribulum cum igne tempestive, & finitis Orationibus Sacerdos ibidem ponit incensum in thuribulum, more solito illud benedicens per illa verba: *Ab illo benedicaris* &c., ministrante Thuriferario thuribulum, & Diacono naviculam, ut mos est: quo factò Thuriferarius aliquantulum recedit; & Acolythus porrigit sine osculis Diacono aspersorium cum aqua benedicta, quod postea Diaconus cum osculis aspersorii, & manus porrigit Celebranti, qui eo accepto, dicens submissa voce: *Asperges me* &c. sine cantu, & sine Psalmo, ter aspergit Cineres, in medio, a dextris Cinerum, id est in parte opposita suæ sinistræ, & a sinistris Cinerum. Deinde reddito aspersorio, & accepto thuribulo eodem modo incensat Cineres ut supra, nihil tamen dicens.

4. Postea Celebrans reddito thuribulo Diacono, & hic Thuriferario, se recipit ad medium Altaris, ibique nudo capite stat conversus ad Populum. Sacri Ministri mutant sua loca, & Diaconus accedit ad dextram Celebrantis tenens sua manu dextra vas Cinerum, & sinistra elevat fimbriam Pluvialis, Subdiaconus vero stat ad sinistram Celebrantis, & sua dextra elevat fimbriam Pluvialis. Interim Dignior de Clero accedit ad Altare (eo modo ut dictum est Capite præcedenti in distributione Candelarum) & acceptis Cineribus pollice, & indice manus dextræ ex vase, quod tenet Diaconus, imponit Cineres super Caput Celebrantis, stantis qui-

dem, sed capite inclinato, & manibus junctis: & tam Dignior, quam postea Celebrans, in qualibet impositione Cinerum format super caput cum Cineribus signum Crucis dicendo: *Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris.*

5. Deinde idem Dignior, facta debita reverentia Celebranti, genuflectit in Suppedaneo, & capite inclinatus, ac manibus junctis primus recipit Cineres a Celebrante. Immediate post præfatum Digniozem Sacerdotem accedunt Ministri Sacri genuflexi super Altaris Suppedaneum ambo simul. In hac vero distributione Cinerum nullus osculatur manum Celebrantis; quia id commode fieri non potest: aliter autem dicendum in distributione Candelarum, & Palmarum. Diaconus autem accepturus Cineres tradit vas Cinerum interim Acolythro, quod acceptis Cineribus denuo recipit, & iterum se locat ad Celebrantis dextram, & Subdiaconus ad sinistram, uti prius erant.

6. Post Sacros Ministros accedunt alii bini, & bini, eo modo, & ordine, prout supra capite præcedente dictum est in distributione Candelarum, & genuflexi super suppedaneo, manibus junctis, & capite inclinato cum maxima humilitate, & devotione Cineres a Celebrante accipiunt.

7. Statim dum incipitur distributio Cinerum, in Choro cantatur Antiphona: *Immutemur habitu &c.* & si sit magnus Populi concursus, repetitur usque ad finem distributionis. Videant autem Cantores, ne desint in Choro, qui continuo cantent; ideo post reditum priorum, ii cantent, & alii procedant.

8. Completa totaliter Cinerum distributione, Celebrans in cornu Epistolæ lavat manus, eo modo, ut dictum est post distributionem Candelarum. Deinde stans medius inter Ministros Sacros in cornu Epistolæ, junctis manibus cantat in tono feriali: *Dominus vobiscum, & Orationem: Concede nobis Domine &c.*, ut in Missali.

9. Terminata supra dicta Oratione, Celebrans cum Ministris descendit in planum in latere Epistolæ, ubi deposito Pluviali accipit Manipulum, & Planetam violaceam; sicut etiam Ministri Sacri suos Manipulos sumunt. Deinde accedunt ad medium ante infimum Altaris gradum, ibique facta debita reverentia Altari, Celebrans incipit Missam more solito. Hoc adhuc notandum, quod tam hac Feria quarta Cinerum, quam per totam Quadragesimam, quando cantatur Missa de Feria, vel de Dominica (excepta sola Dominica quarta, seu Lætare) cantari debet sine Organis.

## CAPUT VI.

DE

### TEMPORE PASSIONIS.

1. **S**abbato præcedente Dominicam Passionis, ante Vesperas, etiam si illæ sint de Sancto cum sola commemoratione Dominicæ Passionis, juxta Cæremoniale Episcoporum *lib. 2. cap. 20.* Decretum S. Rit. Congr. 4. Aug. 1663, & Rubricas Missalis, teguntur Cruces, & Icones, seu Imagines Altarium velis violacei Coloris: Cruces velatæ manere debent usque ad Feriam sextam in Parasceve, qua die postquam detecta fuerit Crux adoranda a Celebrante, etiam detegi debent aliæ Cruces, quæ sunt in Ecclesia. Imagines vero Altarium, & Icones Sanctorum tectæ manent usque ad finem Litaniarum Sabbati Sancti.

2. In Missa Dominicæ passionis, & in cæteris deinceps Missis de tempore, usque ad Sabbatum Sanctum exclusive, post *Introibo*, non dicitur Psalmus *Judica me Deus* &c. sed responso a Ministro: *Ad Deum qui lætificat* &c., statim dicitur versus: *Adjutorium nostrum* &c. Neque dicitur *Gloria Patri* ad Introitum, nec ad finem Psalmi *Lavabo*. Id ipsum *Gloria Patri* etiam hac, & sequenti Dominica omittitur ad  
Asper-

*Asperges* &c., post Psalm. *Miserere*. In Missis tamen hac prima Hebdomada de Sanctis, & in votivis, etiam de Passione, aut de Cruce dicitur tam Psalmus *Judica*, quam *Gloria Patri* ad Introitum, & in fine Psalmi *Lavabo*. Alia quæ ad Missam spectant, videantur in Manuductione celebrandi Missam.

3. Toto tempore Passionis, quando Officium non fit de Sancto, sed de Tempore, omittitur *Gloria Patri* post Psalmum: *Venite exultemus*: item in quolibet tertio Responsorio Nocturnorum, & etiam in Responsoris brevibus Horarum. Pro Responsorio brevi Completorii: *In manus tuas* &c. notanda est Rubrica sequens particularis nostri Breviarii. *Titulo 2. de Officio Semiduplici. num. 42.* „Quando Festum „Semiduplex occurrit in Sabbato ante Dominicam Passionis, „seu Palmarum, in primis Vesperis ejusdem Dominicæ Pas- „sionis, seu Palmarum, in Responsorio brevi Completorii „omittitur & *Gloria Patri* &c. quia Completorium magis ha- „bet de ratione Dominicæ inchoatæ in Vesperis, quam de „ratione Festi jam finiti. In secundis vero Vesperis (nempe „Dominicæ Passionis, si sequatur Festum Semiduplex) non „omittitur, quia inchoato Festo per commemorationem Se- „miduplicis, ea quæ sequuntur, festiva censentur., hæc Ru- „brica. Si autem Sabbato ante Dominicam Passionis, aut Palmarum celebretur de Festo duplici, tunc in Responsorio brevi Completorii non debet omitti & *Gloria Patri*, ob rationem oppositam, datam a Rubrica pro primis Vesperis Dominicæ.

4. Pariter a Vesperis Sabbati ante Dominicam Passio- nis, usque ad Festum SS. Trinitatis in Officio tam de Tempore, quam de Festis, omittuntur Suffragia Communia Sanctorum post Laudes, & Vesperas. Dicuntur tamen Preces Primæ, & Completorii, quando Officium non est duplex, aut infra Octavam.

## CAPUT VII.

DE

## DOMINICA PALMARUM.

1. **O**fficium hujus Dominicæ, hoc est Benedictio Palmarum & earum distributio; deinde Processio, similia fere sunt Officio Purificationis B. V. M. in benedictione, distributione, & Processione Candelarum paucis exceptis, diligenter legenda sunt, quæ de iis satis fuse dicta sunt supra capite IV.

2. Hora competenti Celebrans, & Ministri sumunt in Sacristia sua Paramenta violacea: Diaconus, & Subdiaconus hac die etiam sumunt Manipulos, quia sunt cantaturi solemniter Epistolam, & Evangelium. Procedunt ad Altare eo ordine, ut dictum est in Festo Purificationis B. V. M. Et primo fit aspergio aquæ benedictæ, qua completa Celebrans cum Ministris Sacris ascendit ad Altare, & illud osculatur in medio, Ministris unico genuflectentibus, & statim vadit ad cornu Epistolæ, ubi stans medius inter Diaconum a dextris, & Subdiaconum a sinistris aliquantulum conversus ad Ramos (qui debent esse positi super parvam mensam in cornu laterali Epistolæ) legit, non se signans, Antiph. *Hosanna Filio David &c.*, ut in Missali, quæ Antiphona in Choro cantatur.

3. Decantata a Choro prædicta Antiphona, Celebrans stans manibus junctis in eodem loco, cantat: *Dominus vobiscum*, & Orationem in tono feriali. Interim Subdiaconus (deposita Planeta plicata, si ea utatur) accipit Missale, & vadit ad medium ante Altare, ubi super infimum gradum flectit unico genu, & mox accedit ad locum solitum pro cantanda Epistola, eamque cantat tono consveto, quam interim Celebrans legit submissa voce, assistente sibi Diacono, ut in Missa solemnī ad Introitum, qui in fine Lectionis re-

respondet: *Deo gratias.* Subdiaconus autem cantata Epistola, accedit ad medium Altaris, ubi genuflectit unico genu super infimum gradum, & mox surgens, vadit ad cornu Epistolæ, ubi super altiorem gradum more solito genuflectit, manum Celebrantis osculatur, & ab eo benedicitur, & reddito Missali Thuriferario, qui statim illud tradit Diacono; Subdiaconus (si utatur Planeta plicata, eam reassumit) redit ad Celebrantem, & ei assistit: non tamen defert Missale Celebrantis ad cornu Evangelii, quia Celebrans legit illud in cornu Epistolæ, præmissis Graduali, seu Responsorio. *Munda cor meum, & jube Domine benedicere* &c., stat tamen in cornu Epistolæ profunde inclinatus de more versus Crucem, dum dicit: *Munda cor meum, & Jube Domine* &c.

4. Post cantatam Epistolam a Subdiacono, Chorus cantat Responsorium: *Collegerunt* &c. loco Gradualis; vel aliud: *In monte Oliveti* &c. Diaconus vero statim (si utatur Planeta plicata, eam deponit, & sumit Stulam latiore) accepto Missali a Thuriferario, ut de more factis debitis reverentiis Altari, illud ante pectus defert, & ponit super medium Altaris, ac mox se confert ad dextram Celebrantis, ubi ministrat naviculam, & Thuriferarius thuribulum, & Celebrans de more imponit, & benedicit thus; quo facto Diaconus vadit, & genuflectit in medio Altaris super Suppedaneum, ut mos est, & profunde inclinatus, manibus junctis, dicit: *Munda cor meum* &c., quo dicto surgit, & ambabus manibus accipit reverenter librum Evangeliorum de Altari, & iterum in medio super Suppedaneum genuflectit, petit benedictionem a Celebrante, stante in cornu Epistolæ versus eum, quam etiam dat de more, cum solito osculo manus; & si cornu Epistolæ nimis distat a medio Altaris, Celebrans accedit parumper ad Diaconum, ut manum ejus positam supra librum possit osculari. Deinde stante semper Celebrante in cornu Epistolæ, omnia peraguntur a Diacono, Subdiacono, Thuriferario, & Ceroferariis, sicut

sicut in Missa Solemni, dum cantatur Evangelium: quo terminato Subdiaconus defert librum osculandum Celebranti, qui etiam incensatur a Diacono. Si Diaconus utatur Planeta plicata, incensato Celebrante, deponit Stolum latiore, & Planetam plicatam reassumit, deinde ad Altare accedit.

5. Si autem Celebrans perageret hanc benedictionem sine Ministris Sacris, ipsemet stans in cornu Epistolæ, post cantatam ab aliquo Clerico Epistolam, vel in defectu Clerici, per se ipsum cantatam, & post cantatum in Choro Graduale, seu Responsorium; adhibito incenso ipsemet etiam Celebrans cantare debet Evangelium benedictionis in cornu Epistolæ, non vero in cornu Evangelii, juxta Decretum S. Rit. Congr. editum 27. Aprilis 1697. Dicto prius in eodem cornu, conversus tamen, & profunde inclinatus versus Crucem: *Munda cor meum* &c. & *Jube Domine benedicere* &c.

6. His omnibus peractis, Celebrans stans in cornu Epistolæ manibus junctis, Ministris hinc inde stantibus, pariter manibus junctis, benedicit Ramos, & cantat in tono feriali: *Dominus vobiscum*; deinde præmissis *Oremus*, alia usque ad finem Præfationis; postea Ministri simul cum Celebrante inclinati dicunt submissa voce: *Sanctus* &c. (quod in Choro cantatur in tono feriali) & ad *Benedictus qui venit* &c. erecti se signant de more.

7. Cantato a Choro ultimo *Hosanna in excelsis*, Celebrans prosequitur cantare benedictionem. In Orationibus autem nihil est immutandum, neque detrahendum, licet benedicantur Rami aliarum arborum, & non Palmarum, aut olivarum, quia habentur loco Palmarum. Et expletis Orationibus, Celebrans imposito cum benedictione incenso in thuribulum, ter aspergit Ramos aqua benedicta, & ter adolet incenso. Postremo dicitur in cantu Oratio: *Deus, qui Filium* &c. Omnia autem peragit eo modo, & ordine, quo supra dictum est cap. 4. de benedictione Candelarum.

8. Completa benedictione Celebrans accedit ad medium Altaris, ibique stat in medio Diaconi a sinistris, qui ei Ramos distribuendos porrigere debet, & Subdiaconi a dextris elevantis fimbrias Pluvialis, omnes nudo capite: Thuriferarius vero deposito thuribulo, & navicula; aut Sacrista, stans ad latus Epistolæ, offert Diacono præfatos Ramos sine osculis, & hic porrigit Celebranti cum osculo tantum Ramorum, non vero manus. Primum tamen Ramum dat Digniori e Clero, qui eum tradit Celebranti, & primus accipit a Celebrante Ramum. Postea accedunt alii bini, & bini pro accipiendis Ramis a Celebrante, & omnia fiunt eo modo, & ordine, prout supra explicatum est in distributione Candelarum *cap. 4.*

9. Incipiente Ramorum distributione, statim, & non prius incipiunt cantare in Choro Antiphonas: *Pueri Hebræorum &c.* quas repetunt, quousque non sit finita tota Ramorum distributio, & nunquam cessare debent.

10. Completa distributione, Celebrans in cornu Epistolæ lavat manus, & iis absterfis cantat: *Dominus vobiscum,* & ultimam Orationem, qua finita vadit ad medium Altaris, & more solito imponit, & benedicit incensum: quo facto Diaconus, deposito suo Manipulo, porrigit Celebranti Ramum ejus cum osculo Rami, & manus illius, & suum Ramum pariter accipit quem tenebit ipse Diaconus sinistra, Celebrans vero suum dextra. Mox Diaconus facta genuflexione Altari, & stans in suo gradu post Celebrantem, convertit se ad populum per latus suum dextrum, & cantat: *Procedamus in pace,* cui respondet Chorus. *In Nomine Christi Amen:* & continuo Diaconus convertit se ad Altare, nulla facta genuflexione. Interim Subdiaconus Benedictionis, & Missæ, & non alius, deposito etiam suo Manipulo, genuflectit super infimum gradum Altaris, & statim accipit Crucem Processionalem, tectam velo violaceo, accipientibus pariter sua candelabra Cerroferariis, ac medius inter eos, ut moris est, accedit ad medium

dium plani Presbyterii, præcedente Thuriferario cum navicula, & thuribulo fumigante, & quando fumus deficit, ipsemet imponit thus in thuribulum.

11. Responso a Choro: *In Nomine Christi Amen.* Celebrans tunc, & non prius, facta debita reverentia Altari, descendit in planum, & statim ordinatur Processio. Præcedit omnium primus Thuriferarius cum thuribulo fumigante; postea sequitur Subdiaconus, medius inter duos Ceroferarios cum Cruce habente Crucifixi Imaginem, quæ Thuriferarium præcedentem respiciat: deinde sequuntur Religiosi bini, primo juniores, deinde alii ordinatim; Ramos vero sic deferunt, ut qui incedit a dextris, eum deferat dextra, & ille qui incedit a sinistris, Ramum deferat manu sinistra. Ultimo omnium, facta Altari debita reverentia, incedit Celebrans habens Diaconum a sinistris, qui tamen non elevat simbriam Pluvialis Celebrantis.

12. In hac Processione cantantur a Cantoribus Antiphonæ: *Cum appropinquasset Dominus &c.* & aliæ in Missali descriptæ, quas prosequitur Chorus, quæ quidem cantantur durante tota Processione, & si Processio fuerit brevis, aliquæ omittuntur, si vero sit longior, aliquæ repetuntur, ita ut cantus illarum duret, quamdiu Processio durat.

13. Hæc Processio Palmarum omnino exire debet extra Ecclesiam, & dum Processio est extra Ecclesiam, duo Cantores deputati tempestive intrant in Ecclesiam, cujus fores clauduntur, ibique expectant Processionem; & cum advenerit ad prædictas fores, Subdiaconus deferens Crucem, versus eas medius inter Ceroferarios, sistit se, Chorus vero stat in duas partes divisus, vel per gyrum circumstat (aut commodiori modo, quo fieri potest juxta situm loci) medium habens Celebrantem directe respicientem Crucem, cujus Crucifixi Imaginem Subdiaconus tunc convertit ad Celebrantem.

14. Deinde duo illi Cantores, qui sunt in Ecclesia, incipiunt *v. Gloria, Laus &c.*, & decantant duos primos versus, nempe usque ad *Hosanna pium* inclusive; Celebrans vero cum aliis extra Ecclesiam repetit eosdem etiam integre: deinde Cantores, qui sunt intra Ecclesiam, cantant alios duos versus; quibus terminatis iterum, qui sunt extra Ecclesiam repetunt duos primos versus: *Gloria, Laus &c.* & ita successive ut in Missali, vel Rituali, & hoc vel omnes versus, vel partem prout videbitur.

15. Cantatis prædictis versibus, sive illorum parte, ad nutum Superioris, Subdiaconus vertens Imaginem Crucifixi ad portam Ecclesiæ, hastili Crucis, seu ima parte Crucis, id est infima parte, non vero brachio Crucis, ut aliqui non bene faciunt, percutit semel tantum, ita ut fragor audiri possit ab his, qui sunt intra, imam partem portæ Ecclesiæ, quæ statim ab iis, qui intus sunt, aperitur, & Processione ordine suo ingreditur Ecclesiam; & mox Cantores incipiunt Responsorium: *Ingrediente Domino &c.* & Chorus profequitur: in cuius fine non dicitur *Gloria Patri*.

16. Dum Processio ad Altare pervenerit, Subdiaconus Crucem tradit alicui Fratri, qui eam ad suum locum defert. Ceroferarii deponunt candelabra suis in locis: Celebrans medius inter Diaconum, & Subdiaconum accedit ante infimum gradum Altaris, & facta ei debita reverentia, retrahit se ad cornu Epistolæ, ubi tradita alicui Palma, & deposito Pluviali, capit Manipulum, & Planetam violaceam, sicut etiam Sacri Ministri suos Manipulos, quos ante Processionem deposuerunt, recipiunt. Deinde Celebrans cum præfatis Ministris accedit iterum ad medium Altaris ante infimum ipsius gradum, & facta Altari debita reverentia incipit Missam more solito.

17. Passio cantatur a tribus Diaconis indutis Amictu, Alba, Manipulo, & Stola communi Diaconali ab humero sinistro pendente sub dextrum latus, coloris violacei, & Fe-  
ria

ria sexta in Parasceve coloris nigri, qui circa finem Tractus, qui post Epistolam cantatur in Choro, procedunt de Sacristia, quilibet sibi librum, seu Missale portando ante pectus; primo qui Evangelistam; deinde qui Turbam, ultimo qui Christum figurat; factis autem debitis reverentiis Altari, accedunt ad cantandum super nuda legilia, medium locum relinquentes illi, qui agit Personam Christi. Qui Evangelistam agit, incipit absolute, non præmissis *Dominus vobiscum*: nec librum signans, nec se ipsum: *Passio Domini Nostri* &c. & tunc omnes surgunt in Choro, Palmasque in manibus tenent usque ad finem Passionis.

18. Celebrans quoque Palmam tenet sinistra manu, & submissa voce legit Passionem stans in cornu Epistolæ, juxta sequens Decretum S. Rit. Congr. *Passio in Missis privatis legi debet a Celebrante in cornu Evangelii, licet in Missa Solemni legatur in cornu Epistolæ.* S. R. C. 4. Aug. 1663. Ministris Sacris stantibus apud eum ut in Introitu Missæ, etiam ipsis Palmas tenentibus manu sinistra, & Diaconus folia vertit manu dextra, quando opus est.

19. Celebrans in privata lectione Passionis, dum legit illa verba: *Emisit Spiritum*, juxta Gavantum, Bauldry, & alios, non genuflectit, sed pergit legere usque ad eam partem, quæ cantanda est a Diacono in tono Evangelii, nempe usque ad ea verba: *Contra Sepulchrum*; & his dictis statim Celebrans cum Ministris se vertit ad Cantores cum Palma in manu, & stat, ut solet ad Missam, dum cantatur Evangelium; Diaconus stat ad ejus sinistram, & Subdiaconus ad sinistram Diaconi; & tunc omnes tres Palmas tenent in manu dextra, sinistra pectori admota.

20. Dum cantantur illa verba: *Jesus autem exclamans voce magna, emisit Spiritum*: omnes genuflectere debent utroque genu, Cantores quidem versus librum, reliqui vero facie conversa versus Crucem Altaris. Et ideo antequam dicta verba cantentur, Celebrans, & Ministri Sacri tempestive acce-

accedunt ad medium Altaris, & stantes in secundo gradu, genuflectunt super suppedaneum utroque genu, nec prius surgunt ipso Evangelista, qui Evangelista non genuflectit, nisi prolatis a se omnibus dictis verbis, sicque genuflexi pausant aliquantulum, ad minus per spatium unius *Pater noster*. Signum surgendi post pausam aliud dari non debet, quam ipsum surgere Evangelistæ.

21. Post genuflexionem Subdiaconus transfert Missale Celebrantis a cornu Epistolæ ad cornu Evangelii, ubi Celebrans, dicto de more in medio Altaris: *Munda cor meum. Et Jube Domine benedicere* &c. legit reliquam partem Passionis, quæ habetur loco Evangelii, assistente sibi Subdiacono, ac in fine respondente: *Laus tibi Christe*, ut in aliis Missis.

22. Dicto a Celebrante: *Munda cor meum* &c. Diaconus acceptum librum Evangeliorum (deposita prius, si ea utatur, Planeta plicata, & assumpta Stola latiori) de more defert ad Altare, postea accedit ad cornu Evangelii, ubi assistit, ut in aliis Missis. Lecto a Celebrante Evangelio, si adhuc aliquid supersit cantandum de Passione, Celebrans redit ad cornu Epistolæ, & ibi se convertit ad Cantores, ut antea, donec Passionem finiverint; qua finita Cantores omnes simul eodem modo quo venerunt, factis debitis reverentiis Altari, redeunt in Sacristiam. Legilia, seu pulpita amoveantur per Sacristam, aut alios. Celebrans stans in medio Altaris ministrante Diacono naviculam, & Thuriferario thuribulum, imponit, & benedicit incensum. Deinde Diaconus de more dicit: *Munda cor meum*, petit benedictionem, & accedit ad consuetum locum pro cantando Evangelio; Ceroferarii assistunt sine candelis, sed ramos in manibus tenent. Diaconus prius incensat librum, quem tamen non signat, nec se ipsum, neque dicit: *Dominus vobiscum*, sed absolute incipit: *Altera autem die*. In fine Celebrans osculatur librum in principio illius postremæ partis, quæ pro Evan-

Evangelio habetur, dicens: *Per Evangelica dicta &c.*, & incensatur de more. Reliqua fiunt ut in aliis Missis.

23. Prædicta etiam sequentibus diebus Feria 3. & Feria 4. quando Passio cantatur, observanda sunt, excepto quod aliis diebus infra hanc Hebdomadam nullus præscribatur Palmarum usus, nec recte deduci potest ex Rubrica. Deinde Feria 4. ad Introitum Missæ, qui incipit: *In Nomine Jesu*, non genuflectitur.

24. Notæ illæ, quæ in Missali apponuntur †. C. S. Significant Christum, Choristam, & Synagogam, vel Christum, Cantorem, & Succentorem; quia hodie Diaconi isti vocantur Cantores Passionis.

25. In Missis privatis, dicto Tractu a Sacerdote, Minister defert Missale ad cornu Evangelii cum debitis genuflexionibus, & Celebrans ad illud etiam accedit, facta prius in medio inclinatione Cruci; ibique non se signans, Passionem incipit absolute: *Passio Domini Nostri &c.* manibus junctis, non tenens, neque hodie, neque aliis diebus Palmam. Ad verba: *Emisit Spiritum*, & in aliis Passionibus ad similia verba, genuflectit versus librum, pausans aliquantulum. Ante ultimam partem, stans in eodem loco, non vero accedens ad medium, sed profunde inclinatus versus Crucem, dicit: *Munda cor meum &c.* *Fube Domine benedicere &c.* & in fine osculatur librum dicens: *Per Evangelica dicta &c.* Deinde alia peragit, ut in aliis Missis, & in fine dicit ultimum Evangelium: *Cum appropinquasset Jesus, ex benedictione Palmarum.*

## CAPUT VIII

DE

### MATUTINIS TENEBRARUM.

I. Pro Matutinis Tenebrarum celebrandis Feria IV. majoris Hebdomadæ, Altare ornetur Paramentis violaceis absque floribus, & Sanctorum Imaginibus, seu Reliquiis,

Gg

&

& super illud sint sex candelabra ex materia obscura, & candelæ ex cera communi: a latere vero Epistolæ in plano Presbyterii, eo in loco ubi Subdiaconus cantare solet Epistolam, statuatur candelabrum triangulare ligneum, in quo quindecim candelæ, pariter de cera communi affigantur, hinc inde per septem gradatim insurgentibus; in supremo loco decima quinta solet esse de cera alba.

2. Si SS. Sacramentum sit super Altari, ante quod dicendæ sunt Matutinæ preces, omnino removeatur paulo ante Completorium, & cum debita reverentia in aliquod Sacellum transferatur; & ante illud lampades accendantur. In Altari vero a quo removetur SS. Sacramentum, debet relinqui ostiolum Tabernaculi apertum, ne adoretur, quod ibi non est.

3. Et quia Matutinum hac die celebrandum, spectat ad sequentem diem, quæ solemnis est ratione Cœnæ Dominicæ, ideo quamvis Officium ipsum ratione Dominicæ Passionis, quæ præcipue recolitur, sit luctuosum, campanarum tamen Sonitus Festivus esse debet usque ad *Gloria in excelsis* sequentis diei inclusive.

4. Completorium hac die absolvitur more solito, in cuius fine dum dicuntur Preces flexis genibus, & Antiphona finalis B. M. V. per aliquem Fratrem deputatum, accenduntur cerei in candelabro triangulari, incipiendo ab altiori qui est in cuspide, & continuando prius a parte Evangelii, deinde a parte Epistolæ; postea etiam ab eodem accenduntur in Altari sex cerei, incipiendo juxta morem ab iis, qui sunt Cruci proximiores, & prius a parte Evangelii. Interim hac die pulsantur tertio campanæ pro Matutino. In Choro finita Antiphona B. M. V. flexis genibus, & post eam dictis secreto *Pater noster*, *Ave Maria*, & *Credo*, dato a Superiore signo omnes surgunt, & profunde inclinati dicunt iterum secreto pro Matutino *Pater*, *Ave*, & *Credo*.

5. Officium immediate incipit ab Antiphona: *Zelus domus tuæ*, quam Superior Celebrans inchoare debet, signans se simul signo Crucis, quod pariter omnes alii facere debent; & hoc in principio cujuslibet Horæ Canonicæ omnes se signare debent signo Crucis per sequentes tres dies. Deinde Chorus profequitur Antiphonam, qua terminata Cantores intonant Psalmos, quibus finitis, eadem Antiphonæ, quæ fuerunt ante Psalmos decantatæ, iterum in cantu repetuntur, quia in his Matutinis nullus est usus Organorum. De cætero observantur respectively iidem Ritus, qui observari solent ad alias Matutinas Solemnes, nisi quod in fine cujuslibet Psalmi aliquantulum vox inflectatur, cum non sit dicendum *Gloria Patri &c.* quod in toto hoc triduo servatur in ultimo versu Psalmorum, ac etiam in fine Lectionum, Antiphonarum, & in Responsoriiis.

6. Finito quolibet Psalmo, Frater aliquis ad hoc specialiter deputatus, accepto debito instrumento, extingvit unam ex candelis in prædicto candelabro triangulari positis, incipiens ab ea, quæ est in inferiori extremitate ejus a latere Evangelii; & post finem secundi Psalmi extingvit alteram candelam, quæ est in latere Epistolæ, incipiendo etiam ab illa, quæ est inferiori extremitate; & sic successive alternatim, ab utroque latere singulos cereos extingvit in fine omnium Psalmorum Matutini, & Laudum, usque ad supremum cereum, qui est in cuspide exclusive.

7. Deinde quando in Cantico *Benedictus* incipit cantari in Choro septimus versiculus: *ut sine timore &c.* ab eodem deputato Fratre extingvitur primus cereus ex illis sex, qui sunt super Altare, incipiendo ab eo, qui est remotior Cruci Altaris in cornu Evangelii. Ad secundum, seu octavum versiculum. *In Sanctitate &c.*, extingvitur secundus cereus, qui est remotior a Cruce ex parte Epistolæ. Et sic successive alternatim extinguuntur singuli cerei ad singulos versiculos, ita ut nonnisi in fine Cantici remaneant omnes

extincti. Et hoc juxta doctrinam P. Merati, nam juxta sententiam Bauldry alius servatur ordo in extinctione prædictorum cereorum.

8. Advertendum etiam est, quod omnes, qui transeunt ante Crucem in medio majoris Altaris positam, toto hoc triduo, quod incipit a suprascripta remotione SS. Sacramenti, hoc etiam absente, omnes debent genuflectere unico genu, præter Celebrantem paratum, qui solum profundam facit inclinationem, excepta die Parasceves, qua die etiam ipse genuflectit: coram aliis vero Crucibus, quæ in reliquis Altaribus, aut alijs in locis posita sunt, sola inclinatio ab omnibus facienda est.

9. Dum repetitur Antiphona post finitum Canticum *Benedictus*, ille deputatus Frater removet ex cuspide candelabri triangularis cereum ibi relictum, eumque accensum sustinet genuflexus, manu elevata super cornu Epistolæ; & cum inchoatur versus: *Christus factus est &c.*, illum sic accensum abscondit in eodem Epistolæ cornu sub Altari, vel alio modo post Altare, ita ut tale lumen non appareat.

10. Finita Antiphona post Canticum *Benedictus*, Celebrans, seu Superior inchoat versum *Christus*, Choro cætera prosequente; & statim omnes genuflectunt usque ad finem Marutinarum, & postquam secreto dictum fuerit: *Pater noster &c.* Celebrans, vel Superior incipit aliquantulum altius Psalmum: *Miserere*, quo finito idem Celebrans, permanens genuflexus (nam toto hoc triduo Celebrans, seu Hebdomadarius per omnes Horas semper debet dicere Orationem genuflexus permanens) inclinato insuper paululum capite, absolute dicit Orationem: *Respice quæsumus &c.* usque ad verbum: *nocentium*, in quo verbo vocem aliquantulum dessectit: & postea secreto omnes dicunt: *Qui tecum vivit, & regnat &c.* & statim pro lucrandis Indulgentiis secreto omnes subjungunt: *Sacrosanctæ &c.* cum uno *Pater*, & *Ave*.

11. Supradictis finitis Superior, seu Celebrans exci-  
tabit fragorem: ac strepitum, percutiens manu, vel aliquo  
instrumento librum, aut Stallum, ac similiter etiam omnes  
alii facient, ac post aliquod breve spatium Frater ille depu-  
tatus producet cereum illum accensum, quem tenebat occul-  
tatum, & statim reponet in candelabri summitate suo in loco,  
& mox omnes a strepitu cessare debent: & post aliquod par-  
vum spatium etiam ille cereus extingvetur, & candelabrum  
removeatur.

12. Tandem SS. Sacramentum hac prima die tantum  
reponitur ad Tabernaculum Altaris cum debita reverentia;  
nempe aliquis Sacerdos superpelliceo indutus, & Stola alba,  
ac velo etiam albo paratus, præcedentibus duobus Clericis  
cum intorticiis, seu facibus accensis, primo removet ab Al-  
tari majore, & nunc iterum refert Sacram Pyxidem ab Al-  
tari, in quo reposita fuerat, ad Altare majus, & lampades  
coram Sanctissimo semper accensæ conserventur.

13. Duobus diebus sequentibus prædicta omnia ob-  
servari debent, cum aliqua tamen differentia; nam Altaria,  
pavimentum, & alia similia prorsus denudantur, & sola  
Crux remanet in medio Altaris cum sex candelabris hinc in-  
de positis.

## C A P U T IX.

D E

### FERIA V. IN COENA DOMINI.

I. **T**empore congruenti dicuntur Horæ Canonice, ad quas  
adhuc hodie accenduntur duæ candelæ in Altari;  
quod Altare pro Missa Solemni etiam pretiosioribus orna-  
mentis albis parari debet; ita tamen omnia ornamenta Alta-  
ri adaptentur, ut tempore denudationis omnia facile dimo-  
veri possint. Crux tamen Altaris, juxta doctrinam Merati,  
de-

debet remanere velata velo violaceo; juxta alios vero auctores, ante Missam velatur velo albo: Crux tamen Processionalis, juxta omnes, debet esse velata velo violaceo.

2. Super Credentia, ultra ea, quæ alias poni debent pro Missa Solemni, ut dictum est supra *part. 2. cap. 6. num. 2.* hodie supra Patenam Calicis pro Celebranti apponi debent tres magnæ Hostiæ, una pro hodierno Sacrificio; altera reservanda pro crastina die; tertia vero juxta consuetudinem hujus Regni reponenda in Sepulchro usque ad noctem Resurrectionis Dominicæ. Insuper in eadem Credentia hodie etiam poni deberet alius Calix amplius ex pulchrioribus, & pretiosioribus cum Palla, & Patena, sine Purificatorio, tectus suo consveto velo parvo albo, qui Calix cum reposita in eo Sacra consecrata Hostia majori, post Missam in Processione deferatur ad locum præparatum. Quia vero in his Regnis ultra magnam consecratam Hostiam pro crastina die, etiam altera grandior Hostia consecrata reservari debet, quæ cras finitis Sacris functionibus, statim ab Altari deportari debet ad Sepulchrum, & reponi in Ostensorio, seu Monstrantia; ideo usus suprascripti Calicis praticari non potest in iis Ecclesiis, ubi asservari solet in Sepulchro SS. Sacramentum usque ad noctem Resurrectionis Domini, ut consideranti patet: nam etiamsi crastina die in Sacris functionibus, ex tali Calice solum una extraheretur Sacra Hostia, remanente altera in illo, & Sacræ functiones peragerentur in alio Calice; quibus finitis, reservata Sacra Hostia in illo Calice portaretur ad Sepulchrum: extracta ex illo Sacra Hostia, & reposita in ostensorio, talis Calix non posset purificari a particulis minimis in eo remanentibus ex illis duabus, quæ in eo servabantur, majoribus Sacris Hostiis. Observabuntur itaque inferius dicenda. Debet tamen præter velum pro Subdiacono in Credentia etiam adesse aliud velum præciosum album, & oblongum pro tegendis humeris Celebrantis in Processione. Item si opus fuerit, adsit Pyxis, seu Calix cum

cum Particulis consecrandis pro Communione Cleri, & aliorum.

3. Nullo modo probatur illa consuetudo dandi majores Hostias Sacerdotibus communicaturis; quia talem consuetudinem Sac. Congregatio Eminent. Cardinal. declaravit abusum Decreto quod incipit: *Cum ad aures*, lato 12. Febr. 1679. approbante Innocentio XI. monetque nulli tradendas plures Eucharistiæ formulas, seu particulas, neque grandiores, sed consuetas. Et ratio hujus Decreti esse potest: tum quia in accipienda majori Hostia in os, hoc cum maximo indecore dilatari debet, & Hostia in illud quasi per vim intrudenda est; hinc maximum semper periculum, ne ex lateribus Hostiæ fragmenta abrumpantur, & in terram, vel super vestes decendant. Tum quia ut notat P. Cavalieri in suo opere Liturgico, seu Commentario in authentica Sac. Congr. Decreta, super hoc ipsum citatum Decretum, quod refert tom. 4. cap. 4. Decret. 2. num. 7. *Quod grandior in Communione exigatur Hostia. ex duplici fieri potest capite, ex errore nempe, aut ex Superbia.*

4. Tempestive etiam, ut præscribit Rubrica: *Hodie paretur locus aptus in aliqua Capella Ecclesiæ, vel Altari, & decenter quoad fieri potest, ornetur cum velis, & luminibus, ubi Calix cum Hostia reservata reponatur.* In hoc loco apponendum est Altare, cujus pallium, seu antependium debet esse album, & locus ipse cum Altari solemniter adornetur velis pretiosis, & pulchris, luminibus, floribus &c. ita ut id, quod ibi apparet, Solemnitatem, & splendorem demonstrat, neque ullo modo luctum, & tristitiam; unde omnis color niger abesse debet: quia Christus vere vivit, & regnat, mortis Triumphator, etiam in representatione mortis suæ. Sint quoque super Altare ad minus sex candelabra pulchre elaborata, cum totidem cereis ceræ albæ. Reliquiæ tamen Sanctorum, & aliæ Imagines ibi non apponantur. Debet vero super Altari esse Arca, seu Capsula clave obseranda,  
pro

pro reponendo SS. Sacramento in Calice, cum Corporali in fundo ejus extenso.

5. Missa hodierna Solemniter cantanda est a Superiori loci, quantum fieri potest. Ad Confessionem omittitur Psalmus: *Judica me Deus*: item versus *Gloria Patri* tam ad Introitum, quam ad finem Psalmi: *Lavabo*. Dum cantatur Hymnus: *Gloria in excelsis Deo*, postquam Celebrans finiverit vocem illam *Deo*, pulsantur campanæ omnes minores, & majores, ac Organa, quo usque totus Hymnus fuerit finitus, & decantatus a Choro: & deinceps campanæ, & Organa omnino silent usque ad Sabbatum Sanctum, ac loco campanarum substitutum est instrumentum ligneum, vulgo dictum crotalum. In hodierna Missa sunt propria *Communicantes*. *Hanc igitur*, ac etiam *qui pridie quam pateretur*. Cætera omnia fiunt ut in aliis Missis, excepto quod in detestationem osculi Judæ, Pax hodie non datur.

6. In Ecclesiis illis, in quibus solum unica Hostia reservatur pro crastina die; hausto a Celebrante SS. Sangvine (prout tradunt Merati, Cavalieri, & alii) Subdiaconus Palla tegit Calicem, illumque collocat versus cornu Evangelii super, non extra Corporale. Tum Diaconus accedit ad dextram Celebrantis, & Subdiaconus pergit ad Credentiam, ex qua sine velo oblongo ad Altare defert alium Calicem, vestitum Patena, Palla, & suo parvo velo coloris albi. Vel si ab alio prædictus Calix deferatur ad Altare, Subdiaconus tunc statim transit ad sinistram Celebrantis, cum debitis semper genuflexionibus unico genu in accessu, & recessu. Delato ut supra Calice (de quo dictum supra *num. 2.*) & super Altari deposito, Diaconus eum accipit, discooperit, & ab eo Pallam, & Patenam aufert, quo facto Celebrans cum Saceris Ministris genuflectit unico genu, & statim surgit, ac mox idem Celebrans alteram Hostiam consecratam reverenter reponit manu dextra in eodem Calice, quem Diaconus sustinet ante ipsum, & postea eum collocat super Altare in  
me.

medio Corporalis. Tunc Celebrans iterum genuflectit, & statim surgit cum Sacris Ministris, & Diaconus accedens omnino ad medium Altaris, facit genuflexionem, Calicem prius Palla cooperit, deinde Patena, sed inversa, & postea desuper expandit velum parvum, album sericum, & hoc nunc vitta, seu ligacula ligat, & firmat Calici infra cuppam, & intra nodum, ut desuper Palla, & Patena immobiles jaceant, quem Calicem mox in medio Altaris collocat super Corporale parum retro prope tabellam Secretarum, & postea accipit Pyxidem cum Particulis consecratis, & ponit eam in medio Altaris super Corporale ante prædictum Calicem, eamque detegit cum genuflexione ante, & post. Dum autem hæc fiunt a Diacono, Celebrans, & Subdiaconus manent genuflexi in cornu Evangelii. In Ecclesiis vero, ubi duæ consecratæ majores Hostiæ reservandæ sunt, observabuntur infra dicenda.

7. Cum hac die non solum populus, sed etiam Sacerdotes omnes (cum non possint celebrare) debeant Communionem accipere de manu Celebrantis, juxta morem universalis Ecclesiæ, in memoriam, quod Christus Dominus hoc die manu propria Apostolos communicavit, juxta Decretum S. R. C. 27. Sept. 1608. ideo decantato *Agnus Dei*, omnes exeunt ex Choro ante Altare (Sacerdotes omnes cum Stolis albis a collo pendentibus) cum debitis genuflexionibus, & permanent ibidem genuflexi, donec tempus erit sumendi Sacram Communionem.

8. Sumpto a Celebrante Sanctissimo Sangvine, Palla tegit Calicem, & collocat eum versus cornu Evangelii, intra tamen Corporale: Duas consecratas majores Hostias reservandas, relinquit pariter in medio Corporalis parum quoque versus cornu Evangelii. Deinde si consecravit Particulas, pro danda Communionem, in alio Calice, illum Diaconus collocat in medio. Si vero distribuenda sit Communionem ex Pyxide in Tabernaculo inclusa, illam Diaconus extrahit,

& in medio Corporalis ponit, cum debitis semper genuflexionibus; & Celebrans distribuit Sacram Communionem consveto modo, prout explicatum est tum in Manuductione Celebrandi Missam *part. 2. cap. 3. art. 10.* Tum etiam in hoc Cæremoniali supra *part. 2. cap. 6. ad tit. 10. rubr. 9.*

9. Finita Communione Celebrans reponit Pyxidem cum Particulis super Altare, & in eandem imponit etiam illas duas majores Hostias, quas consecravit, unam pro crastina die, alteram pro Sepulchro; & mox Diaconus Pyxidem suo cooperculo tegit, parum versus tabellam Secretarum removet, & desuper parvum velum album expandit; quod tamen parvum velum non videtur superponendum, si Pyxis sit velata suo proprio velamine, seu mantello; nam Rubrica solum præscribit ordinarium Calicem esse velandum suo parvo velo, prout dictum est hic supra *num. 6.* Si vero Celebrans S. Communionem distribuit ex alio Calice, tunc reversus ad Altare, eum reponit super Corporale versus cornu Epistolæ, & Diaconus eum tegit Palla, & postea idem Diaconus (factis semper debitis genuflexionibus) extrahit Pyxidem ex Tabernaculo, & eam aperit, in quam Celebrans ex Calice immittit (si quæ in eo remanserunt) Particulas, & fragmenta; & postmodum in eandem Pyxidem imponit supradictas Sacras Hostias, & mox Diaconus Pyxidem cooperit ut supra. Deinde Celebrans statim purificat illum Calicem modo consveto, ut explicatum est in Manuductione celebrandi Missam *part. 2. cap. 1. tit. 10. rubr. 7. circa medium.* Tandem Celebrans sumit Purificationem ex Calice Missæ, & ulterius Missam prosequitur usque ad finem, cum hac cautela, ut exacte observentur omnes genuflexiones, & Ritus, qui observari debent in Missa, quæ celebratur coram exposito SS. Sacramento, prout explicatum est in dicta Manuductione *part. 2. cap. 6. not. secundo a num. 13. & sequent.*

10. Completa Communione Cleri, omnes simul surgunt, & per ordinem ingrediuntur Chorum, & cantatur

An-

Antiphona dicta *Communio*: & interim etiam in Choro distribuuntur candelæ, ceræ albæ, si fieri potest, pro Processione, quæ etiam accenduntur. Sacrista vero, aut alius vadit ad locum quo deferri debet SS. Sacramentum, & ibi accendit cereos, ac attendit diligenter, num omnia sint ibidem recte disposita. Eodem tempore ornatur in Sacristia alius Subdiaconus, sine Manipulo tamen, pro deferenda Cruce in Processione (quotiescunque enim fit Processio cum SS. Sacramento, Subdiaconus Officii, seu Missæ non debet deferre Crucem, sed debet in Processione simul cum Diacono assistere Celebranti, & alius Subdiaconus parandus est pro deferenda Cruce) quod si desit prædictus alius Subdiaconus, tunc aliquis Clericus, vel etiam ubi hic deesset, aliquis Frater Laicus sola Cotta, seu Superpelliceo indutus, deferet Crucem.

## C A P U T X.

D E

### PROCESSIONE SS. SACRAMENTI IN COENA DOMINI, ET DENUDATIONE ALTARIUM.

1. **F**inita Missa, Celebrans cum Ministris accedit ad medium Altaris, ubi genuflectit cum illis unico genu, deinde unus post alium, præcedente Subdiacono, & sequente Diacono, per gradus laterales cornu Epistolæ descendit in planum, ubi adjutus a Ministris deponit Planetam, & Manipulum, Ministri pariter suos Manipulos deponunt, & ille induitur Pluviali albi coloris. Ex Choro pariter omnes exeunt bini, & bini, ac in ordine suo ante Altare genuflectunt.

2. E. Sacristia procedunt duo Thuriferarii, cum suis thuribus cum igne, & naviculis (si tot haberi possunt, alioquin saltem unus) hos sequitur Subdiaconus, vel in hujus defectu, Acolythus, ut supra dictum est capite præcedenti

denti *num. 10.* cum Cruce, hunc comitantur sex, vel ad minus quatuor alii Acolythi cum ardentibus facibus, seu intorticiis, & convenientissimum erit, ut hos immediate sequantur Fratres, & Patres exeuntes ex Choro bini, & bini. Ceroferarii Missæ acceptis suis candelabris, se conferunt ad Subdiaconum cum Cruce, obviantes ei ad ingressum Presbyterii, ibique stant, habentes in medio Subdiaconum cum Cruce, in plano ante medium Altaris, versa facie ad Altare ipsum, & nunquam genuflectunt: Thuriferarii tamen genuflectunt ante Subdiaconum, & postea accedunt ad cornu Epistolæ, ubi manent genuflexi usque ad impositionem thuris. Acolythi portantes intorticia, seu faces, genuflectunt hinc inde ad latera Altaris in plano, ita ut non sint impedimento.

3. Celebrans indutus Pluviali, ut supra, mox incedat per planum manibus junctis, & nudo capite, medius inter Sacros Ministros, tenentes hinc inde de more Pluvialis fimbrias, & accedat ad medium Altaris, ubi omnes utroque genu procumbunt in plana terra, & profunde se inclinant, postea surgunt, & genuflectunt super infimum Altaris gradum, & ibi parumper orant. Facta parva oratione, & omnibus aliis rite dispositis, accedunt cum debitis genuflectionibus duo Thuriferarii (si duo haberi possint) Et Celebrans surgit cum Ministris Sacris, & non aliis, & stans ministrante Diacono naviculam sine osculis, & primo Thuriferario thuribulum, imponit incensum absque benedictione, nihil dicens: & mox primus Thuriferarius paululum recedit, cedens locum secundo Thuriferario, in cujus thuribulum thus pariter imponit Celebrans ex priori navicula, quam proinde Diaconus apud se retinet. Hoc facto secundus Thuriferarius, facta genuflectione, accedit ad cornu Evangelii, ibique genuflexus in plano manet usque ad Processionis initium. Tum primus Thuriferarius genuflectionem faciens, accedit ad Diaconum, a quo recipit suam naviculam, & eidem

eidem porrigit thuribulum, quod a Diacono traditur Celebranti, qui genuflexus cum Sacris Ministris sustinentibus Pluvialis simbrias, præmissa profunda inclinatione, ter incensat SS. Sacramentum, & repetita reverentia, reddit thuribulum Diacono, & hic primo Thuriferario, qui surgens, genuflexione facta, pergit ad cornu Epistolæ, & ibi manet genuflexus e regione alterius Thuriferarii, utroque interim ab incensatione Sacramenti. Ubi vero non possunt haberi duo Thuriferarii, sed tantum unus, hic post factam incensationem a Celebrante accedit ante medium Altaris, ubi genuflectit.

4. SS. Sacramento incensato a Celebrante, Ministri Sacri, accepto velo albo oblongo a Sacrista, vel alio, illud ita extendunt super humero Celebrantis, ut æqualiter fluat super brachia, & manus ejus, & illud, si necesse sit, aciculis firmant. Deinde ut omnia exacte fiant secundum præscriptum particularis Rubricæ Missalis pro hac die, & Processione, Celebrans, & Ministri Sacri se erigunt, & Altare ascendentes, idem Celebrans, & Subdiaconus genuflectunt in Suppedaneo (si vero alicubi nulli essent gradus ante Altare, Celebrans, & Subdiaconus manerent genuflexi) Diaconus vero pergit usque ad Altare ipsum, ubi genuflectit unico genu, quasi renes aliquantulum vertens ad cornu Epistolæ, ne terga vertat Celebranti, & mox surgens, ambabus manibus accipit Sacram Pyxidem, nempe pedem illius manu sinistra, & supra nodum manu dextra, ac vertens se per latus suum sinistrum, seu per eam partem, quæ respicit cornu Evangelii, se convertit ad Celebrantem, & stans tradit Pyxidem Celebranti, ut supra adhuc genuflexo, qui sinistra manu capit pedem Pyxididis, & manu dextra nodum illius (ubi vero SS. Sacramentum traditur in alio Calice, tectum Palla, Patena, & parvo velo, de quo dictum est capite præcedenti *num.* 6. Celebrans accipit Calicem manu sinistra per nodum, & manum dextram ponit supra Calicem)

& mox Diaconus ambas extremitates veli humeralis supra Pyxidem, aut Calicem extendit, & contegit: ac statim in eodem loco genuflectit unico genu Sacramento adorans, & illico surgit, & accedit ad dextram Celebrantis, ubi sine genuflexione mox accipit, & elevat partem anteriorem Pluvialis, Subdiacono accipiente, & elevante alteram partem, & se erigente cum Celebrante, qui cum Sacris Ministris ascendit Suppedaneum, ubi per latus suum dextrum cum Sacramento vertit se ad populum, & interim etiam Diaconus, & Subdiaconus mutant loca sua, ut Diaconus sit semper a dextris, & Subdiaconus a sinistris Celebrantis hinc inde; & ambo sic assistentes fimbrias anteriores Pluvialis, & cum opus est, brachia ejus sublevantes, & sustentantes.

5. Statim ac Celebrans conversus est ad populum (qui non dat benedictionem, quia in hodierna, & crastina Processione nulla dari debet benedictio cum SS. Sacramento) Cantores intonant Hymnum: *Pange Lingva*, qui Hymnus habetur in Vesperis Festi Corporis Christi; non vero ille, qui habetur Dominica Passionis ad Matutinum, & tunc surgunt omnes, & Chorus Hymnum profequitur graviter, & devote, & incipit Processio. Præcedit Subdiaconus cum Cruce medius inter duos Ceroferarios; deinde alii de Clero bini præmissa genuflexione unico genu; post Clerum immediate ante Sacramentum, seu Baldachinum incedunt Thuriferarii, qui antequam procedere incipiant, tempore congruo imponent incensum in thuribulo, ut per Processionem effumigare valeant; incedent autem quasi conversa facie ad se invicem; ita ut terga non vertant SS. Sacramento, moventes continuo, & tractim manibus dextris thuribula sua e manibus pendentia, fumigantia, quasi sternentes viam SS. Sacramento cum odore incensi; sinistris manibus, quibus naviculas tenent, ac manubria thuribulorum, pectori appositis. Acolythi cum facibus ardentibus duo incedunt ante Baldachinum, duo post illum, & duo a lateribus ipsius; quod si  
non

non possint haberi Fratres Religiosi pro portandis facibus, eas portare poterunt Confratres Sæculares honeste vestiti, vel decori juvenes superpelliceis induti. Hastas Baldachini portare solent Personæ Nobiles; vel si fieri potest, portentur a Clericis superpelliceis tantum sine Stolis indutis. Celebrans cum SS. Sacramento procedit sub Baldachino medius inter Sacros Ministros elevantes fimbrias Pluvialis, & non cantat cum Clero, sed cum Sacris Ministris præfatum Hymnum, vel Psalmos alternatim submissa voce recitat.

6. Cum pervenerit Processio ad Sacellum, seu locum designatum, Subdiaconus cum Cruce, & Ceroferarii sistunt se e regione Sacelli, aliquantulum recedentes e medio, ne alii intransibibus prædictum locum sint impedimento; Clerus dividitur in duas partes, juniores remaneant prope Crucem, Seniores vero ex ordine, & digniores procedunt ultra, ut sint proximiores Sacramento. Thuriferarii, Ministri, & Celebrans transeunt per medium Clerum genuflexum, & progrediuntur ad Altare. Baldachinum relinquitur ab iis, qui illud gestabant, ad portam Capellæ, inter manus Sacrifæ, vel aliorum, qui illud ad locum congruum pro die sequenti deferunt. Post ingressum Sacramenti, Subdiaconus cum Cruce, & Ceroferarii se collocant e regione Sacelli, in medio gyri, illum claudentes, & nunquam genuflectunt, neque quando pertransit Sacramentum.

7. Postquam Celebrans ante Altare advenerit, se sistit in plano ante infimum Altaris gradum (quod si nulli sint gradus, se sistit in aliquali distantia ab Altari; si vero tres sint gradus, potest ascendere ad primum gradum, ut commode possit Diacono tradere Sacramentum) Diaconus vero ascendit ad Suppedaneum, ubi genuflexus versis renibus ad cornu Epistolæ, prius de Pyxide, seu Calice removet extremitates veli humeralis, & postea a Celebrante stante recipit ipsum Calicem, quo accepto, ibi genuflexus tantillum, expectat, donec idem Celebrans, & Subdiaconus genuflexi in  
in-

infimo gradu Altaris, Sacramentum adorent cum profunda inclinatione; qua facta e Celebrantis humeris per aliquem Ministrum removetur velum humerale; & Diaconus mox surgit, & deponit Calicem: in quo loco autem deponi debeat? Rubrica Missalis dicit: *Et ponit illum primo super Altare*, id est in Altaris medio super Corporale: Cæremoniale vero Episcoporum, noviter auctoritate Benedicti XIII. recognitum lib. 2. cap. 23. *Deponit super Altari in loco præparato*: explicat Memoriale Rituum: *in capsula super Altare, quam tunc non claudit, sed solum post incensationem.* In hac Rubricarum varietate Merati part. 4. tit. 8. num. 16. & cum eo Cavalieri tom. 4. cap. 1. Decreto 7. num. 2. asserunt, quod uterque modus, sive hic, sive ille observari possit.

8. Deposito Sacramento super Altari, vel in capsula absque obseratione illius a Diacono, genuflectit unico genu, descendit, & genuflectit ad dextram Celebrantis; deinde surgit Celebrans cum Ministris Sacris, & imponit incensum in uno solo thuribulo sine benedictione, & ministrante Diacono sine osculis: mox genuflectunt omnes, & Celebrans incensat ter Sacramentum, Ministris Sacris elevantibus Pluvialis fimbrias, & una cum Celebrante se profunde inclinantibus ante, & post incensationem, qua peracta Diaconus accedit ad Altare, etiamsi nondum expletus esset Hymnus (non enim est impertienda benedictione) genuflectit unico genu, & reponit Calicem, seu Pyxidem in capsula, quam clavi obserat: vel si jam antecederet Sacramentum repositum sit in ea, hanc duntaxat claudit; postea iterum genuflectit unico genu, & regreditur ad Celebrantis dextram, & omnes suis in locis genuflexi brevi Orationi vacant, & opus suum Deo commendant, ac interim colliguntur cerei, extinguuntur, & asportantur. Finita Oratione surgunt omnes, & genuflectentes unico genu recedunt ordine suo.

9. Si in Altari majori adhuc relictae fuerint Particulæ consecratae sive in Pyxide, sive in alio Calice, statim aliquis Sa-

Sacerdos Superpelliceo, & Stola ornatus, præcedentibus duobus, aut quatuor Acolythis cum facibus ardentibus accedit ad Altare, & Sacramentum defert ad eundem paratum, ut supra locum, relinquendo ostiolum Tabernaculi, in quo asservari solebat, apertum, ne populus ibi adoret, quod non adest amplius.

10. Denudatio Altarium, quo tempore fieri debeat, Missale satis non explicat, sed simpliciter habet: *Postea in Choro dicuntur Vesperæ sine cantu. Et Sacerdos cum Ministris denudat Altaria* Ex quibus verbis nonnullis videtur denudationem faciendam tempore vesperarum. Sed omnes communiter auctores Rubricarum explanatores asserunt, sequendum esse usum Urbis, & præscriptum Cæremonialis Episcoporum, quæ Rubricam Missalis in hoc explicant: jam vero Cæremon. Episcop. lib. 2. cap. 23. diserte mandat faciendam esse: *Finitis Vesperis*. Itaque in Sacristia Celebrans, & Ministri Sacri depositis Paramentis albis, induunt Stolas violaceas, Celebrans quidem in modum Crucis, Diaconus vero super sinistrum humerum ad latus dextrum pendentem, Subdiaconus vero manet in sola Alba, & sic cum Acolythis, & omnibus aliis de Choro accedunt ad Chorum, ubi dicuntur Vesperæ sine cantu, quo tempore sex candelæ, vel saltem duæ in Altari ardere debent.

11. Finitis Vesperis Celebrans cum Ministris procedunt consveto modo ex Choro ad Altare, & cum ante infimum Altaris gradum pervenerint, omnes genuflectunt Cruci unico genu præter Celebrantem, qui tantum profunde se inclinat: deinde Sacerdos cum Sacris Ministris accedit ad Altare, ubi incipiens denudationem, simul incipit mediocri voce, & sine cantu Antiphonam: *Diviserunt sibi*, quam omnes de Choro stantes eadem voce terminant, & postea alternatim dicunt Psalmum: *Deus, Deus meus, respice in me* &c. qui est secundus Psalmus in sequenti Matutino, & etiam habetur in Feriali Officio ad Primam Feria VI. quem

Psalium etiam Celebrans cum Ministris submissa voce legit. Interim Celebrans cum Sacris Ministris denudat Altare, primo removens tobaleam superiorem, mox alias; tum pallium, seu antependium, & alia ornamenta, relicta sola Cruce cum candelabris super Altare; quod si fuerit Crux ante Missam, & per Missam tecta velo albo, hoc ab aliquo Acolytha aufertur, & iterum velatur, seu tegitur velo violaceo. Denudato Altari majore, Celebrans cum Ministris perguit ad denudanda alia, a quibus pariter omnia removet præter Crucem, & candelabra: Acolyths omnia reportant ad Sacristiam. Ubi vero copiosus est Altarium numerus, eodem tempore quo Celebrans denudat Altare majus, & saltem duo, aut quatuor minora, alii Sacerdotes Superpelliceo, & Stola violacea induti; vel alii Ministri inferiores poterunt reliqua Altaria denudare, recitando dictum Psalmum.

12. Denudatis Altaribus, Celebrans cum Ministris revertitur ante Altare majus, & facta ab omnibus debita reverentia Cruci, expectat finem Psalmi (si nondum Chorus eum finiverit) quo finito, & repetita Antiphona: *Diviserunt sibi &c.* omnes genuflectunt utroque genu, & dicunt Salutationem Angelicam: *Angelus Domini nuntiavit Mariæ &c.* pro qua datur signum Crotalo.

## C A P U T XI.

DE

### MANDATO, SEU LOTIONE PEDUM FER- RIA V. IN COENA DOMINI.

1. **H**odie statim post prandium, Sacrista cum suis adiutoribus, præparat in loco, ubi faciendum est Mandatum (qui locus apud nos solet esse in Ecclesia immediate ante Presbyterium) omnia necessaria; nempe in capite præparatur aliqua mensa loco Altaris, cum Mappa munda, & Antependio

tependio albo, supra quam mensam ponantur sex candelabra cum suis cereis, & in medio statuatur Crux tecta velo albo, ad significandam munditiam, cujus gratia lavandi sunt pedes. In loco parum remoto (relinquendo inter eum, & Altare extractum sufficiens spatium pro Celebrante, & aliis Ministris, ut commode decantari possit Evangelium ante dictum Altare) ponantur duo Scamna oblonga, unum ex parte Evangelii protractum versus portam Ecclesiæ, alterum ex opposita parte Epistolæ, in quibus sedere debent ii, quibus lavandi sunt pedes; qui licet ex Cæremoniali Episc. *lib. 2. cap. 24.* debeant esse tredecim; tamen ut notat Merati, Cavalieri, & alii, & ipsum Cærem. Episc. relinquit arbitrio Episcopi, vel Ecclesiarum consuetudini, solum duodecim esse possunt. Prædicta autem Scamna debent esse cooperta panno viridi, vel alterius coloris, non tamen rubei, nec nigri.

2. Poterit etiam parari Credentia a latere mensæ, seu extracti Altaris, supra quam collocabitur Missale ad cantandum Evangelium, Linteum quo Celebrans præcingi debet; item aliud linteum satis amplum ad extergendos pedes; nam illud, quo Celebrans erit præcinctus, non videtur sufficiens; imo Cavalieri *tom. 4. cap. 1. Decret. 10. num. 16.* docet: quod namque extergantur pedes linteo, quo Celebrans est præcinctus, nec decens est, nec ad rem aptum. Item in eadem Credentia ponatur pelvicula cum mica panis, ac manutergium, & vas, seu bucale cum aqua ad lotionem, & absterisionem manuum Celebrantis, & Ministrorum post lotionem pedum faciendam.

3. Præterea in loco commodo parentur tria vasa, unum plenum aqua calida, alterum aqua frigida ad temperandam calidam, si opus fuerit, & tertium vacuum, in quod aqua pelvium effundatur post cujusvis pedis lotionem. Ulterius parari debent ad minus duæ pelves supponendæ pedibus in ipsa lotionem. Item urçeus ad infundendam aquam in

pelvim. Omnia autem, Altare, & totus locus aspergantur floribus, & herbis odoriferis, inquantum haberi poterunt.

4. Supradictis præparatis in Ecclesia, in Refectorio præparabuntur sequentia (non enim conveniens est ista præparari in Sacristia, cum in ea, apud nos; hodie soleat aservari SS. Sacramentum) in prima mensa ponatur pro Celebrante, Amictus, Alba, Cingulum, & Stola cum Pluviali violacei coloris, sine Manipulo. In secunda mensa ponantur pro Diacono, & Subdiacono Amictus, Albæ, Cingula, & pro Diacono Stola, cum Dalmatica coloris albi; sicut & Tunicella pro Subdiacono, cum duobus Manipulis etiam coloris albi, quia debet solemniter cantari Evangelium. In alio loco ponantur tria Superpellicea pro duobus Ceroferariis, & Thuriferio. Ulterius præparetur thuribulum cum navicula, vas cum prunis ardentibus, & lichum sulphuratum pro accendendis candelis Ceroferariorum: hinc adsint etiam duo candelabra cum suis candelis ceræ albæ. Insuper afferatur Crux Processionalis tecta suo velo violaceo.

5. Prædictis omnibus commode, & tempestive paratis, hora solita, quæ solet esse tertia post meridiem, dato signo, conveniunt omnes Patres, & Fratres in Refectorio, ubi Celebrans (quem congruit esse Superiorem Loci, qui exemplo Christi lotionem peragat) & Ministri sua respective capiunt Paramenta: Ceroferarii suas accendunt candelas, & se conferunt ad latera Subdiaconi, qui accipit Crucem Processionalem, & stant retro post Celebrantem. Thuriferarius accipit thuribulum cum igne, & naviculam, & ministrantibus Diacono naviculam, & Thuriferario thuribulum de more, Celebrans imponit, & benedicit thus in thuribulo, stans ante Crucem Refectorii. Deinde facta prædictæ Cruci reverentia ab omnibus, exceptis Subdiacono, & Ceroferariis, procedunt processionaliter ad locum præparatum, alternatim dicentes per viam Psalmum: *Qui habitat in adjutorio Altissimi*

*tissimi* &c. Et ubi est commoditas situs loci, intrabunt in Ecclesiam per portam majorem, hoc ordine.

6. Præcedit Thuriferarius cum thuribulo fumigante, quem sequitur Subdiaconus ferens Crucem medius inter Ceroferarios; deinde alii Religiosi bini, ac bini, & ultimo Celebrans habens a sinistris Diaconum, junctis manibus, & omnes incedunt tecto capite, exceptis primis quatuor, nempe Subdiacono, Ceroferariis, & Thuriferario, qui nudo capite progrediuntur. Postquam Processio pervenerit ad locum destinatum, Ceroferarii se collocant hinc inde a lateribus Altaris, & Subdiaconus deponit Crucem prope Altare in cornu Evangelii, nec genuflectunt, nec se inclinant Cruci Altaris; cui tamen unico genu Subdiaconus genuflectit postea, dum deposita Cruce processionali, se collocat ante Altare in plano ex parte Evangelii, ubi aliquantum retro post ipsum collocat se Thuriferarius præmissa genuflexione Cruci Altaris; cui Cruci genuflectit quoque subsequens Clerus detecto capite, qui in duas se dividit partes. Statim ac Celebrans ante Altare pervenerit, Diaconus transit ad dextram illius, & ille detecto capite profundam facit inclinationem Cruci Altaris, genuflectentibus Sacris Ministris, cum quibus mox accedit ad Altare, quod solus Celebrans osculatur in medio.

7. Deinde Diaconus accepto Missali, illud portat de more ut in Missa ad Altare, cum debitis genuflexionibus Cruci, recedente interim Celebrante aliquantulum ad latus Evangelii, illudque in medio Altaris collocat: postea Celebrans imponit cum benedictione thus in thuribulo, ministrante Diacono naviculam cum debitis osculis: quo facto idem Diaconus, sicut ad Missam, genuflexus dicit: *Mundacor meum* &c. surgit, accipit Missale, ac rursus genuflexus petit benedictionem, qua accepta surgit, & descendit in planum, vel si nulli sint gradus, parum retrocedit, & simul cum aliis Ministris genuflectit, & cum illis accedit ad locum

Evangelii (& interim Celebrans retrahit se ad cornu Epistolæ, facta Cruci reverentia) ubi adstantibus Ceroferariis cum candelabris, & Subdiacono tenente librum, signat, incensat, & cantat more solito Evangelium: *Ante diem Festum*: quo finito Celebrans osculatur Evangelium a Subdiacono ad se delatum, & statim incensatur a Diacono.

8. Finita Celebrantis incensatione Ceroferarii deponunt candelabra in loco consveto, & Thuriferarius thuribulum; Ministri Sacri deponunt Manipulos, Celebrans vero exuitur Pluviali per Ministros, & per eosdem præcingitur linteo ab Acolythis allato. Deinde Celebrans medius inter Sacros Ministros accedit ad lotionem pedum, & sedentibus in supradictis scammis, incipiendo ab illo, qui primus sedet ex parte Evangelii, & postea consequenter per circuitum, genuflexus ante quemlibet; & nudo capite, lavat, tergit, & osculatur pedem dextrum uniuscujusque, nullo modo formans signum Crucis super pedem, quem tamen prius Frater ille, antequam accessit ad Ecclesiam, debuit lavare pro ratione decentiæ, ne immundus appareat. Dum autem Celebrans pedem lavat, Subdiaconus a sinistris Celebrantis genuflexus tenet illum paululum elevatum, ut commodius lavari possit: Diaconus vero a dextris Celebrantis pariter genuflexus illi præbet linteum ad abstergendum. Interim alius minister, seu Acolythus pelvim cum aqua sub pede lavandi tenet, & loto pede, trahit pelvim sub pedem illius, qui proxime sequitur, vel mutat pelvim, aliam supponendo: & alius priorem accipiens, effundit aquam in vas ad id præparatum, alius in vacuam, pelvim infundit aquam tepidam; & sic invicem se adjuvabunt, quousque finiatur tota lotio. Statim autem dum Celebrans incipit lavare pedes Cantores incipiunt, & Chorus profequitur cantare Antiph: *Mandatum novum*, & alias more consveto.

9. Completa lotionem pedum, aliqui Fratres asportant ad Credentiam, vel juxta eam omnia vasa: Acolythis sumunt

munt pelviculam cum mica panis, & vas, seu bucale cum aqua, ac manutergium pro lavandis manibus Celebrantis, & eas lavat, & extergit extra cornu Epistolæ: Ministri quoque si opus sit suas manus lavant. Mox Celebrans exiit a Ministris linteo, quo erat præcinctus, & induitur suo Pluviali: Sacri Ministri sumunt suos Manipulos, & Ceroferarii candelabra, & Celebrans medius inter Sacros Ministros præcedentibus Ceroferariis se constituit, juxta Gavantum, Bauldry, Cavalieri, & alios (contra nonnullos, qui collocant Celebrantem in cornu Epistolæ) ante Altaris medium in plano, ubi Sacris Ministris sustinentibus librum, & Ceroferariis scandelabra, junctis manibus, alta voce dicit in cantu: *Pater noster*, & proseguendo reliqua secreto, iterum alta voce decantat: *Et ne nos inducas &c.*, & alios versus, ac Orationem, prout in Missali, respondente Choro.

10. Hæc Sacra Functio, seu lotio pedum ab Ecclesia in Rubrica Missalis vocatur *Mandatum*, quia Antiphonæ decantandæ in ipsa Sacra Actione, ab hac: *Mandatum novum*, inchoatur; verius tamen dicitur *Mandatum*, quia Christus Salvator noster mandavit lotionem pedum in hodierno Evangelio dicens: Si ego lavi pedes vestros, Dominus, & Magister, & vos debetis alter alterius lavare pedes. Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.

11. Debet autem hæc Sacra Cæremonia ab omnibus observari cum summa devotione, religiositate, & humilitate: unde caveant omnino omnes Patres, & Fratres eo tempore ab omni vaniloquio, & confabulatione non tantum cum Sæcularibus, sed etiam inter se. Et ne unquam hæc Sacra Actio omittatur, Definitorium Provinciale in Congregatione intermedia anno 1771. serio præcepit: ut quolibet anno in Cœna Domini a Superiore loci, & in ejus absentia ab alio ex Senioribus Patribus fiat lotio pedum juxta præscriptum Rubricarum Missalis.

12. Finita Oratione a Celebrante, omnes facta debita reverentia Altari redeunt processionaliter ad Refectorium, eodem modo, & ordine quo venerunt, recitantes per viam alternatim Canticum trium Puerorum: *Benedicite omnia opera Domini Domino &c.* Thuriferarius tamen præcedit cum thuribulo non fumigante. Tandem Celebrans cum Ministris deponunt Paramenta sua, & omnia referuntur ad Sacristiam.

13. Hora congrua, & solita dicitur in Choro Completorium sine lumine, seu candelis extinctis, in cujus fine non dicitur *Pater noster*, nec *Ave*, nec *Credo*, sed finita Oratione statim omnes surgunt, & profunde inclinati prædicta dicunt pro sequenti Matutino. Dum autem antecederet in Choro dicitur Psalmus *Miserere*, Frater deputatus accendit candelas in candelabro triangulari, deinde etiam super Altare, & omnia respective observantur, prout in hesternis Matutinis.

## CAPUT XII.

DE

### FERIA VI. IN PARASCEVE.

1. Altare majus omnino nudum sit, & super illud ponatur **A** Crux velo nigro ita tecta, ut suo tempore facile de regi possit eo modo ut infra dicitur sequenti capite. Merati *part. 4. tit. 9. num. 2.* habet: Solent aliqui aliam Crucem, formæ grandioris, diversam ab illa, quæ est inter candelabra, suo velo coopertam, super Altare hac die præparare; sed videtur esse discooperiendam a Celebrante, illam eandem Crucem, quæ est inter candelabra. Et Bauldry *part. 4. cap. 10. art. 1. num. 1.* asserit. In medio Altaris collocetur Crux formæ grandioris, habens in ea Imaginem Crucifixi magnitudini ejus proportionatam, velo nigro tectam. Et ipsa Rubrica Missalis hac die post adorationem Crucis præ-

præcipit: *Circa finem adorationis - - - Diaconus - - - finita adoratione, Crucem reverenter accipit, & reportat ad Altare.* Super hanc Rubricam Merati *loc. cit. num. 36.* ait: Diaconus accedit ad locum, ubi est Crux, cui facta genuflexione unico genu, reverenter illam capit, & ambabus manibus elevatam, nulli reverentiam faciens, ad Altare reportat, & reponit suo in loco, in medio ejusdem Altaris inter candelabra, Unde non est ponenda alia Crux super Altare in medio inter candelabra, & alia pro denudatione.

2. Sint etiam super Altari sex candelabra obscuri coloris, cum candelis extinctis ceræ communis, & non albæ. Gradus Altaris sint nudi, sed tamen bene mundati pro prosternatione Celebrantis, & Ministrorum. Credentia sit simplex, in superiori tantum parte linteo cooperta, cum necessariis ad officium, nempe super Credentia ponatur Calix cum Purificatorio, Patena, & Palla: Bursa cum incluso Corporali, ampullæ vini, & aquæ cum pelvicula, & manutergio; item vas cum aqua, & Purificatorium ad abluendos, & extergendos digitos Celebrantis, postquam ex Pyxide extraxerit Hostiam, & reposuerit super Patenam: duo Missalia, unum pro Celebrante cum cussino, alterum pro Subdiacono, & Diacono: Mappa longa pro tegendo Altari suo tempore. In alio loco convenienti erunt tres cussini supponendi capitibus Celebrantis, & Sacrorum Ministrorum initio Officii: item tapes oblongus, vel pannus violaceus cum cussino, extendendus, & substrandus Cruci tempore adorationis; & tandem crotalum ligneum.

3. Hora competenti, pulsata tabula lignea, dicuntur in Choro Horæ minores sine cantu submissa voce, & sine lumine. Ante finem Horarum Celebrans cum Ministris induuntur suis Paramentis coloris nigri. Finita Nona, ad quam expiravit Christus, ad cujus quasi funus accedunt, consveto ordine, ut ad Missam, pergunt ad Altare: primus omnium procedit Thuriferarius sine thuribulo, manibus

junctis, quem sequuntur Ceroferarii sine candelabris, pariter manibus junctis, & hi tres nudo capite; deinde Ministri Sacri unus post alium; ultimo Celebrans junctis manibus, & capite tecto.

4. Cum ad Altare pervenerint, omnes in plano ante infimum gradum, genuflectunt, & statim Celebrans, & Ministri Sacri prosternunt se, ponentes genua in plana terra, & brachia super cussinos circa finem Nonæ per aliquem ministrum super infimum Altaris gradum positos, & sic prostrati orant quasi ultra spatium unius *Miserere*. Orant etiam aliquantulum cum eis Acolythi, sed hi citius cæteris surgunt, & iterum genuflectunt Cruci unico genu, & sumunt de Credentia tobaleam, seu mappam oblongam, eamque extendunt super Altare, ita ut parum solum a lateribus pendeat, & a parte anteriori: Thuriferarius collocat Missale apertum cum cussino nigro super cornu Epistolæ, & postea ipse, vel Acolythus aliquis monet voce submissa, vel aliquo potius nutu Celebrantem, & Ministros Sacros, ut surgant ab Oratione. Eodem tempore quo Celebrans se prosternit, etiam omnes in Choro, & populus per Ecclesiam, genuflexi orant inclinato capite.

5. Postquam Celebrans cum Sacris Ministris surrexerint ab Oratione, statim ascendunt ad Altare, quod Celebrans osculatur in medio, genuflectentibus Sacris Ministris, qui una cum Celebrante mox transeunt ad cornu Epistolæ, & ibi ita se constituunt, ut Celebrans sit in Suppedaneo, Diaconus in secundo gradu a dextris Celebrantis, & Subdiaconus in tertio, vel in plano a dextris Diaconi, sicuti ad Introitum Missæ. Celebrans submissa voce legit Prophetiam: *Hæc dicit Dominus*, qua finita non respondetur *Deo gratias*, sed Celebrans ulterius legit sequentem Tractum. Interim Thuriferarius, vel Acolythus, non vero Subdiaconus, accepto Missali, & præmissa genuflexione Cruci ante Altaris medium, eandem Prophetiam cantat in loco, ubi cantari solet.

solet Epistola, in tono lectionis, & illa finita redit ad Altaris medium, ubi facta genuflexione Cruci; pergit ad deponendum Missale, non osculata manu Celebrantis, nec ab eo benedictione recepta.

6. Decantata Prophetia, in Choro cantatur Tractus, Ministri recedunt a latere dextro Celebrantis, & descendunt unus post alium retro Celebrantem: finito cantu in Choro Celebrans dicit in cantu feriali: *Oremus*, & mox Diaconus *Flectamus genua*, & hæc cantans, primus omnium genuflectit utroque genu, & similiter omnes alii, etiam in Choro genuflectunt utroque genu. Deinde Subdiaconus primus surgens dicit: *Levate*, quod semper in pari casu servari debet.

7. Hic quoque notandum est pro regula generali, quod quodocunque Celebrans solus sine Ministris Sacris celebrat, ipsemet Celebrans semper cantare debet: *Flectamus genua*, genuflectens ipse cum omnibus aliis, Celebrans quidem unico genu, reliqui vero omnes utroque genu: unus autem ex Acolythis primus surgens subjungit: *Levate*: & nullo modo practicandus est modus, quo a Celebrante cantato *Oremus*, Acolythus, vel alius assistens cantet: *Flectamus genua*, & Chorus: *Levate*.

8. Dicto a Subdiacono *Levate*, Celebrans, extensis de more manibus, cantat Orationem: Subdiaconus (si utatur Planeta eam deponit super Credentia) accepto Missali, & facta Altari in medio genuflexione, cantat (finita Oratione) in loco consveto Lectionem in tono Epistolæ, quam Celebrans simul cum Tractu legit submissa voce, assistente sibi Diacono a dextris, qui tamen in fine Lectionis non respondet *Deo gratias*. Subdiaconus vero finita Lectione, & facta iterum in medio Altari genuflexione, sine osculo manus Celebrantis, & absque ejusdem benedictione, tradit Acolytho Missale (si utatur Planeta, eam reassumit) & redit ad Celebrantem, assistens ei ad dextram Diaconi; & in Choro

cantatur Tractus: non est tamen necesse, ut decantentur omnes versus, sed sufficit, si cantentur aliqui. Interim Diaconi Passionis progrediuntur e Sacristia.

9. Passio cantatur sicut in Dominica Palmarum, excepto quod Palmæ a nullo teneantur. Celebrans cum Ministris, dum Evangelista Passionis cantat: *Tradidit Spiritum*, eodem modo ut in Dominica Palmarum, flectunt ante medium Altaris in Suppedaneo, sed postea surgens redit iterum ad cornu Epistolæ, & ibi inclinatus versus Crucem dicit: *Munda cor meum* &c., non dicit tamen, *Fube Domine* &c. quia benedictio hac die non petitur, ut clare habetur in Missali, & legit ultimam partem Passionis.

10. Deinde Diaconus (si utatur Planeta plicata, eam deponit super Credentia, & accipit Stolum latiore nigram, quam non deponit, nec Planetam reassumit, nisi in fine totius Officii) accepto Missali, illud portat cum debita genuflexione ad Altare, & genuflexus in loco solito Missæ Solemnis, dicit: *Munda cor meum* &c., postea non petita benedictione, nec imposito incensu in thuribulo, accipit Missale de Altari, & more solito vadit ad cornu Evangelii, ubi Subdiacono tenente librum, & Ceroferariis hinc inde assistentibus manibus junctis sine candelabris, cantat in tono Evangelii reliquam Passionis partem, non præmissa *Dominus vobiscum*, & omissis tum incensatione libri, tum signo ipsius libri, & sui ipsius. Celebrans stat in cornu Epistolæ conversa facie ad Diaconum. Absoluta prædicta parte Passionis, Subdiaconus statim claudit librum, illumque tradit Acolythis, absque eo, quod eundem portet osculandum Celebranti, qui nec incensatur a Diacono; sed Sacri Ministri, factis debitis reverentiis Altari, accedunt ad Celebrantem, & retro post eum stant unus post alium, ut ad Orationem Missæ Solemnis.

11. Celebrans stans in cornu Epistolæ, incipit absolute junctis manibus primam Monitionem: *Oremus dilectissimi*  
mi

*mi &c.*, ut in Missali, eaque finita, extendens, & jungens manus, & caput inclinans Cruci, subjunget: *Oremus*: Subdit vero Diaconus *Flectamus genua*, & Subdiaconus, *Levate*, eo modo, ut supra dictum est; & statim Celebrans cantat primam Orationem expansis manibus in tono Orationis Missæ Ferialis; ac in eodem tono, & ritu cantabit reliquas Orationes, & Monitiones, nempe extensis manibus Orationes, Monitiones vero junctis manibus, & eodem cantu quo primam.

12. Ad nomen Papæ omnes caput modicum inclinant. Si Imperator nondum sit coronatus, additur in Monitione, *Electo*, ut habetur in Missali. Si vero Imperator sit defunctus, & Imperium sit vacans, tunc loco Imperatoris dicantur hæc verba: *Oremus pro Romano Imperio ut Deus &c.*

## C A P U T XIII.

D E

### DENUATIONE, ET ADORATIONE CRUCIS IN PARASCEVE.

I. **D**um dicuntur ultimæ Orationes, Acolythi extendunt tapetem, seu pannum violaceum ante gradus Altaris, & super illud cussinum, pro locanda Cruce super eum. Celebrans vero cantatis Orationibus, descendit extra cornu Epistolæ, ubi adjuvante aliquo Acolytho, deponit Planetam; Subdiaconus pariter in eodem cornu Epistolæ extra Altare deponit suam Planetam plicatam, juxta communiorem usum Ecclesiarum, & præscriptum Rubricæ. Quia vero in majoribus Ecclesiis nostris, ubi non est introductus usus Planetarum plicatarum, diebus in Rubrica Missalis præscriptis, loco earum solent Ministri Sacri uti Dalmaticis, convenit omnino, ut hodie ad denudationem, & adorationem Crucis, dum Celebrans suam deponit Planetam, etiam Ministri Sacri

Dalmaticas deponant; & postea antequam pergant ad Crucis adorationem, debent etiam Manipulos deponere, juxta sequens Decretum S. Rit. Congr. *In adoratione Crucis Feria VI. in Parasceve debent Celebrans, & Ministri deponere etiam Manipulos.* S. R. C. 15. Sept. 1736.

2. Postmodum Celebrans medius inter Sacros Ministros accedit ad angulum posteriorem cornu Altaris, in parte Epistolæ, ut sit quasi collateralis candelabris super Altare positus, ibique se collocat in secundo gradu, convertens faciem ad populum; & statim Diaconus, relicto ibi Celebrante cum Subdiacono ad ejus sinistris, procedit ad Altare, ubi facta Cruci genuflexione unico genu; eam devote de Altari sumit, quam Crucem suo velo nigro coopertam portat ad Celebrantem, & illam eidem, facie Crucifixi ad populum versa ad manus sine osculis tradit.

3. Celebrans devote accepta Cruce, stans in prædicto loco in medio Diaconi a dextris, & Subdiaconi a sinistris ejus (qui stant conversa facie ad se invicem, & ad Crucem) tenens sinistra manu Crucem, manu dextra illius summitatem discooperit usque ad ejusdem Crucis lignum transversum; ita tamen ut Crucifixi caput non appareat, adjuvantibus illum Ministris Sacris, si opus sit. Interim accedit ad Celebrantem Thuriferarius, cum debitis reverentiis, deferens Missale, quod apertum tenet ante eum, stans renibus conversus ad populum.

4. Discooperita summitate illa Crucis, Celebrans ambabus manibus Crucem reverenter elevans ad altitudinem oculorum, eam populo ostendit, ac voce gravi aliquantulum demissa (ut secundo, & tertio altius cantare possit citra indecentiam) ex Missali sustentato a Thuriferario incipit solus in cantu secundum notas in Missali appositas Antiphonam: *Ecce lignum Crucis:* stantibus omnibus nudo capite; quam Antiphonam, ut supra, a Celebrante inchoatam, non solum Ministri Sacri, sed etiam Acolyths Officio inservientes,  
&

si opus fuerit, accedat etiam aliquis Cantor, prosequuntur simul cum eodem Celebrante: *In quo Salus mundi pependit*, & non ulterius: quibus verbis cantatis Chorus solus respondet: *Venite adoremus*, quo tempore omnes, etiam Diaconus, & Subdiaconus genuflectunt utroque genu, capite etiam (qui actu non cantant) profunde inclinato, excepto solo Celebrante, qui semper stat.

5. Cantatis prædictis verbis a Choro, omnes surgunt, & Celebrans accedit ad partem anteriorem anguli ejusdem cornu Epistolæ, ubi scilicet dici solet Introitus Missæ, ibique stans medius inter Diaconum stantem a dextris super suppedaneum Altaris, & Subdiaconum a sinistris super gradum proximiorum suppedaneo, & adjuvantibus Ministris Sacris, si opus sit, discooperit dextrum brachium Crucis, detegens etiam caput figuræ Crucifixi: deinde Crucem paulo altius, quam prius, ambabus manibus elevat, & voce etiam altiori, quam prima vice, repetit Antiphonam: *Ecce lignum Crucis*, & eam cum Celebrante prosequuntur omnes Ministri, ut supra, stantibus omnibus. Postea iterum solus Chorus altius quam prima vice cantat: *Venite adoremus*, ac omnes genuflectunt præter Celebrantem, ut supra.

6. Deinde iterum omnes surgunt, & Celebrans cum Ministris procedit ante medium Altaris, & stans ut supra, versus populum inter Sacros Ministros, totam discooperit Crucem, velum tradens Subdiacono, & hic Acolytho, qui illud deponit super Credentiam. Discooperta tota Cruce, eam Celebrans tenens ambabus manibus, altius elevat quam primo, & secundo: ac tertio etiam altiori voce cantat Antiph: *Ecce lignum Crucis*, & cum eo Ministri ut supra prosequuntur; postmodum iterum solus Chorus similiter cantat: *Venite adoremus*, omnibus genuflexis utroque genu.

7. Postea omnes remanent genuflexi in eodem loco, nempe Ministri Sacri super Suppedaneum, manibus junctis ante pectus, facie versa ad populum, Clericus de libro, quem

quem claudit, & Acolythi se convertunt versus Crucem, & cæteri omnes de Choro manent genuflexi in loco suo facie versa quasi ad Crucem, pariter manibus junctis. Solus Celebrans finito a Choro: *Venite adoremus*, sine ulla reverentia facta Altari, Crucem ambabus manibus elevatam devote portat ad locum præparatum, tenens faciem Crucifixi conversam ad populum, & eam reverenter collocat super extensum pannum, & cussinum, ita ut caput Crucifixi sit versus Altare, pedes autem versus populum. Eodem tempore omnes Cruces, quæ sunt per Ecclesiam, non autem aliæ Imagines, denudantur a Sacrista, vel ab aliis, si commode fieri potest.

8. Celebrans collocata ut supra Cruce, surgit, & etiam omnes alii surgunt; Celebrans facta genuflexione Crucis unico genu, recedit versus Altare ad latus Epistolæ. Ministri Sacri, Thuriferarius, & Acolythi, facta genuflexione versus Crucem unico genu, accedunt quoque ad latus Epistolæ ad Celebrantem, ad cujus latera stant hinc inde versa facie ad Crucem: Celebrans deponit Manipulum, & adjuvante Thuriferario, si opus sit, deponit crepidas, seu Sandalia; quibus depositis, solus manibus junctis procedit per planum devote oculis demissis, ad Crucis adorationem: & quia trina genuflexione hanc adorationem perficere debet, ideo primam genuflexionem faciat in loco designato ita a Cruce adoranda distante, ut inter unam genuflexionem, & aliam æqualis distantia intercedat.

9. Genuflexus igitur utroque genu in primo loco Celebrans, faciat primam adorationem manibus junctis, capite etiam profunde inclinato, & secreto dicens: *Adoramus te Christe, & benedicimus tibi, quia per Sanctam Crucem tuam redemisti mundum.* Deinde surgens accedat ad locum, ubi secundo genuflectendum est, & ibi præstabit, quod in prima adoratione: postea progrediens ulterius accedat prope ipsam Crucem, ubi idipsam faciet, & finita illa Oratiuncula: *Ado-*  
ramus

*ramus te &c.*, adhuc genuflexus Crucem osculatur. (Qua in parte Crux osculanda sit, Rubrica non explicat; Gavantus in membris pluribus sentire videtur; sed discedendum non esse, ait Cavalieri, & Merati, a Braulion, Bisso, & Bauldry, aliisque, qui solos pedes, ob majorem humilitatem, osculandos statuunt: quod si plura membra osculari placeat, puta quinque vulnera, saltem ob reverentiam certe abstinendum est ab oris osculo) Hoc facto surgit Celebrans, & in eodem loco facta nova genuflexione Cruci unico genu, statim per viam breviorē redit ante cornu Epistolæ, & ibi adjuvante Thuriferario resumit crepidas, vel Sandalia; deinde Manipulum, & Planetam: postmodum accedit ad Altare, ubi stans in cornu Epistolæ, expectat Ministros Sacros, quousque ad eum redierint post adorationem Crucis ab ipsis factam.

10. Peracta adoratione a Celebrante, Ministri Sacri, depositis prius Manipulis, & crepidis, procedunt ambo simul ad Crucis adorationem manibus junctis, ter genuflectendo utroque genu in locis designatis, & capite profunde inclinato ad quamlibet genuflexionem secreto orando: *Adoramus te Christe &c.*, observantes etiam ut ad tertiam genuflexionem unus sit ex una parte, alius ex alia, quasi in medio Crucem habentes; Crucem autem prius osculetur Diaconus, deinde Subdiaconus: postea ambo simul surgant, & iterum simul genuflectant Cruci unico genu, & ambo modeste redeunt ad locum, ubi deposuerunt calceamenta, eademque reassumunt, & etiam Manipulos, & Dalmaticas, si iis tunc utantur; si vero utantur Planetis plicatis, eam Subdiaconus reassumit, non vero Diaconus. Deinde accedunt ad Celebrantem stantem in cornu Epistolæ, Diaconus se sistit ad dextram Celebrantis, Subdiaconus vero ad dextram Diaconi, ut in Introitu Missæ, & Celebrans cum Ministris Sacris legit impropria, ut in Missali habentur.

11. Post Sacros Ministros succedunt alii ad adorationem Crucis Ministri; postea Seniores de Clero, deinde alii per ordinem, deponentes calceamenta sua, & semper bini accedant junctis manibus, oculis in terram demissis, terque genuflectentes utroque genu, & capita profunde inclinando orantes: *Adoramus te Christe, & benedicimus tibi, quia per Sanctam Crucem tuam redemisti mundum*: in iisdem locis, & eodem modo, quo Celebrans, & Sacri Ministri, ac post tertiam adorationem osculabuntur Crucifixum: deinde simul surgant, & iterum simul facta unica genuflexione Cruci unico genu, recedentes redeunt ad sua loca.

12. Ut autem in adoratione nulla interponatur mora, nec confusio suboriatu aliqua, & omnia commodius fiant, convenit, ut ante Officium tria loca designentur a Præfeto Chori, in quibus tres genuflexiones fieri debent. Deinde in ipsa adoratione hæc servantur: nimirum cum duo primi secunda vice genuflectunt, duo sequentes debent genuflectere prima vice; & quando illi genuflectunt tertia vice, hi genuflectant secunda vice; & cum illi osculata Cruce discedunt, isti genuflectent tertia vice: & sic alii, & alii deinceps, ita ut qui sequuntur, succedant præcedentibus sine mora, neque tamen; prius ab una genuflexione surgant, quam præcedentes discedant ab altera.

13. Post omnes Religiosos permittantur etiam eandem Crucem adorare Personæ sæculares, saltem insigniores, sed calceamenta sua non deponunt. Quod si magnus sit populi numerus, & concursus, auctores communiter asserunt cum Cavalieri *tom. 4. cap. 16. Decret. 7. num. 6.* ut pro aliis laicis extendatur in loco apto tapetum cum cussino, & aliquis Sacerdos indutus superpelliceo, & Stola nigra, illuc deferat Crucem aliam ab illis adorandam.

14. Statim dum incipit adoratio Crucis, Cantores incipiunt cantare impropria eodem modo, ac ordine, ut habentur

hentur in Missali, & Graduali: cantantur autem quousque fit adoratio: adeoque non est nec esse omnia cantare, sed solum tot, quod possunt cantari durante adoratione, & hac durante non fiat silentium.

## CAPUT XIV.

DE

### PROCESSIONE, ET RELIQUO OFFICIO, IN PARASCEVE.

1. Circa finem adorationis Thuriferarius sumpto lumine de Sacristia, accedit cum debitis revertiis ad Altare, & accendit sex candelas in eo positas. Diaconus vadit ad Credentiam, & de ea accipit præparatum Calicem cum Bursa Corporalium, & incluso in eo Corporali, & cum debitis revertiis accedit ad medium Altaris, ubi Calicem reponit extra medium in cornu Epistolæ, accipit Bursam, & ex ea extrahit Corporale, Bursam deponit inter candelabra in cornu Evangelii, explicat Corporale more solito in medio Altaris; deinde iterum accedit ad dextram Celebrantis, qui manet stans in eodem loco ut prius in cornu Epistolæ: & aliquis Acolythus defert Missale de cornu Epistolæ ad latus Evangelii, illudque reponit super cussinum prope Corporale, apertum.

2. Eodem tempore paratur in Sacristia alius Subdiaconus sine Manipulo, vel in hujus defectu aliquis Clericus superpelliceo indutus pro deferenda Cruce Processionali, ut dictum est supra cap. 9. num. 10. In Altari ubi asservatur SS. Sacramentum, accendantur candelæ; sicut etiam candelæ Ceroferariorum accendantur. Item aliæ candelæ (ex cera alba quantum fieri potest) distribuuntur Religiosis pro Processione.

3. Finita adoratione, Diaconus facta reverentia Celebranti, accedit ad locum, ubi est Crux, cui facta genuflexione unico genu, reverenter illam capit, & ambabus manibus eandem usque ad oculos elevatam, nulli reverentiam faciens, reportat illam (ut præscribit Rubrica) ad Altare, ubi in suo loco, adjuvante Sacrista, vel Thuriferario, si opus sit, illam collocat inter candelabra: Celebrans verum cum Subdiacono faciem convertunt ad Crucem, & dum Diaconus cum Cruce ante illos transit, genuflectunt unico genu, & dum Diaconus Crucem collocat super Altare, Celebrans descendit in planum, & accedit præcedente Subdiacono ante medium Altaris. Diaconus reposita Cruce in Altari, facta genuflexione, descendit ad dextram Celebrantis.

4. Deinde fit Processio ad locum, ubi asservatur SS. Sacramentum: præcedit primus omnium Thuriferarius (in Conventibus majoribus debent juxta Rubricam Missalis esse duo Thuriferarii) postea ille alius Subdiaconus, & in ejus defectu alius indutus superpelliceo, deferens Crucem, medius inter duos Ceroferios cum candelabris, & candelis accensis; deinde alii Religiosi bini, & bini juxta suum ordinem: postea procedit (facta ab omnibus genuflectione Cruci Altaris unico genu) Subdiaconus, quem sequitur Diaconus, & ultimo Celebrans junctis manibus. Cum perventum fuerit ad locum SS. Sacramenti, Cruciferarius, & Ceroferarii sistunt se, uti præcedenti die, e regione Altaris, & ibi stant immobiles, nec unquam genuflectunt. Thuriferarii vero statim ac Sacellum ingressi fuerint, genuflectunt utroque genu, & profunde se inclinant, deinde accedunt ad Altare, & hinc inde genuflexi manent; si vero sit tantum unus Thuriferarius, is genuflectit in cornu Epistolæ. Clerus, facta itidem genuflexione, & inclinatione, hinc inde se collocant; juniores prope Crucem, Seniores prope Altare, ut dictum est præcedenti Feria. Ministri Sacri, & Celebrans in suo adventu quoque simul flectunt utroque genu cum profunda inclinatione,

clinatione, deinde surgunt, & accedentes genuflectunt in infimo gradu Altaris, & omnes sic genuflexi aliquantulum orant devote in silentio. Interim accenduntur candelæ in Processione deferendæ, nec non intortitia, seu faces deferendæ penes SS. Saamentum, quæ faces sicut & candelæ in manibus Fratrum non extinguuntur, nisi postquam Sanctissimum repositum fuerit in Sepulchro. In Ecclesia vero per hoc tempus remanet aliquis ad Altare pro custodia.

5. Finita Oratione quasi per spatium unius *Miserere*, solus Diaconus surgit, & ascendit ad Altare, ubi facta genuflexione unico genu, aperit capsulam, iterum genuflectit, & descendit ad dextram Celebrantis. Deinde eodem modo, ut dictum est Feria præcedenti ante Processionem, Celebrans surgit, imponit incensum sine benedictione, & genuflexus incensat Sanctissimum, & reddit thuribulum Diacono, & hic Thuriferario. Mox per Sacros Ministros imponitur humeris Celebrantis velum oblongum, quod etiam hodie debet esse coloris albi, juxta Decretum Clementis XII. editum 1. Septembr. 1736. in Instructione pro precibus quadraginta horarum §. 18. his verbis: *Velum tamen humerale erit albi coloris in quocunque casu, quo SS. Sacramentum deferri contigerit, etiam die Parasceves.* Deinde Diaconus accedit ad Altare, & facta genuflexione unico genu, extrahit Calicem, seu Pyxidem de capsula, & eam tradit Celebranti genuflexo in supremo gradu, si sint plures gradus, omniaque illa exacte observentur, quæ observanda esse Feria præcedenti dictum est supra cap. 10. num 4. exceptis solum iis, quæ ibi dicta sunt de elevatione fimbriarum Pluvialis, cum hodie Celebrans sit paratus Planeta.

6. Statim ac Celebrans cum SS. Sacramento conversus est ad populum, Cantores adhuc genuflexi incipiunt Hymnum: *Vexilla Regis prodeunt*, & continuo omnes surgunt, & Sacramento facta genuflexione unico genu, prosequentes eundem Hymnum, processionaliter progrediuntur ad Altare

majus, eodem prorsus ordine, & ritu, quo hesternā die venerunt ad Altare Sacelli. Ante Altare majus iterum Clerus dividitur in duas partes, & genuflexi ordine suo tenent candelas ardentes in manibus, nec eas extinguunt, nisi post sequentem Processionem SS. Sacramentum repositum fuerit in Sepulchro.

7. Postquam Celebrans cum SS. Sacramento ad Altare pervenerit, ibi eodem modo, ordine, & ritu, ut dictum est supra *cap. 10. num. 7. & 8.* Feria præcedenti ante Altare in loco parato; Celebrans Sacramentum tradit Diacono genuflexo utroque genu in suppedaneo; mox ab humeris Celebrantis auferitur velum; Diaconus surgit, & reponit Pyxidem in medio Altaris super Corporale; descendit ad Celebrantem, qui imponit incensum in thuribulo, & incensat SS. Sacramentum.

8. Incensato SS. Sacramento, Celebrans cum Ministris surgit, & ascendit ad Altare, ibi facta ab omnibus genuflexione unico genu, Diaconus discooperit Pyxidem, & reponit cooperculum super Altare, ac iterum omnes genuflectunt unico genu: mox Diaconus de Calice stante ex parte cornu Epistolæ, primo deponit Pallam ex Patena, quam Patenam accipit, eamque sustinet aliquantis per elevatam ante Celebrantem, qui ex Pyxide extrahit Sacram Hostiam, & deponit super Patenam, ac statim digitos abluit in vase ad id præparato, & Purificatorio abstergit, subministrante Subdiacono prædictum vas, & Purificatorium. Deinde Celebrans accipit a Diacono Patenam cum S. Hostia, Diaconus statim cooperit Pyxidem, & eam removet, & ponit super Corporale retro versus tabellam Secretarum. Celebrans vero deponit S. Hostiam in medio Corporalis, Patenam vero deinde non collocat, ut alias subtus, sed super Corporale, ob reverentiam Sacrarum specierum, quas tetigit, & quarum fragmentum aliquod potest in ea esse relictum. Interim Subdiaconus transit ad dextram Diaconi; Diaconus imponit

ponit vinum in Calice, & postea Subdiaconus parum aquæ, non petens benedictionem a Celebrante, neque iste dicit Orationem: *Deus qui humanæ substantiæ*, Diaconus statim sine osculis tradit Calicem Celebranti, qui nihil dicens, neque formans Crucem cum Calice, illum deponit super Corporale post Hostiam, ut in Missa, & Diaconus illum Palla cooperit, nulla facta genuflexione.

9. Subdiaconus, qui hodie Patenam, non sustinet, post infusionem aquæ transit cum debitis genuflexionibus ad sinistram Celebrantis, qui stans ante Altare, ut in Missa, imponit incensam in thuribulo, sine tamen benedictione, & nihil dicendo; omnia oscula pariter omittuntur. Deinde Celebrans accepto thuribulo, genuflectit simul cum Sacris Ministris unico genu, & surgens incensat Oblato, & Altare more solito; de qua incensatione exstat sequens S. Rit. Congr. Decretum. *In Feria sexta Parasceves thurificanda sunt oblata, sed post thurificationem oblatorum non est iterum thurificandum Sacramentum, ob cuius tamen præsentiam non est omittenda thurificatio Crucis, sed Crux, & Altare thurificanda sunt eodem prorsus modo, quo fit in aliis Missis, non omissis debitis genuflexionibus transeundo ante SS. Sacramentum.* S. R. C. 5. Julii 1696.

10. Postea cætera præstat Celebrans, ut notantur in Missali, quod Celebrans habet ante oculos, & Diaconus ibi assistit. Hæc tamen observanda occurrunt, quod quando Celebrans elevat S. Hostiam sola manu dextra, eam elevat altius solito, juxta Cæremon. Episc. lib. 2. cap. 26. ita ut ab omnibus videri commode queat, figens semper in eam oculos, & advertens ne Corporalis limites tunc excedat. Patenam vero non elevat, sed eam super Corporale manu sinistra tenet. Diaconus, & Subdiaconus ante elevationem hinc inde genuflectunt in suppedaneo, non tamen elevant Planetam Celebrantis, nec Hostia ab aliquo incensatur, sed solum cum crotalo datur signum ad advertendum populum. Ulterius

rius observandum S. R. Congr. Decretum. *Celebrans in Parasceve mittat Particulam in Calicem sine aliquo Crucis signo, neque se signat cum Calice.* S. R. C. 28. August. 1627.

11. Sumpta S. Hostia, Celebrans se erigit, & manibus ante pectus junctis, aliquantulum quiescit in meditatione SS. Sacramenti. Mox Subdiaconus Calicem detegit, & facta ab omnibus genuflexione ob Particulam Hostiæ consecratæ in Calice existentem, Celebrans fragmenta de more colligit, extergit Patenam super Calicem, & deinde statim, omissis omnibus, quæ dici solent ante sumptionem Sangvinis, Patenam supponit mento, & non signat se cum Calice, sumit reverenter ex Calice cum vino, & aqua existente in Calice, Particulam Hostiæ consecratæ. Et non sumit hac die primam purificationem, sed statim accipit Calicem ambabus manibus, pollices, & indices conjunctos super os Calicis tenens, eos abluit, infundente Subdiacono vinum, & aquam, & exterfis de more digitis, sumit abluitionem in medio Altaris, ut alias. Deinde inclinatus, & manibus ante pectus junctis, non tamen super Altare positus, dicit: *Quod ore sumpsimus.* Interim Subdiaconus Calicem extergit Purificatorio, illum cooperit, & tradit illum alicui in Sacris constituto, qui illum deferat ad Credentiam, vel etiam statim ad Sacristiam.

12. Tandem iterum instituitur Processio cum SS. Sacramento, & juxta consuetudinem Ecclesiarum hujus Regni Sanctissimum defertur ad Sepulchrum, quæ Processio peragi quoque debet eodem modo, ritu, & ordine, prout præteritæ, hesternæ nempe ab Altari ad locum præparatum, & hodierna a loco præparato ad Altare factæ sunt: per viam cantatur Hymnus: *Pange Lingua.* Postquam Processio venit ante Sepulchrum, Diaconus genuflexus, ut supra dictum est, Sacram Pyxidem recipit de manu Celebrantis, & surgens illam defert ad ostium Sepulchri; ubi eam eodem ritu tradit Sacristæ, vel alio Sacerdoti superpelliceo, & Stola

la nigra vestito, qui illam deportat ad Sepulchrum; iste vero debet habere ad manum omnia necessaria ad abluendos, & extergendos digitos, postquam tetigerit S. Hostiam, illam extrahendo de Pyxide, & imponendo Ostensorio. Penes Ostensorium etiam reponit Pyxidem cum Particulis consecratis, in loco ibidem debite præparato. Diaconus tradita Pyxide illi Sacerdoti (qui erectus paululum subsistit, donec Diaconus in eodem loco genuflexus adoraverit SS. Sacramentum) reversus genuflectit ad dextram Celebrantis: & postquam SS. Sacramentum debite collocatum fuerit in Sepulchro, Celebrans eodem modo ut supra imponit incensum in thuribulo, & SS. Sacramentum incensat; facta incensatione Celebrans cum Ministris adhuc aliquantulum orat, & postea cum illis silentio recedit in Sacristiam.

13. Supradictis omnibus explicatis, omnes vadunt ad Chorum, & ibi, non ante Sepulchrum dicuntur Vesperæ, candelis super Altare accensis. Completorium tamen suo tempore dicitur candelis extinctis. Finitis Vesperis datur Crotalo signum pro Salutatione Angelica.

## CAPUT XV.

DE

### SABBATO SANCTO.

1. Summo mane mundatur Ecclesia, & pulchre ornatur, Operiuntur Altaria albis Paramentis pretiosioribus. Altare majus vestiatur duplici pallio, seu Antependio interiori quidem albo pretioso, & exteriori violaceo, quod facile amoveri possit circa finem Litaniarum: super Altare ponantur saltem sex candelabra pretiosiora cum cereis albis, accendendis tantum ad Missam solemnem: Altaria vero minor, si commode non possunt ornari duplici pallio, ornentur statim albo, etiam ante Officium.

Mm

2. Tem-

2. Tempore oportuno dicantur in Choro Horæ Canonice candelis extinctis; nam ante benedictionem novi ignis, tam candelæ Altaris, quam lampades Ecclesiæ manent extinctæ. In Sepulchro tamen Domini ante SS. Sacramentum, duæ saltem lampades ardentes remaneant, quæ non prius extinguantur, donec aliæ lampades novo igne benedicto accensæ, per Sacristam, aut alium allatæ substituantur.

3. Ante Altare a latere Evangelii præparetur candelabrum magnum pro Cereo Paschali sustinendo; item pes ligneus, vel lapideus ad sustinendam Arundinem: Legile, seu parvum pulpitem, velo albo tectum, ad Præconium, super quod legile ponatur Missale clausum: & præterea novæ lampades suo tempore accendendæ novo igne benedicto.

4. Cereus Paschalis imponatur suo candelabra, cujus ellychnium ungetur oleo, ut facilius accendi possit; sint etiam in eo facta, cum ferro calido, quinque foramina in modum Crucis, pro infingendis in eo granis incensi.

5. In Sacristia præparentur Paramenta alba Solemniora pro Missa: pro Officio autem Pluviale, Planeta: Stola, & Manipulus violacei coloris pro Celebrante: Dalmaticæ, seu juxta Rubricas Missalis Planetæ plicatæ, Stola, & duo Manipuli ejusdem coloris violacei pro Ministris Sacris. Item alia Dalmatica cum Stola, & Manipulo albi coloris a Diacono assumenda post benedictionem granorum.

6. Præparetur item Arundo cum tribus candelis ceræ albæ in ejus cuspidè positis. Docent vero communiter Auctores juxta Cæremoniale Episcoporum *lib. 2. cap. 27.* hanc Arundinem non debere esse tanquam candelabrum triangulare, aut veluti tria cornua copiæ; sed tantum in unica simplice cuspidè debet habere infixas tres candelas ceræ albæ ponderis quatuor, aut quinque unciarum, & quæ infimæ sui parte desinant in unam candelam, ita ut infimæ partes sint invicem contortæ, & quasi circumvolutæ, & postea  
 distin-

distingvantur in tres quasi Ramos ex eodem trunco nascentes, æqualiter inter se distantes; & desinentes in triangulum, ad denotandum Mysterium SS. Trinitatis, & Unitatis. Ita Cæremoniale Episcop. *lib. 2. cap. 27.* Gavantus, Bauldry, Merati, & alii. Altitudo vero Arundinis debet esse decem circiter palmorum.

7. Uterius in eadem Sacristia paretur pelvis, ex pulchra aliqua materia, in qua sint quinque grana incensi, quæ grana incensi non debent esse ex sola cera, sed ex thure in modum nucis pineæ elaborata, clavisque ferreis suffulta, & in extremitate inaurata, modo tamen plus thuris, quam alterius rei appareat. Item adsit Crux Processionalis; Thuribulum sine carbonibus cum navicula. Tres cussini capitibus Celebrantis, & Ministrorum suo tempore supponendi. Similiter scabellum cum Missali ad cantandas suo tempore Litanias.

8. Extra Ecclesiam in loco congruo, juxta usum, & consuetudinem Ecclesiarum hujus Regni, parentur ligna sicca, seu vepres, suppositis illis etiam aridis carbonibus, qui postea inflammati a novo igne possint imponi in thuribulum. Et ubi non habetur fons baptismalis, collocatur circa eundem locum vas amplum impletum aqua benedicenda pro domibus Fidelium. Ante prædicta ponatur parva mensa, in cujus medio collocetur Dalmatica, Stola, & Manipulus coloris albi, assumenda a Diacono post benedictionem granorum incensi: in uno latere ejusdem mensæ ponatur pelvicula cum Sale exorcizando pro aqua benedicenda. In altero latere ponatur ahænulum, seu vas consuetum pro aqua benedicta, vacuum tamen, sed postea mox implendum aqua noviter benedicta, cum asperforio. Adsint denique omnia necessaria ad succendendum novum ignem: unde etiam præsto sint ignitabulum ad excutiendum novum ignem; forcipes ferrei ad imponendos carbones in thuribulum: laterna ad includendum cereolum accensum novo igne, ne vento extingvatur

## CAPUT XVI.

DE

PROCESSIONE AD LOCUM NOVI IGNIS,  
ET BENEDICTIONE EJUSDEM.

1. **P**aratis in Sacristia Celebrante, & Ministris suis respective Paramentis, sine Manipulis tamen, procedunt ad benedicendum novum ignem. Primo procedit Thuriferarius cum thuribulo vacuo, & navicula incensi, ad cujus sinistram incedit Acolythus portans Missale: deinde sequitur Subdiaconus cum Cruce medius inter duos Acolythos, quorum unus portat pelvim cum quinque granis incensi, alter portat Arundinem cum tribus candelis: postea subsequuntur alii Religiosi processionaliter bini, & bini secundum suum ordinem; denique Celebrans cum Diacono a sinistris, junctis manibus, & omnes nudo capite, excepto Celebrante; & facta Cruci Altari genuflexione unico genu, excepto Celebrante, & Subdiacono cum Cruce, dum transeunt ante Altare majus. Dalmatica, Stola, & Manipulus coloris albi, pro Diacono postmodum ornando, si non fuerint jam antea collocata in suprascripta mensa, deferuntur ab aliquo Fratre. Cereus vero Paschalis remanet in Ecclesia positus super suum candelabrum; hic enim non est in Processione deferendus, cum nullus Auctor quidquam tradat de hoc Cereo in Processione gestando.

2. Cum Processio pervenerit ad locum designatum, Subdiaconus stat ante portam Ecclesiæ, ei renes vertens, faciem vero suam, & Crucifixi Imaginem vertat ad Celebrantem; Clerus autem hinc inde disponitur, ita ut juniores sint Cruci viciniore, & Seniores Celebranti: qui Celebrans se collocat post vas aqua repletum, facie ad portam Ecclesiæ, & Crucem conversa: a dextris Celebrantis stat Diaconus, & ad dextram Diaconi Acolythus cum Arundine; & a Sinistris Cele-

Celebrantis stat Acolythus, qui deferebat grana incensi; sed hic statim deponit pelvim cum granis incensi super mensam, & accipit pelviculam cum Sale, quam postea, immisso a Celebrante Sale in aquam, iterum, reponit, & reassumit pelvim cum granis incensi: ante Celebrantem vero stat Acolythus cum Missali aperto.

3. Ignis novus de silice excutitur, & apposita ligna, seu vepres accenduntur. Celebrans vero stans coram vase aqua repleto, aquam benedicit communi benedictione, quæ habetur in fine Missalis: Orationes legit manibus junctis, librum tenente ante eum Acolytho; Diaconus stans a dextris Celebrantis elevat fimbriam Pluvialis. Finita benedictione aquæ, statim eadem aqua impletur abænulum. Celebrans se confert ad benedicendum novum ignem ut in Missali, observet autem, ut semper sit facie conversus ad Crucem Subdiaconi. Igne novo benedicto, accedit statim Acolythus tenens quinque grana incensi in pelvi, elevata ad pectus ante Celebrantem, qui absolute sine *Oremus*, incipit benedictionem eorundem. Et interim Thuriferarius cum forcipibus carbones benedictos ignitos ponit in thuribulo; & alius accendit cereolum de novo igne, & recludit in laterna, ne vento extingvatur.

4. Finita benedictione granorum accedit Thuriferarius cum thuribulo, & navicula ad Celebrantem, qui imponit, & benedicit thus more solito, ministrante Diacono naviculam cum osculis, & reddita navicula Diaconus accipit sibi ab aliquo porrectum aspersorium, illudque tradit Celebranti, qui ter aspergit grana incensi, & postea ter novum ignem, in medio, a dextris, & a sinistris eorum, dicens Antiph: *Asperges me* &c., sine cantu, & sine Psalmo; deinde reddito aspersorio, & accepto thuribulo, cum debitis semper osculis a Diacono præstandis, ter incensat prædicta, eo modo quo asperfit.

5. Post incensationem ignis Diaconus deponit Paramenta violacea, & induitur Manipulo, Stola, & Dalmatica albi coloris, nihil dicens. Postea Celebrans iterum imponit, & benedicit thus in thuribulo, ministrante Diacono naviculam, pro Processione faciendam, & quidem in ea quantitate thus imponit, quæ sufficere valeat etiam pro incensando libro, antequam post Processionem Diaconus cantet Præconium. Tandem Diaconus reddita navicula Thuriferario, accipit Arundinem cum tribus candelis: & ille Acolythus, qui tenebat Arundinem, accipit laternam cum incluso cereolo de novo igne accenso.

6. Deinde ordinatur Processio hoc modo. Præcedit Thuriferarius cum thuribulo fumigante, ad cuius sinistram incedit Acolythus portans Missale, post hos sequitur Subdiaconus cum Cruce sine Ceroferariis, qui observare debet, ut oportune, & loco convenienti se sistat, dum Diaconus dicturus est *Lumen Christi*, & pro hoc Acolythus portans Missale advertet Diaconum, quando hic se sistit, & de eo Subdiaconum admonebit. Post Subdiaconum incedunt Religiosi bini, & bini per ordinem; postea Diaconus cum Arundine, quem tamen immediate præcedunt duo Acolythi, a dextris ille, qui defert grana incensi; a sinistris qui defert laternam cum candela accensa de novo igne. Ultimus omnium procedit Celebrans manibus junctis.

7. Postquam Diaconus fuerit ingressus Ecclesiam, & post eum etiam Celebrans, sistunt se omnes: Diaconus inclinatur Arundinem, & Acolythus deferens cereolum accensum de novo igne, accendit unam ex tribus positis in cuspide Arundinis candelam; & mox Diaconus genuflectit, & omnes alii eum eo utroque genu (excepto solo Subdiacono cum Cruce, qui nunquam genuflectit) & eandem Arundinem elevans, solus voce gravi cantat: *Lumen Christi*, & Clerus adhuc genuflexus respondet eodem tono: *Deo gratias*, mox omnes surgunt, & procedunt ulterius, usque Diaconus perveniat

viniat ad medium Ecclesiæ; ibique per dictum Acolythum accenditur alia candela Arundinis, & Diaconus iterum genuflexus, & omnes alii cum eo utroque genu, altius elevat Arundinem, & altius etiam cantat: *Lumen Christi*, & Chorus eodem tono respondet: *Deo gratias*. Tertio procedit ante Altare, ibique accenditur tertia candela, & Diaconus rursus genuflexus cum omnibus aliis, altius elevat Arundinem, & altius cantat: *Lumen Christi*, & Chorus eodem tono respondet: *Deo gratias*.

8. Observandum etiam hic est, quod Subdiaconus quam primum pervenerit ante Altare, ibidem se sistit, & pariter omnes Religiosi post eum subsistunt, ita divisi ab invicem, ut per medium illorum procedere possint Acolythi, Diaconus, & Celebrans. Vasculum cum aqua benedicta, aspersorium, forcipes, & alia asportantur per aliquos ministros in Sacristiam. Paramenta vero violacea Diaconi reponuntur penes Altare in Credentia, ut finito Præconio ea statim Diaconus possit resumere.

9. Tertio responso a Choro: *Deo gratias*, omnes surgunt, Clerus factis debitis reverentiis Cruci, & Altari per unam genuflexionem unico genu, accedit ad locum suum in Choro. Acolythus qui portabat Missale, hoc reponit super Credentia, & statim se confert ad Cereum Paschalem stantem in suo candelabro, ibique persistit per totum Præconium: alter Acolythus, qui portabat laternam cum cereolo accenso, laternam tradit alicui Fratri, qui cereolum extingvit, & eum cum laterna ponit super, vel penes Credentiam; Acolythus vero remanet ad sinistram Diaconi. Subdiaconus cum Thuriferario recedit versus latus Evangelii: Celebrans ascendit ad Altare, osculatur illud de more in medio, & accedit ad cornu Epistolæ, ibique stat conversus ad Altare, donec benedicet Diaconum. Diaconus vero stans adhuc in plano dat Arundinem Acolytho, qui tenebat laternam cum cereolo, & accipit Missale de pulpito, seu legili.

## CAPUT XVII.

DE

## PRÆCONIO EXULTE.

I. **D**iaconus accepto Missali, genuflectit super infimum gradum in medio Altaris unico genu, deinde ascendit ad supremum gradum, ubi fere in medio super oram suppedanei genuflexus utroque genu, & non præmittens: *Mundacor meum*, petit absolute benedictionem a Celebrante facie ad eum versa dicens: *Fube Domine benedicere*, & Celebrans vertens se ad ipsum dicit: *Dominus sit in corde tuo* &c., ut in benedictione ad Evangelium; sed loco *Evangelium suum*, dicit: *suum Paschale præconium*, ut notatur in Missali. Dicens vero *in Nomine Patris* &c., format signum Crucis super Diaconum; manum tamen non ponit postea super librum, nec Diaconus eam osculatur, ut docent Merati, & Cavalieri juxta præscriptionem Cæremonialis Episcoporum *lib. 2. cap. 27. §. 9.*

2. Accepta benedictione Diaconus surgit, & descendit in planum, ubi in medio ante infimum gradum, una cum omnibus Ministris præter Cruciferarium, & Acolythum tenentem Arundinem, genuflectit unico genu, accendantque omnes ad cornu Evangelii, ubi se locant in linea recta hoc ordine. Diaconus stat in medio ante legile, seu parvum pulpitem, super quod ponit Missale; Subdiaconus cum Cruce stat ad dextram Diaconi, vertens faciem Crucifixi ad Celebrantem: a dextris Subdiaconi stat Thuriferarius. Jam vero a sinistris Diaconi stat Acolythus cum Arundine, & ad hujus sinistram alius Acolythus tenens quinque grana incensi: tertius vero Acolythus, ut dictum est, stat penes Cereum Paschalem: & sic omnes in linea recta stare debent, versa facie (juxta doctrinam Merati) ad Celebrantem, etiam ipse Diaconus, non vero renes vertere ad Celebrantem.

3. Omni-

3. Omnibus sic dispositis, Diaconus librum super legile positum aperit, & ter incensat ut ad Evangelium, ministrante thuribulum Thuriferario sine osculis, qui recepto thuribulo statim redit ad suum locum, thuribulum tradit alicui Fratri, qui illud reportet ad Sacristiam, & ipse stat junctis manibus a dextris Subdiaconi. Diaconus vero non signans librum, neque se ipsum, alta, & sonora voce, junctis manibus, incipit cantare Præconium: *Exultet Sc.*, & Celebrans statim se convertit ad Diaconum, & stat manibus junctis in latere Epistolæ, ut ad Evangelium.

4. Cum Diaconus ad illa verba pervenerit: *Et curvat imperia*, intermittit cantum, & simul cum Acolycho tenente grana incensi accedat ad Cereum Paschalem, quem Cereum ille alter Acolythus apud eum stans, deponit de candelabro, & Diaconus in eodem Cereo infigit quinque grana incensi in modum Crucis, ita ut primum granum in suprema parte, secundum in media, tertium in infima, quartum in dextra, & quintum in sinistra parte Cerei infigat: quo facto Acolythus Cereum iterum reponit super candelabrum; alter vero Acolythus de granis incensi accedat ad Credentiam, super quam deponat pelviculam, indeque accepto cereolo extincto ex laterna, protinus ad suum redibit locum, factis tamen ab omnibus semper debitis reverentiis Altari.

5. Diaconus infixis granis redeat ad legile, & prosequatur Præconii cantum: *In hujus igitur noctis*, & postquam dixerit illa verba: *Rutilans ignis accendit*, cessat a cantu, & Acolythus deponit Cereum Paschalem de candelabro, Diaconus vero inclinat Arundinem, & cum una ex tribus illius candelis Cereum Paschalem accendit; quo facto Acolythus rursus Cereum reponit super suum candelabrum, & Diaconus prosequitur cantare: *Qui licet sit divisus*, & cantatis illis verbis: *Apis mater eduxit*, iterum Diaconus aliquantulum a cantu cessat, & Acolythus parvum cereolum accendit ab una ex tribus candelis Arundinis, & cum hoc cereolo ac-

cendit lampades proximas, alias vero remotas lampades per Ecclesiam statim cum eodem igne accendit Sacrista, aut alius Frater. Accensis vero ab Acolytho duabus, aut tribus lampadibus proximioribus, Diaconus prosequitur cantum: *O vere beata nox.*

6. In fine benedictionis semper nominatur Papa vivens cum inclinatione capitis, sede autem Romana vacante omittuntur illa verba: *Una cum beatissimo &c.* Item exprimitur nomen proprii Episcopi Diœcesis, quod pariter omittitur Sede Episcopali vacante. Additur etiam nomen Imperatoris viventis: Imperio vero vacante ob mortem Imperatoris, ex dispositione Leonis X. & Alexandri VII dici debet: *Respice etiam ad Romanum Imperium, cujus tu Deus desiderii vota prænoscens &c.*

## C A P U T XVIII.

D E

### PROPHETIIS, ET LITANIIS.

I. **C**ompleta benedictione Cerei, id est cantato toto Præconio a Diacono, ipsemet Diaconus claudit librum, & in suo loco relinquit. Acolythus collocat Arundinem super basim suam non procul a Cereo Paschali: Subdiaconus tradit Crucem alicui Fratri, qui eam portat ad locum suum. Deinde Celebrans cum Ministris accedit ad mensam, seu Credentiam in latere Epistolæ, in qua posita sunt Paramenta violacea. Celebrans adjuvantibus Acolythis deponit Pluviale, accipit Manipulum, & Planetam: Diaconus pariter deponit Paramenta alba, & accipit violacea; Subdiaconus pariter accipit Manipulum suum, & accedunt ad Altare ad cornu Epistolæ: Unus Acolythus accipit Missale de Credentia, & illud ponit super Altare in cornu Epistolæ: alius vero Acolythus denudat pulpitem, in quo cantatum est Præconium.

conium, & sic nudum simul cum suo Missali collocat in medio Presbyterii, non in cornu Epistolæ, sed ante medium Altaris in aliqua distantia ab infimo gradu; & super illud Acolythi cum Thuriferario alternatim cantant Prophetias sonora, & intelligibili voce; deinde finita Prophetia, in eodem loco versus librum genuflectit utroque genu ad *Flectamus genua*, & dum Subdiaconus dicit: *Levate*, surgit, & discedit ad suum locum, & alius accedens genuflectit unico genu Crucis Altaris.

2. Dum cantantur Prophetiæ a Clericis, Celebrans eas legit ad Altare in cornu Epistolæ submissa voce, stante Diacono a dextris ejus, & Subdiacono a dextris Diaconi, ut in Introitu Missæ. Ad cujusvis Prophetiæ, vel Tractus finem Diaconus, & Subdiaconus se constituunt retro post Celebrantem, Diaconus in secundo genu, & Subdiaconus in plano, & dicto a Celebrante in cantu *Oremus*: Diaconus subdit: *Flectamus genua*, & statim omnes, etiam in Choro, præter solum Celebrantem, genuflectunt utroque genu; surgunt vero cum Subdiacono dicente: *Levate*, & Celebrans subsequenter Orationem cantat manibus extensis ut in Missa.

3. Finita ultima Prophetia (post quam non dicitur: *Flectamus genua*) cum sua Oratione, amovetur pulpitum cum libro, & aliquis Acolythus super secundum gradum Altaris collocat æquali distantia tres cussinos. Celebrans autem cum Ministris Sacris descendit in planum ex parte Epistolæ, & deponit Pluviale, Dalmaticas, seu Planetas plicatas, si eis utantur, non vero Stolas; Manipulos tamen (ut demonstrat Cavalieri *part. 4. cap. 21. Decret. 6. num. 5.*) omnes pariter deponere debent. Deinde statim accedunt ad Altare, & genuflexi in plano ante infimum Altaris gradum, procumbunt superponentes capita sua prædictis cussinis. Acolythi vero genuflectunt in plano hinc inde, sicuti & ceteri omnes in suis respective locis genuflectunt. Tunc & non

prius, duo Cantores superpelliceis induti, sed sine Stolis etiam si sint Sacerdotes, genuflexi ante Scabellum in medio, ex Missali ante eos posito inchoant cantare Litanias, & totus Chorus repetit ea omnia verba, quæ cantantur a Cantoribus.

4. Dum in Litaniiis cantatur: *Propitius esto &c.*, Acolythi, & Thuriferarius surgunt, & amovent de Credentia ea, quæ non sunt amplius necessaria, & præparant ea, quæ erunt necessaria pro Missa Solemni. Cum vero in Litaniiis perventum fuerit ad versum: *Peccatores*, Celebrans cum Ministris surgunt, & facta a Celebrante Cruci Altaris profunda inclinatione, a Ministris vero omnibus genuflexione unico genu, statim, ut sunt in Albis, junctis manibus accedunt ad Sacristiam, ibique sumunt Solemnia Paramenta alba pro Missa. Interim Sacrista, vel alii Fratres removent cussinos a gradibus Altaris, & super eos tapetem festivalem extendunt, accendunt candelas Altaris, & removent ab eo pallium, seu Antependium violaceum, ut appareat album, quod sub illo positum fuit, ut supra dictum est *cap. 15. num. 1.*

## CAPUT XIX.

DE

### MISSA, ET VESPERIS IN SABBA- TO SANCTO.

1. Celebrans, & Ministri parati procedunt e Sacristia ad Altare, ut alias pro Missa Solemni, sed ita tempestive, ut cum ad Altare pervenerint, Cantores incipiant solemniter *Kyrie eleison*, cantabunt autem illud cum pausa convenienti, ut detur tempus sufficiens Celebranti faciendi Confessionem cum Psalmo: *Judica me Deus &c.*, & postea incensandi Altare, ac postquam Celebrans incensatus fuerit a Dia-

a Diacono, stans in cornu Epistolæ dicendi cum Ministris  
*Kyrie eleison.*

2. Intonato consveto modo Hymno: *Gloria in excelsis Deo*, pulsantur omnes campanæ, quæ sunt in Ecclesia, & Capellis, & tintinabula, quæ inserviunt ad elevationem Sacramenti in Missis privatis. Majores tamen campanæ existentes in turri companaria non debent pulsari, nisi postquam inceptus fuerit pulsus campanarum in Ecclesia Cathedrali, vel Matrice.

3. Celebrans non debet post Epistolam incipere *Alleluia*, nisi prius manum ejus osculatus fuerit Subdiaconus, & benedictionem acceperit.

4. Ad Evangelium non portantur luminaria; Ceroferarii tamen stant junctis manibus a lateribus Subdiaconi, & signant se cum Diacono, cum non teneant candelabra. Alia sunt more solito, & prout hac die notantur in Missali, quod ideo diligenter inspiciendum.

5. Post sumptionem SS. Sacramenti a Celebrante, Dignior in Choro intonat Antiphonam, *Alleluia* pro Vesperis, & Chorus eam bis repetit: deinde cantatur alternatim ab utroque Choro Psalm. *Laudate Dominum omnes gentes &c.*, & post *Gloria Patri &c.*, repetitur ter *Alleluia*. Celebrans vero sumpta ablutione, accedit ad cornu Epistolæ, ubi dicit loco Antiphonæ, quæ appellatur *Communio*, submissa voce ter *Alleluia*, subjungens Psalm: *Laudate Dominum omnes gentes &c.*, cum Ministris stantibus in cornu Epistolæ ut ad Introitum Missæ: postea idem Celebrans, finito cantu in Choro, stans adhuc cum Ministris in cornu Epistolæ, intonat Antiphonam ad Magnificat: *Vespere autem Sabbati*, ut in Missali, quam cum Ministris Sacris prosequitur submissa voce, Chorus vero eandem prosequitur in cantu.

6. Cantata Antiphona a Choro, intonatur a Cantoribus solemniter *Magnificat*, & Celebrans cum aliis se signat a fronte ad pectus de more; & postea cum Ministris acce-

dit ad medium Altaris, ubi facta inclinatione Cruci, imponit, & benedicit incensum, & more solito incensat Altare, ut sit initio Missæ. Diaconus incensato Celebrante, vadit ad incensandum Chorum, more consveto, sicuti fit post incensationem Oblatorum in Missa: & incensato Choro revertitur ex parte Evangelii, & facta in medio debita reverentia Altari, incensat Subdiaconum stantem a dextris Celebrantis, qui Subdiaconus vertit faciem Diacono: deinde Diaconus reddito thuribulo accedit ad dextram Celebrantis in cornu Epistolæ, ubi stans in secundo gradu versa facie ad Thuriferarium, ab eo incensatur; & postea solus submissa voce dicit *Magnificat*. Stant autem Diaconus, & Subdiaconus cum Celebrante in cornu Epistolæ ut ad Introitum Missæ, usque dum in Choro repetatur Antiphona post *Magnificat*. Thuriferarius vero incensato Diacono, statim incensat Acolythos, & populum. Bene autem advertant cantantes in Choro, ut *Magnificat* decantent cum tali pausa inter unum, & alterum versum, ut ad *Gloria Patri*, tota incensatio finiatur.

7. Celebrans vero postquam fuerit a Diacono incensatus, & statim ac Diaconus se contulit ad incensandum Chorum, adhuc stans in cornu Epistolæ cum Subdiacono, ut ad Introitum Missæ, prosequitur tunc, & non prius alternatim cum eodem Subdiacono submissa voce *Magnificat*, & post *Gloria Patri &c.*, repetit cum ipso Subdiacono Antiphonam. Postea dum a Choro repetitur Antiphona, post *Magnificat*, Sacri Ministri locant se unus post alium retro post Celebrantem in recta linea, & procedunt simul cum eo ad medium Altaris, nempe Diaconus incedit in secundo gradu, & Subdiaconus in plano. Finita Antiphona in Choro, Celebrans osculato Altari, se convertit ad populum ad *Dominus vobiscum*, & prosequitur Missam more solito usque ad finem: hoc notato quod Diaconus cantat: *Ite, Missa est*, cum duplici *Allcluia*, ut in Missali.

8. Tan-

8. Tandem finita Missa, factis debitis reverentiis Cruci Altaris, redeunt in Sacristiam, ubi facta Cruci, vel Imagini principali debita reverentia, & postquam Sacras vestes deposuerint, mutua sibi gaudia Paschalia annuntiant, factis sibi invicem reverentiis, & quasi amplexibus; & idem fit ab omnibus de Choro: & deinde omnes læti, in Domino recedunt.

9. Post Missam extinctis cereis Altaris, & Cereo Paschali, extingvuntur etiam tres supradictæ candelæ in cuspi- de Arundinis positæ, quæ amplius non accenduntur, & ideo Arundo ipsa amovetur ab Altari. Cereus vero Paschalis communiter accendi solet a Sabbato Sancto usque ad Dominicam in Albis ad Missam Solemnem, seu Conventualem, & ad omnes Horas: deinde vero usque ad Festum Ascensionis ad Missas Conventuales, & diebus Dominicis, & Festis Solemnioribus etiam ad Vesperas. In Festo vero Ascensionis ad omnes Horas, & in Missa Solemni usque ad finem primi Evangelii, quo finito statim extingvitur, & ab Altari removetur a Sacerdote Superpelliceo induto, sed sine Stola.

10. Completorium cantatur, candelis accensis, prout notatur in Breviario, & Celebrans, seu Hebdomadarius ad Canticum: *Nunc dimittis*, intonat Antiphonam: *Vespere autem Sabbati*, & statim Cantores incipiunt Canticum, quia Antiphona non debet duplicari. In fine cantari etiam debet Antiph. *Regina Cæli &c.*, quæ Antiphona stando etiam dicitur ad signum Salutationis Angelicæ loco *Angelus Domini*, toto tempore Paschali.

## CAPUT XX.

DE

SABBATO SANCTO IN LOCIS  
PARTICULARIBUS.

1. In Conventibus particularibus, ubi ob defectum Ministrorum Sacrorum, Celebrans solus sine illis debet Officia, & Cœremonias Hebdomadæ Sanctæ absolvere, is curare debet, ut quantum possibile est, & fieri potest, se conformet præscriptis Ritibus, & Cœremoniis, singulis diebus præscriptis.

2. Sabbato Sancto benedictionem Cerei Paschalis, solet peragere aliquis Sacerdos in Paramentis Diaconalibus. Is indutus Amictu, Alba, & Stola violacea tantum sine Dalmatica, cum Celebrante exire, illique assistere debet ad benedictionem ignis, qua finita deponit Stolam violaceam, & assumit Manipulum, Stolam, & Dalmaticam albi coloris, & deinde Arundinem cum tribus candelis, & præcedit in Processione Celebrantem, & observat omnia superius præscripta. Finito tandem Præconio, facta Cruci Altaris genuflexione unico genu, & Celebranti inclinatione, recedit ad Sacristiam, & vestes Sacras deponit; Celebrans vero solus reliqua peragit, ut infra dicitur.

3. Ubi vero neque talis Diaconus haberi potest, solus Celebrans ornatus ut supra Paramentis violaceis, præcedentibus Acolythis ferentibus ea, quæ supra capite 16. num. 1. dicta sunt, & loco Subdiaconi aliquo alio Acolycho, induto Superpelliceo, ferente Crucem, quem sequuntur bini, & bini alii Religiosi; ultimus procedit Celebrans; & extra Ecclesiam secundum modum præscriptum benedicit aquam, novum ignem, & grana incensi; deinde imponit, & benedicit thus in thuribulo, ac aspergit, & incensat grana incensi, & novum ignem.

4. His

4. His peractis, Celebrans deponit Pluviale, & Stolum violaceam, & accipit Manipulum, Stolum Diaconalem ab humero sinistro pendentem ad latus dextrum, & Dalmaticam albi coloris. Deinde imponit iterum cum benedictione thus in thuribulo pro Processione; postea accipit Arundinem. Acolythi vero præstant ea omnia, quæ supra notata sunt. Tandem ordinatur Processio ad Ecclesiam conformiter ad dicta superius capite 16. a num. 6. & sequent. Celebrans ingressus Ecclesiam inclinat Arundinem, & accensa ex candela laternæ una ex tribus candelis Arundinis per Acolythum, genuflectit, & similiter omnes alii genuflectunt, excepto tantum Acolytha ferente Crucem, qui nunquam genuflectit; & sic genuflexus clara voce pronuntiat, vel cantat: *Lumen Christi*: Acolythi, & alii qui adsunt, respondent: *Deo gratias*: idemque fit secunda vice in medio Ecclesiæ, & tertia vice cum Celebrans pervenerit ante Altare.

5. Deinde Celebrans dat Arundinem tenendam Acolytha, ipse vero accepto Missali de manu Acolythi, genuflexus ante Altare in infimo gradu, non dicit: *Munda cor meum*, sed tantum dicit: *Jube Domine benedicere*, & ipse mit subdens dicit: *Dominus sit in corde meo, & in labiis meis, ut digne, & competenter annuntiem suum Paschale Præconium*: postea surgit, & facta genuflexione Cruci Altaris, accedit ad legile, seu pulpitem paratum in plano ex parte Evangelii, ante quod simul cum omnibus Acolythis se disponunt in linea recta ut supra, & juxta Sententiam Merati omnes vertunt faciem, non ad partem aquilonarem, sed ad meridionalem, & sua latera sinistra ad Altare, ut Populus facilius audire possit Præconium Paschale.

6. Celebrans posito Missali super pulpito, illud apertum incensat, ut supra dictum est, & postea clara, & hilari voce incipit Præconium: *Exultet &c.* Ad ea verba: *Curvat imperia*, infigit grana incensi, prout supra: & ad illa verba: *Rutilans ignis &c.*, accendit Cereum ex una candel-

larum Arundinis; ad ea vero verba: *Apis mater eduxit*, pau-  
sat, donec Acolythus desumpto igne ex Cereo Paschali, vel  
ex uni candelarum Arundinis, lampadem, vel lampades  
accendat.

7. Finito Præconio, Celebrans claudit Missale: Aco-  
lythus firmat Arundinem in sua basi, Crucifer deponit Cru-  
cem a latere Epistolæ, vel dat alicui Fratri, reponendam  
in suo loco, & facta genuflexione Altari, Celebrans cum  
Acolythis accedit ad latus Epistolæ, ubi in plano adjuvanti-  
bus Acolythis, deponit Paramenta alba, & accipit Manipu-  
lum, Stolam, & Planetam coloris violacei.

8. Celebrans indutus Paramentis violaceis, ut supra,  
accedit ante medium Altaris, & facta Cruci genuflexione,  
ascendit, & osculatur Altare in medio; deinde accedens ad  
cornu Epistolæ, ibi ex Missali, ab aliquo Acolytho asporta-  
to, alta voce legit duodecim Prophetias, Orationes, &  
Tractus, genuflectens ipse cum omnibus aliis, dum ante Ora-  
tiones, excepta ultima, ipsemet dicit: *Flectamus genua*, cui  
unus Acolythorum, primus surgens respondet: *Levate*. Si  
tamen fuerit numerus sufficiens Acolythorum Clericorum  
ipsi poterunt in plano ante Altare super nudum legile can-  
tare Prophetias, & tunc Celebrans eas legit submissa voce.

9. Completa ultima Oratione, Celebrans descendit in  
planum, & facta genuflexione Cruci, procedit ad latus Epi-  
stolæ, sive Credentiam, & ibi deponit Planetam, & Mani-  
pulum. Interim unus Acolythorum ponit cussinum in se-  
cundo gradu ante medium Altaris, super quem deinde Cele-  
brans procumbit, & duo Acolythi cantant Litanias, aliis  
idem ipsum repetentibus; & cum perventum fuerit ad ver-  
sum: *Peccatores*, Celebrans surgit, & ut est in Alba, &  
Stola, statim facta genuflexione Cruci Altaris, accedit ad  
Sacristiam, & sumit Paramenta alba pro Missa.

10. Celebrans indutus Paramentis albis, revertitur  
ad Altare præcedentibus Acolythis, & facit Confessionem

more

more solito cum Psalmo: *Judica me Deus* &c. postea ascendit ad Altare, & dicta Oratione: *Oramus te Domine*, stans in medio, dicit immediate cum Acolyto alternatim: *Kyrie eleison*: deinde cantat: *Gloria in excelsis Deo*, & campanæ pellantur: & totam Missam cum Vesperis absolvit proportionate ad ea, quæ dicta sunt superius.

## CAPUT XXI.

DE

### TEMPORE PASCHALI.

1. In nocte Resurrectionis Dominicæ, quo ad Resurrectionem Sepulchri, & Processionem, ferventur ea, quæ præscribuntur in Rituali Ecclesiarum horum Regnorum. Hoc tamen notandum, quod in omnibus Processionibus, quæ fiunt tempore Paschali, Figura Resurrectionis debet deferri a dextris, & Crux a sinistris. Matutinum hac nocte decantatur prout præscribunt Statuta Provinciæ cap. 3. art. 1. num. 6. folio 90.

2. Missa per totam Octavam dicitur ut in Missali: quid vero dicendum de Missis Votivis Solemnibus pro re gravi, vide in Manuductione celebrandi Missam fol. 67. notam ad Rubricam 2.

3. Post Dominicam in Albis toto tempore Paschali usque ad Festum SS. Trinitatis exclusive, in Missis omnibus tam Festivis, quam Votivis, additur in fine Introitus duplex *Alleluja*. Item unum ad finem *Offertorii*, & unum ad *Communione*m, nisi jam antecederet in illis reperiat: tunc enim juxta Rubricas nullum aliud est addendum ibi jam positum, aut posito. Post Epistolam vero non dicitur Graduale toto tempore Paschali, sed tantum dicuntur duo versus cum quatuor *Alleluja*, duo scilicet ante primum versum, tertium post primum versum, & quartum post secundum versum

Dum autem dicitur *Sequentia*, quartum *Alleluia* dicitur post *Sequentiam*, quæ omnia declarantur in Rubrica Missalis Sab-  
bato in Albis; & quæ habetur præfixa Festo Annuntiationis  
B. M. V. & post Commune plurimorum Martyrum tempo-  
re Paschali.

4. Divinum Officium per totam Octavam Resurrectio-  
nis Dominicæ, dicitur prout notatur in Breviario: unde ad-  
vertendum, sicuti ibi notatur, quod ad variationem FERIA-  
rum, etiam varientur *Absolutiones* ante *Lectiones Nocturni*,  
& quod usque ad *Vesperas Sabbati* exclusive, omni die in  
fine tam *Laudum*, quam *Vesperarum* dici debeat *v. Benedi-*  
*camus Domino*, & *r. Deo gratias*, cum duplici *Alleluia*; quod  
pariter observandum in *Missâ ad Ite Missa est*, & *Deo gratias*.

5. Dominica ipsa Resurrectionis observet *Acolythus*  
primus, ut antequam quidquam incipiat annuntiare de *Ka-*  
*lendis*, ante omnia prius decantare debet: *Hac die &c.*, &  
omnes in Choro stare debent nudo capite. Postea vero an-  
nuntiantur *Kalendæ*, & *Martyrologium* sequentis diei.

6. A Dominica in Albis, sive Officium fiat de *Tempo*,  
sive de *Festo* (excepta Solemnitate *Ascensionis Domi-*  
*ni*) in *Matutinis* in quolibet *Nocturno* dicuntur *Psalmi* sub  
prima tantum *Antiphona* ejusdem *Nocturni*, servato *Ritu*  
duplici, vel *Semiduplici*.

7. In *Festis SS. Apostolorum*, & *Evangelistarum*, nec  
non unius, aut plurimorum *Martyrum* tempore *Paschali* oc-  
currentium, Officium dicitur, ut notatur in *Breviario* suo  
loco tempore *Paschali*.

8. In *Festis* vero *B. M. V. Confessorum Pontificum*,  
& non *Pontificum*; item *SS. Virginum*, & non *Virginum*,  
aliorumque non habentium Officium particulare pro tempo-  
re *Paschali*, Officium fit ut aliis temporibus, nisi quod ad  
*Invitatorium* addatur unum *Alleluia*: item additur *Alleluia*  
ad omnes *Antiphonas*, dummodo jam antecederet *Alleluia*  
aliquo non terminetur; tunc enim aliud, juxta *Rubricas*  
titu-

*titulo XXI. de Antiphonis num. 6. non additur. Item additur Alleluia omnibus versibus, exceptis versibus Precum ad Primam, & Completorium, & in Prima, Versu: Pretiosa, & versu in Responsorii post Lectiones; nam in fine Responsorii post Lectiones additur unum Alleluia, sed postea post versum non additur, & repetitur solum pars Responsorii cum Alleluia. In Responsoriiis vero Brevibus Horarum, tempore Paschali, in fine ante primum versum, dicuntur duo Alleluia, quæ etiam post dictum primum versum repetuntur pro parte Responsorii: in fine autem secundi versus, & Responsorii illius additur unum tantum Alleluia. Extra tempus Paschale quamvis in aliquibus Festis, ut in Festo SS. Nominis JESU, Corporis Christi, Transfigurationis Domini, ad Tertiam, Sextam, & Nonam Responsoriiis brevibus addantur Alleluia; non tamen adduntur ad Primam, & Completorium.*

9. Cæterum sicut si fiat translatio alicujus Festi a tempore non Paschali ad tempus Paschale, recitatur Officium, & Missa prout tempore Paschali; ita si fiat translatio alicujus Festi a tempore Paschali ad non Paschale, recitatur prout tempore non Paschali.

10. In Festo S. Marci Evangelistæ, similiter omnibus tribus diebus Rogationum, tempore Supplicationum post decantatam Antiphonam: *Stella Cæti*, duo Clerici superpelliceis induti, genuflexi ante majus Altare, dicant Litanias de omnibus Sanctis pro Ordine nostro dispositas, & Chorus pariter genuflexus respondeat: & sunt his diebus hæ Litanie de præcepto; unde illi, qui in Choro non adsunt, tenentur illas tempore oportuno recitare, & quidem quantum fieri potest, flexis genibus.

11. In Vigilia Pentecostes (in qua est jejunium de præcepto) ante Missam Solemnem cantantur Prophetiæ, & Litanie eodem Ritu, quo Sabbato Sancto; & ad *Gloria in excelsis*, pulsantur omnes campanæ. Hymni, Completorii

hujus diei, & cæterarum Horarum deinceps usque ad primas Vesperas SS. Trinitatis exclusive, terminantur per verba: *Deo Patri &c.*, in *Sæculorum Sæcula*: non vero: in *Sempiterna Sæcula*, sicut terminabantur a Pascha usque ad Ascensionem.

12. In Festo Pentecostes, & per totam Octavam ad Tertiam loco Hymni: *Nunc Sancte nobis Spiritus &c.*, semper dicitur Hymnus: *Veni Creator Spiritus &c.*, ad cujus Hymni totam primam Stropham, omnes genuflectere debent utroque genu; & in Choro per totam Octavam solemniter decantari solet cum Organis, accensis in Altari sex candelis.

13. Moderna Quatuor Tempora, si jejunentur (ut dici solet) jejunio Paschali, comedendo lactinia, adhuc tamen verum jejunium observari debet quo ad unicam cœtionem.

14. Tempus Paschale terminatur Sabbato ante Festum SS. Trinitatis post Missam, quæ dicitur post Nonam: & ideo ad Cœnam, quæ habetur loco Prandii, cum sit jejunium Quatuor Temporum, benedictio mensæ, & gratiarum actio dicuntur, ut alias per annum. Ad signum Salutationis Angelicæ dicitur: *Angelus Domini*.

## C A P U T XXII.

D E

### FESTO CORPORIS CHRISTI.

I. **C**um hoc Festum sit unum inter Solemnissima Festa, Solemnis quoque ejus pompa, & apparatus esse debet: ornatus enim major majorem Solemnitatem ostendit. Si vero alicubi per ornatum, sive pompam ista major Solemnitas nequit haberi, per nitorem saltem, & mundiciam habeatur, adeo ut Ecclesiæ parietes, qui velis, & aulæis ornari nequeunt, saltem per decorem, & venustatem eluceant, nec  
pul-

pulvere, five araneis fordescant. Pavimentum etiam politum sit, & floribus, seu herbis bene olentibus, præsertim ubi Processio transire debet, sit sparsum, & seminatum. In Altari vero, in quo ponenda est SS. Eucharistia, Reliquiæ, & Imagines Sanctorum non exponantur; adsit tamen copia lampadarum, & candelarum, quæ continuo ante SS. Sacramentum ardeant.

2. Ante primas Vesperas hujus Solemnitatis, Superior ipse, aut eo impedito, alius ex Senioribus Patribus, cum omnibus assistentibus, in Sacristia suis respective Paramentis ornati, & accensis in Altari luminibus, procedunt ad Altare eo modo ut dictum est *part. 2. cap. 10.* De Vesperis Solemnibus *num. 5. & 6.* præcedente tamen Thuriferario cum Thuribulo, & navicula. Ante Altare omnes se sistunt, prout dictum est capite citato: ubi postquam genuflexi utroque genu in infimo gradu aliquantulum oraverint, mox Diaconus, vel primus Assistens (modo sit Presbyter, alias ipse Celebrans, aut alius Sacerdos superpelliceo, & Stola ornatus) ad Altare ascendit, ubi facta genuflexione unico genu, Custodiam, seu Tabernaculum aperit, & iterum genuflectit, deinde Pyxidem extrahit, & super Corporale ponit, ex ea Sacram Hostiam assumit, & in Ostensorium (quod antecederet a Sacrista, vel alio Sacerdote in Altari super aliud Corporale collocari debuit) imponit; deinde digitos super Pyxidem excutit, ne fragmentum aliquod adhæreat, moxque summitatem digitorum, quæ SS. Sacramentum tetigerunt, in vasculo illo, in quo solent abluï digiti post datam Communionem extra Missam (quod vasculum omnino super quodlibet Altari, in quo SS. Sacramentum asservatur, haberi debet) abluit, & Purificatorio ad hoc etiam ibi parato abstergit: Postea Pyxidem cooperit, & facta genuflexione eam in Tabernaculum reponit, & iterum genuflexione facta ostiolum claudit: deinde Ostensorium in medio Altaris super Corporale reverenter collocat, moxque unico genu genuflectit,

flectit, & se parum ad cornu Epistolæ retrahens, (si vero Celebrans prædicta ipsemet præstitit, se retrahit ad cornu Evangelii) & ad Altaris cornu oppositum faciem convertens, ita in planum descendit, ne terga vertat Sacramento. Interim vero Celebrans, & omnes alii manent genuflexi in infimo gradu Altaris, & Organa suaviter tanguntur.

3. Postquam Diaconus in planum descenderit, & genuflexerit utrumque genu, omnes simul profundam inclinationem, & adorationem faciunt SS. Sacramento: deinde Celebrans cum Diacono, & Subdiacono, seu primo, & secundo Assistente surgit, & more solito incensum in thuribulum imponit, nihil dicens, neque signum Crucis efformans. Reddita navicula a Diacono Thuriferario, Celebrans cum Ministris sine genuflexione ascendit ad secundum gradum Altaris, & genuflectunt utroque genu in Suppedaneo, & Celebrans accepto thuribulo a Diacono, incensat SS. Sacramentum triplici ductu, debita interposita mora inter unum, & alterum ductum, atque ante, & post incensationem profunde simul cum Ministris se inclinando.

4. Reddito thuribulo Diacono, qui illud sine osculis accipit, traditque Thuriferario, Celebrans simul cum Ministris (juxta consuetudinem in his Regnis introductam:) facta profunda inclinatione surgit, & ascendunt ad Altare, ubi iterum genuflectunt unico genu: Ministri accipiunt parvas candelas cum parvis candelabris, & descendunt ad secundum gradum, & genuflectunt utroque genu super suppedaneum; Celebrans vero accipit Ostensorium, & conversus ad Populum, statim incipit, non dando prius benedictionem: *O Salutaris Hostia*, & finita Stropha a Choro subdit: *Unī Trinoque Domino*, & postea dat benedictionem cum Sanctissimo, devote cum debita mora movendo Sanctissimum, & perficiens circulum illud reponit super Corporale in medio Altaris.

5. Dum

5. Dum Celebrans cum SS. Sacramento se convertit ad Altare, Ministri surgunt, accedunt ad Altare, & super illud reponunt candelabra, quæ tenebant, sed ita tempestive, ut simul cum Celebrante reposito SS. Sacramento super Altare genuflectant unico genu; & mox Celebrans, & Subdiaconus vertentes faciem suam ad cornu Epistolæ descendunt in planum, ubi genuflectunt super infimum gradum Altaris utroque genu. Diaconus vero supposito scabello, si opus sit, facta genuflexione unico genu, scabellum ascendit, & SS. Sacramentum in loco eminentiori collocat super Corporale: deinde facta iterum ad Altare genuflexione unico genu, descendit, faciem suam vertens ad cornu Evangelii, in planum, ubi genuflectit ad dextram Celebrantis. Si vero alius Sacerdos, superpelliceo, & Stola alba ornatus, Sanctissimum reponeret in suo loco eminentiori, tunc Diaconus statim cum Celebrante descendit in planum. Collocato demum SS. Sacramento in suo loco eminentiori, illud Celebrans, accepto thuribulo a Diacono, incensat triplici ductu cum profunda inclinatione ante, & post.

6. Hic observandum pro semper, quod quamvis certissimum sit apud omnes, quod Celebrans debeat genuflexus ter incensare Sacramentum; nihilominus variant Auctores circa gradum Altaris, super quo Celebrans genuflexus debeat Sacramentum in Ostensorio, seu Monstrantia positum incensare. Bauldrycum multis aliis tenent, quod Celebrans debeat ascendere ad secundum gradum Altaris, & ibi genuflectere, & Sacramentum incensare. Merati vero cum aliis docet, quod quando incensatio Sacramenti fit extra Missam, semper debeat fieri a Sacerdote genuflexo super infimo gradu Altaris: quando vero occurrit incensare Sacramentum intra Missarum Solemnia, celebratam coram eodem SS. Sacramento exposito, tunc incensari debere a Celebrante super altiorem Altaris gradum cum Ministris genuflexo. Alii tandem quasi media via incedentes sustinent, quod quando Cele-

brans facta incensatione SS. Sacramenti, statim debet ascendere ad Altare, tunc illud incenset genuflexus super suppedaneum; quando vero non debet ad Altare ascendere, tunc incensare debeat genuflexus super infimo gradu Altaris.

7. Collocato SS. Sacramento in suo loco, eoque incensato, omnes surgunt, & inclinati dicunt secreto *Pater, & Ave*, & alia fiant eo modo, prout dictum est supra *part. 2. cap. 10. De Vesperis Solemnibus a num. 7. & sequent.* Decantato *Gloria Patri &c.*, omnes simul genuflectunt utroque genu, & ingrediuntur Chorum ex parte Epistolæ, ibidemque se sistunt eo ordine, & modo, ut dictum est capite mox citato: aliaque omnia, ut ibidem dictum est absolvuntur; excepto quod omnes in Choro tempore expositionis SS. Sacramenti semper stare, & nunquam sedere debent.

8. Intonato a Cantoribus Cantico *Magnificat*, Celebrans cum omnibus Assistentibus egreditur ex parte Evangelii ad incensandum Altare, eo ordine ut dictum est citato capite de Vesperis Solemnibus. Postquam pervenerint ante infimum gradum Altaris, omnes simul flectunt utroque genu, & simul faciunt profundam inclinationem: mox Celebrans cum Diacono, & Subdiacono surgunt, & Celebrans imponit thus in thuribulum, illudque benedicit more solito.

9. Unde hic generaliter notandum est, quod in SS. Sacramenti incensatione, hæc generalis regula observanda sit, ut quando post incensationem SS. Sacramenti, statim incensari debet etiam Altare, tunc Celebrans semper benedicere debet incensum more solito: jam vero quando incensatur solum SS. Sacramentum, thus non benedicitur; sed Celebrans illud imponit in thuribulum nihil dicens, & neque signum Crucis super illud format: in utroque tamen casu abstinendum est ab osculis tum cochlearis, & thuribuli, tum manus Celebrantis.

10. Imposito, & benedicto incenso, Celebrans cum Ministris, sine genuflexione, ascendit ad secundum gradum Altaris, ubi genuflexus utroque genu in suppedaneo, ter incensat SS. Sacramentum, facta ante, & post profunda inclinatione simul cum Ministris; deinde surgit, & ascendit ad Altare, & illud more consveto incensat: finita incensatione, & reddito thuribulo Diacono, Celebrans descendit in planum in ipso cornu Epistolæ, ubi se convertit ad Populum, vertendo primo faciem ad Altare, & successive ad cornu Evangelii, ne renes vertat SS. Sacramento; & sic conversus ad Populum incensatur a Diacono, stante in eodem cornu Epistolæ ante Celebrantem, terga vertendo ad Populum, triplici ductu cum mediocri inclinatione ante, & post: Subdiaconus vero tunc stat in eodem cornu Epistolæ a sinistris Diaconi. Thuriferarius recepto thuribulo a Diacono, in eodem loco genuflectit utrumque genu SS. Sacramento, & statim in eodem latere Epistolæ ingreditur Chorum, eumque incensat, postea egressus de Choro, etiam alios incensat, omnia observando prout explicata sunt supra *part. 2. cap. 10. num. 17. & sequent.*

11. Incensato a Diacono Celebrante, is non ascendit ad Altare, sed per planum vadit ante medium Altaris; præcedit Subdiaconus, postea Diaconus, qui ante Altare parum recedit versus Ecclesiam, ut ante ipsum transeat Celebrans ad medium ante Altare: similiter etiam primus Acolythus retrocedere debuit, ut ante ipsum supradicti possint progredi: & postquam Celebrans pervenerit ante medium Altaris, omnes simul genuflectunt utroque genu super infimum gradum Altaris, & facta etiam profunda inclinatione surgunt omnes, & alternatim dicunt Canticum *Magnificat*, & in fine repetunt Antiphonam. Postea finiuntur Vesperæ consveto more, prout dictum est capite citato.

12. Dicto a Celebrante *v. Fidelium animæ &c.*, & Responso *Amen*: Thuriferarius, si est Clericus, alias primus

Acolythus, quod si etiam Ceroferarii fuerint Fratres Laici, tunc Subdiaconus, non vero Diaconus; nam hoc loco semper junior debet petere benedictionem, incipit: *Jube Domine benedicere*, & data benedictione, & facta Confessione a Celebrante, & a Choro reperita, Celebrans pronuntiat *Miscereatur Sc.*, *Indulgentiam Sc.*, *Converte nos Sc.*, *Deus in adiutorium Sc.*, & dicto, seu decantato *Gloria Patri Sc.*, omnes simul genuflectunt utroque genu, & ingrediuntur Chorum eodem ordine, & modo quo ad Vesperas, & Hebdomadarius stans in medio Chori incipit Antiphonam: *Miscere*, deinde deponit Pluviale ut initio Vesperarum, & vadit ad suam Stallum, & absolvitur Completorium consveto modo.

13. Finito Completorio, Celebrans reassumit Pluviale, & cum Assistentibus egreditur de Choro ex parte Evangelii ante Altare, & fit Processio.

14. Omnia supra dicta in hoc capite, sicut etiam dicenda sequenti capite, observanda sunt non solum in Festo, & per Octavam Corporis Christi, sed etiam omni alio tempore quando fit expositio SS. Sacramenti.

## C A P U T    X X I I I .

D E

### PROCESSIONE CUM SS. SACRAMENTO.

I. **H**æc Processio solet fieri quandoque immediate ante Missam Solemnem, quandoque immediate post Missam, & quandoque post Vesperas, aut Completorium. Si fiat ante Missam, aut post Completorium, Celebrans cum Ministris e Sacristia, vel e Choro egressus, perveniens ante Altare genuflectit simul cum omnibus in plana terra utroque genu cum profunda etiam inclinatione. Si vero facienda sit Processio finita Missa, Celebrans completo ultimo Evangelio, acce-

accedit ad medium Altaris, ibique ad oram ipsius genuflectit cum Ministris unico genu, & cum illis descendit ad cornu Epistolæ in planum, ubi deposita casula cum manipulo, Ministris adjuvantibus (qui etiam suos manipulos deponere debent) accipit Pluviale: deinde cum Ministris per planum Presbyterii procedit ante medium Altaris, ubi cum eis genuflectit utroque genu, & se profunde inclinat: deinde surgit cum Sacris Ministris, & stans ante gradum Altaris imponit incensum duobus thuribulis (si duo adsint, prout Rubrica requirit) nihil dicens, & non benedicens illud; mox genuflexus in medio infimi gradus Altaris, juxta Sententiam Merati: vel juxta alios ascendens ad secundum gradum Altaris, & genuflexus in Suppedaneo, triplici ductu, cum profunda inclinatione ante & post, quam profundam inclinationem etiam simul cum eo facere debent Ministri, incensat SS. Sacramentum, deinde Diaconus accedit ad Altare, genuflectit unico genu, & ascendit, si opus sit, scabellum, & Ostensorium cum Sanctissimo deponit super Altare, & rursus genuflectit unico genu: interim dum hæc fiunt a Diacono, Subdiaconus velum album oblongum super humeros Celebrantis imponit, ita ut æqualiter protendatur super brachia, & manus ejus, & si opus sit, acicula firmat.

2. Incensato SS. Sacramento, quoniam modo Celebrans pro facienda Processione debeat accipere Ostensorium cum Sanctissimo; Gavantus, Bauldry, Merati, Cavalieri, & fere omnes alii Rubricarum expositores volunt eundem ipsum modum servandum esse, quem Feria V. in Cœna Domini præscribit Rubrica Missalis pro Processione illius diei, prout explicatum est supra Capite 10. de Processione SS. Sacramenti in Cœna Domini. Et insuper finita Processione, dum Celebrans tradit Ostensorium Diacono genuflexo, & ab hoc postea reponitur super Altare, tunc interim a Choro cantandum esse *Tantum ergo* &c., *Genitori Genitoque* &c., quo finito cantetur a Ministris *¶ Panem de cœlo* &c., & *℞. Omne de-*

*lectamentum* &c., & deinde Celebrans stando, Orationem: *Deus qui nobis sub Sacramento* &c., qua finita Celebrans genuflectit in gradu infimo, & statim surgens ascendit ad Altare, ibique genuflectit unico genu, & surgens, absque alterius ministerio, accipit SS. Sacramentum velatis manibus, & vertens se ad populum dat Benedictionem.

3. In his tamen Regionibus, juxta antiquam introductam consuetudinem, Diaconus deposito Ostensorio cum Sanctissimo in medio Altaris, genuflectit unico genu, & surgens expectat ante Altare adventum Celebrantis, qui simul cum Subdiacono ad Altare accedit, & ibi cum ambobus Ministris genuflectit unico genu, & surgens manibus velatis accipit Ostensorium cum Sanctissimo, ita ut Imago Crucifixi, seu alia quæ est in Hostia in tota Processione non Celebrantem respiciat, sed viam quam habet ante se, & se convertit ad populum. Interim vero dum Celebrans accipit Ostensorium, Ministri Sacri accipiunt parva candelabra cum suis candelis, & descendunt ad secundum gradum Altaris, & flectunt utroque genu.

4. Celebrans conversus ad populum non dat statim benedictionem, sed vel ipsemet intonat, vel intonatur a Cantoribus adhuc genuflexis, Hymnus; quo intonato Celebrans dat benedictionem cum Sanctissimo, & postea omnes surgunt, & incipit Processio: Diaconus, & Subdiaconus mutant sua loca, ita ut ille semper incedat a dextris, & hic a sinistris Celebrantis, & ambo sic assistentes fimbrias Pluvialis manibus proximioribus elevatas tenent, nec non extremitates vestium, cum opus fuerit, brachiaque illius sustentant.

5. Data benedictione Celebrans descendit in planum, & incedens sub Baldachino, per viam recitat cum Ministris submissa voce aliquos Psalmos, & Hymnos; non enim convenit quidquam cum aliis cantare, nisi forte necessitas magna ob defectum canentium, ad id cogat, Ad latera SS. Sacramenti incedant octo, vel sex Acolythi superpelliceis induti cum

cum facibus accensis, aut ad minus quatuor in Conventibus particularibus, in quibus particularibus locis, ubi defunt Fratres Religiosi pro gestandis facibus, illas portare poterunt juvenes Sæculares superpelliceis induti.

6. Quando Processio cum SS. Sacramento transit ante Altare, in quo est Tabernaculum cum incluso in eo SS. Sacramento in Pyxide, non est ante illud genuflectendum, quia ipsummet defertur, & omnes sunt in actuali ejusdem Servizio, & adoratione.

7. Tandem in hisce Regionibus, juxta antiquissimam consuetudinem, Processio cum SS. Sacramento communiter terminari solet illa solita cantione: *Rex Christe Primogenite &c.* nisi continuandus sit Hymnus: *Te Deum laudamus.* Et Celebrans postquam ad Altare ascenderit, ad Populum se convertit cum Ostensorio, & ita subsistens, ad illa verba: *Tuo nos Corpore refice &c.* benedicit populum, & conversus ad Altare circum perficiens, deponit Ostensorium in medio Altaris super Corporale. Si vero cantetur Hymnus: *Te Deum laudamus*, tunc cum perventum fuerit ad versum: *Salvum fac populum tuum Domine*, Celebrans stans ante Altare conversus ad populum, ter illum decantat Choro idem repetente primis duabus vicibus: tertia tamen vice Celebrans reliqua addit verba: *Et benedic hæreditati tuæ*, & simul benedicit populum; & postea Chorus reliquum Hymni absolvit. Celebrans vero perficiens circum, se convertit ad Altare, & deposito Ostensorio super Corporale (quo tempore etiam Sacri Ministri reponunt sua parva candelabra super Altare) genuflectit cum Ministris unico genu, & mox cum illis descendit vel ad secundum gradum, vel in planum ante infimum gradum Altaris, juxta diversam opinionem Auctorum (ut dictum est super præcedenti cap. 22. num. 6.) ibique genuflexus utroque genu ter incensat SS. Sacramentum: postea solus Diaconus surgit, ascendit ad Altare, &

SS.

SS. Sacramentum cum Ostensorio in suum locum reponit; Choro interim canente: *Jesu tibi sit gloria &c.*

8. Quod si Sacra Hostia sit extrahenda de Ostensorio, & reponenda in Pyxide, tunc incensato Sanctissimo ut supra, Diaconus accedit ad Altare, genuflectit unico genu, removet Ostensorium parum ad partem Evangelii, ita tamen ut semper stet super Corporale: deinde aperit ostiolum Tabernaculi, genuflectit, & surgens extrahit Pyxidem, eam reponit in medio super Corporale, & discooperit, ac rursus genuflectit: postea Sacram Hostiam de Ostensorio extrahit, & reverenter in Pyxidem reponit, quam suo cooperulo tegit, & si digitis tetigit Sanctissimum, eos prius in Pyxide excutit, deinde lavat in vasculo præparato, & Purificatorio abstergit: postea facta genuflexione unico genu, se parum retrahit ad cornu Epistolæ; Celebrans vero cum Subdiacono ascendit ad Altare, ubi cum Ministris genuflectit unico genu, & surgentes Celebrans accipit Pyxidem, & se vertit ad populum; Ministri vero accipiunt sua parva candelabra cum candelis, descendunt ad secundum gradum, & genuflectunt utroque genu: Celebrans vero conversus ad populum cantat vel *Jesu tibi sit gloria*; vel *Da pacem Domine*, vel quid simile, & ultimo dat benedictionem populo, & conversus ad Altare reponit Pyxidem in medio super Corporale, & Ministri reponunt sua candelabra, & facta genuflexione unico genu, descendunt in planum, ubi genuflexi utroque genu super infimo gradu, Celebrans accepto thuribulo ter incensat SS. Sacramentum cum profunda inclinatione ante, & post: reddito thuribulo solus Diaconus surgit, ascendit ad Altare, facta genuflexione, reponit Sacram Pyxidem in Tabernaculo, ac rursus facta genuflexione claudit ostiolum, & descendit, & genuflectit ad dextram Celebrantis: postea omnes surgunt, & recedunt suo ordine ad Sacristiam.

9. Dum autem non immediate post Processionem, sed alio tempore SS. Sacramentum expositum, recondendum est ad Tabernaculum, tunc Celebrans stans cum ostensorio conversus ad populum intonat: *Tantum ergo Sacramentum*, deinde *Genitori Genitoque*, & ultimo benedicit populo, aliaque superius dicta proportionaliter observantur.

10. In Processione Solemnissima, vel in ipso Festo Corporis Christi, vel alia die infra Octavam peragenda, servetur Rituale Ecclesiarum hujus Regni.

## CAPUT XXIV.

QUÆDAM

### UNIVERSALITER NOTANDA DE PROCESSIONIBUS.

1. In omnibus Processionibus Crux ita præferri debet, ut Imago Crucifixi terga vertat Clero sequenti, quasi Christus præire videatur, ad differentiam Crucis Papalis, vel Archiepiscopalis, in qua Imago Crucifixi respicit Papam, vel Archiepiscopum. Ita Cæremoniale Papal. *lib. 3. Sect. 2. cap. 20.* Cæremon. Episcopor. *lib. 1. cap. 15. & lib. 2. cap. 16.* Gavantus, Bauldry, Merati, Lucius Ferrari *verbo Crux. num. 7.* & omnes alii communiter. Quando tamen Processio se sistit in aliquo loco, debet pro interim Imago Crucifixi converti ad Clerum.

2. Refert P. Lucius Ferraris in sua prompta Bibliotheca *tom. 9. in Supplementis novissimis Verbo Religiones, Regulares num. 20.* in editione Bononiensi *pagina 335.* Crucis obvixæ retro incedentibus ubique terrarum Patribus Prædicatoribus familiaris est gestatio; Et ad propositum dubium: An liceat dictis Patribus in Processionibus gerere Crucem obviam retro incedentibus? Sac. Congr. Rit. die 10. Martii

1736. respondit: quo ad gestationem Crucis obviæ retro incedentibus, ipsis licere.

3. In Processionibus, quæ fiunt tempore Paschali, Figura Resurrectionis debet deferri a dextris, & Crux a sinistris; & nullum habetur fundamentum, quod Crux tempore Paschali debeat circumdari Stola rubra.

4. Post Crucem omnes Religiosi bini, & bini incedant, præcedentibus junioribus, pari passu, & æquali inter se servata distantia, duorum, aut trium circiter passuum, nec subsequentes videantur quasi urgere præcedentes; nec etiam alii nimis ab aliis recedant. Et quantum fieri potest, qui incedunt in una parte, attendant diligenter, & modeste ad Socios suos ex altera parte, ne unus alterum præcedat, & alter quasi sequatur: nec etiam sint nimis vicini, aut nimis remoti a se invicem, & omnes duas rectas lineas in longum efficiant. Si ultimo loco superfit aliquis, non habens Socium, is vel medius eat inter duos postremos, vel etiam solus incedat.

5. Si adsit Celebrans cum Ministris paratis, is ultimo loco sequitur medius inter Diaconum a dextris, & Subdiaconum a sinistris; qui etiam Celebrantis fimbrias Pluvialis elevatas tenebunt. In Processionibus tamen Candelarum, in Festo Purificationis B. M. V. & in Processione Palmarum, nec non Sabbato Sancto in Processione ad benedictionem novi ignis, Subdiaconus præfert Crucem, & Diaconus incedit a sinistris Celebrantis, & tunc non elevat fimbrias Pluvialis, ut etiam suis in locis dictum est.

6. In his etiam Processionibus Candelarum, & Palmarum Crucem antecedere debet Thuriferarius cum navicula, & thuribulo fumigante. In Processionibus vero cum SS. Sacramento, duo Thuriferarii (ubi duo haberi possunt) immediate præcedere debent ipsum SS. Sacramentum, ei quasi viam bono odore thuris parantes. Sed in aliis Processionibus communibus, & ordinariis, circa quas nihil hac de re præ-

præscriptum est in Rituali, non debet Thuriferarius adesse.

7. In Processionibus omnibus tam intra, quam extra Claustra, omnes procedere debent demissis oculis, corpore recto, graviter, modeste, ac devote; remoto omni vago oculorum aspectu, risu, mutuoque colloquio. Dum deferunt candelas, aut ramos cum libris Processionalibus, qui procedunt a dextris, candelas, seu ramos manu dextra deferant, sinistra libros: qui vero a sinistris incedunt, ea deferant manu contraria; si vero tantum candelas, aut ramos deferant, alteram manum non impeditam decenter infra pectus ponant. Quod si nihil deferant, ambas manus intra manicas infra pectus recondant: Vel, dum nihil cantant, manibus Rosarium, aut Coronam teneant, & devote orent. Quando contingit transeundum esse per angustiorem locum, junior præcedat, statimque in loco ampliori eodem modo quo prius se jungant.

8. Docent communiter Auctores, Processionem debere incedere a dextra parte ad sinistram, hoc est a latere Evangelii egrediendo, ad latus Epistolæ cum redeunt se convertendo, prout in omnibus fere conversionibus, quæ fiunt in Ecclesia solet observari, tam circa Ecclesiam, quam circa ipsius Atrium, ut patet in Processionibus ordinatis in Pontificali in Consecratione Ecclesiæ, & in Absolutione ad Tumulum, & aliis multis hujusmodi. Addunt tamen fere omnes Auctores hanc exceptionem: Nisi situs loci, aut contraria consuetudo id impediatur.

9. In Processionibus, quæ fiunt sine SS. Sacramento, cum transeunt ante Altare, in quo est Tabernaculum cum incluso SS. Sacramento, vel in quo post Consecrationem peractam adsit SS. Sacramentum, bini, & bini, quilibet cum suo collateraliter genuflectant unico genu, simulque æqualiter surgant. Dum vero transeunt ante Altare in quo publice expositum est SS. Sacramentum, observandum est se-

quens Decretum Sac. Rit. Congr. Quando SS. Eucharistia Sacramentum publice discoopertum exponitur, omnes ante illud transeuntes, cujuscunque conditionis, & ordinis sint; seu ad illud accedentes, seu ab eodem recedentes, semper utroque genu genuflectere debent. S. R. C. 19. Aug. 1651. Quando autem transeunt ante Altare, ubi elevatur SS. Sacramentum, observandum sequens Decretum. In Processionibus Candelarum, Palmarum, & similium, quæ fiunt per Ecclesiam sine SS. Sacramento, non est pulsanda campanula ad elevationem Hostiæ in Missa privata. Quod si pulsatur, & advertatur Elevatio, tunc genuflectendum est utroque genu a transeuntibus ante Altare, ubi Missa celebratur, & deposito SS. Sacramento, progrediendum est. Similiter si alii transeant in Elevatione Calicis. S. R. C. I. Mart. 1681.

10. Tempore Processionis pulsari debent majores campanæ Ecclesiæ: & si aliqua aliena Processio ad nostram Ecclesiam accedat, nostri Religiosi ei obviam ire debent extra Ecclesiæ portam, & Pater Sacrista, vel alius Sacerdos, superpelliceo indutus, stans detecto capite, cum aspersorio prope vas aquæ benedictæ, singulos modeste, & leniter aqua benedicta aspergat. Dum autem Ecclesiam nostram ingreditur Episcopus servandum est sequens Decretum. *Aspersorium Aquæ benedictæ Episcopo in Ecclesiam Religiosorum ingredienti, est porrigendum per digniorem illius Monasterii.* S. R. C. 14. Junii 1646.

## CAPUT XXV.

DE

### OFFICIO DEFUNCTORUM.

1. **D**e Missis Defunctorum tam Solemnibus, quam privatis abunde dictum est in Manuductione celebrandi Missam; quia vero communiter Missam cantatam pro Defunctis

Etis solet præcedere Officium Defunctorum, de eo nonnulla notanda, & observanda occurrunt.

2. Officium Defunctorum quandoque dicitur cum præmissio Invitatorio: *Regem cui omnia vivunt &c.*: quandoque dicitur sine Invitatorio. Item aliquando dicuntur tres Nocturni, aliquando dicitur solum unum Nocturnum. Ulterius quandoque dicitur ritu duplici, nempe duplicando Antiphonas, seu dicendo Antiphonas integras, tam ante, quam post Psalmos; quandoque vero dicitur ritu Semiduplici. Tandem post Vesperas ad preces dicitur Psalmus: *Lauda anima mea Dominum*: & post Laudes: *De profundis*; qui tamen Psalmi quandoque omittuntur.

3. De Invitatorio: *Regi cui omnia vivunt &c.*, cum Psal. *Venite*. Rubrica Generalis Breviarii Tit. 19. De Invitatorio num. 2. sic præscribit. *Non dicitur in Officio Defunctorum per annum, excepto die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, ac in die obitus, seu depositionis Defuncti, & quandocunque dicuntur tres Nocturni.* P. Joannes Michael Cavalieri in suo Opere Liturgico tom. 3. cap. 2. Decreto 9. num. 5. docet: Quibus (nempe diebus exceptis a Rubrica) num. 2. Gavantus addit dies 3. 7. 30. ac Anniversarium, & depositionis absente corpore, & regulariter quando tres Nocturni dicuntur, qua in re cum concordent Durandus lib. 5. cap. 3. Guyetus quæst. 17. Corsettus, Baruffaldus, alique communiter, dubitari non licet. At id ipsumne erit, si unum solummodo dicatur Nocturnum? Utique in die obitus præsentis corpore, cum id diserte mandat Rituale, quod nos cum Guyeto, & Gavanto fatemur extendi posse ad dies 3. 7. 30. ad Anniversarium, & depositionis absente corpore, & ad quodcunque Officium Solemne. *Hæc citatus Auctor.*

4. Officium Defunctorum constat tribus Nocturnis, & est de præcepto dicendum cum omnibus tribus Nocturnis in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum: non sic tamen per annum in prima die mensis non impedita,

aut Feriis secundis Adventus, & Quadragesimæ, in quibus pro Suffragiis generalibus unum solummodo dicitur Nocturnum cum hoc ordine, ut Feria 2. & 5. Primum. Feria 3. & 6. Secundum: ac Feria 4. & Sabbato Tertium Nocturnum sit recitandum.

5. Diebus depositionis, sicut etiam diebus 3. 7. & 30. & Anniversario Rituale Romanum in suis Rubricis tres adscribit Nocturnos, cum hac tamen lege, ut si ob temporis Angustiam, vel aliam urgentem causam tres dici nequeant, saltem unus non prætermittatur: quinam autem Nocturnus dici debeat? Rituale de Exequiis absente corpore minime distingvit, sed absolute habet: *Vel saltem dicatur unum Nocturnum.* De Exequiis vero ad præsentiam corporis Nocturnum assignat dicens: *Dicatur saltem primum Nocturnum cum Laudibus.*

6. Rubricæ particulares nostri Breviarii *num. 8.* præscribunt, ut sequitur. Quolibet anno fiunt Officia Generalia Defunctorum per Statuta Ordinis præscripta; in quibus dicuntur Vesperæ, & Vigiliæ novem lectionum cum Laudibus. *num. 9. habetur.* Ultra vero dicta Officia, aliud Generalissimum fiat prima die non impedita post Festum omnium Sanctorum nostri Ordinis, pro Defunctis Fratribus, & Sororibus omnium Statuum trium Ordinum, nec non pro ipsorum, seu ipsarum Patribus, & Matribus, atque Benefactoribus, ac pro illis omnibus, qui in cæmeteriis eorundem Ordinum sunt sepulti. Deinde eadem Rubricæ particulares *num. 45.* Subdunt. Cum apud Rubricam 12. Statutorum S. Bonaventuræ præscriptum sit, quod Officium pro Defunctis Fratribus, & Benefactoribus ter in anno Solemniter celebretur, scilicet proxima die ante Festum B. M. Magdalenæ, & proxima die ante Festum B. Michaelis, & post Dominicam Septuagesimæ: dies proximi pro hujusmodi Officiis non impediti illi censentur, in quibus occurrunt Officia Ferialia, aut Simplicia vel Semiduplicia, non tamen Dominicalia. Quamobrem

obrem præfatum Statutum diebus prædictis non impeditis omnino est executioni mandandum, sub Solemnitate ibidem assignata per hæc verba. Clerici Vesperas, & Vigiliam cum novem Lectionibus, & Missam cantent: Laici dicant centum *Pater noster*, & totidem *Ave Maria*. Et *num. 46. habetur*. Ultra Generalissimum post Festum omnium Sanctorum Ordinis nostri applicandum ut supra *num. 9.* (quod potest recitari etiam occurrente duplici minori, & possunt celebrari Missæ de Requiem, præter Conventualem, si celebrentur pro Fratibus Defunctis) Alterum ultima die ante Adventum, vel prima Adventus non impedita, simile prædictis tribus, pro Parentibus omnium Fratrum, nunquam omittendum. Tandem eadem Rubrica *num. 47.* Statuit. Ubi ex dispositione Constitutionum Provinciarum, aut Ordinis cantari debet Nocturnum Defunctorum cum Missa de Requiem, cum primum habita fuerit certa notitia de obitu illius Religiosi Ordinis, seu Provinciæ, cui simile Suffragium competat, dicta Missa cantari poterit cum Noctur. in Festo duplici etiam majori, ut citius suffragetur anima Defuncti. Statuta vero Provinciæ nostræ *cap. 3. art. 1. pag. 93. num. 10.* Sic sonant. Quando de morte alicujus Fratris Provinciæ nostri Professi, vel incorporati, aut Tertiarii pariter Professi, & sub obedientia Superiorum manentis constiterit: Officium Defunctorum, quo ad unum Nocturnum, & Laudes cum Missa decantetur, & ultra hoc totum Officium Defunctorum tempore Coronæ plane absolvatur &c.

7. Quantum ad duplicationem Antiphonarum, Rubrica Generalis Breviarii *titulo 1. De Officio duplici num 1.* eam demandat in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, & in die obitus, seu depositionis Defuncti. Aliorum dierum Rubrica Breviarii non meminit: Supplet vero Rituale Romanum, quod *Titulo: De Officio Defunctorum*, hæc verba habet: *In die vero Depositionis, & tertio, & septimo, & Anniversario duplicantur Antiphonæ.* Jam vero

De-

Decretum Sac. Rit. Congr. præcipit. *Duplicatio Antiphonarum præter diem Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, & diem Depositionis Defuncti fiat in diebus 3. 7. 30. & Anniversario S. R. C. 8. Martii 1738. Tandem Rubrica Missalis titulo 5. De Missis Defunctorum Rubr. 3. sic habet. In die Commemorationis omnium Defunctorum, & in die Depositionis, & in Anniversario Defuncti, dicitur una tantum Oratio; & similiter in die 3. 7. 30. & quodocumque pro Defunctis Solemniter celebratur: in aliis vero Missis plures. Ex hac Rubrica Missalis Cavalieri tom. 3. cap. 2. Decreto 8. num. 2. cum Guyeto, & Gavanto recte infert; quod cum unica Oratio dicenda in Missa arguat ritum duplicem in Officio, quodocumque celebratur Officium Defunctorum Solemniter, illud celebrari debet ritu duplici, id est duplicando Antiphonas; & hoc sive dicantur tres Nocturni, sive tantum unum Nocturnum.*

8. Quod vero attinet Psalmos, post Vesperas: *Lauda anima mea Dominum*, & post Laudes: *De profundis*: de his Rubrica Breviarii sic habet: *Qui Psalmi non dicuntur in die omnium Fidelium Defunctorum. Rituale Romanum titulo. De Exequiis præsentis corpore*; per extensum ponit preces in tali circumstantia (nempe quando corpus est præsens) dicendas, prætermittis supradictis Psalmis. Diebus vero quibuscumque reliquis Psalmos dicendos esse, eadem Rubricæ satis innuunt dum a generali regula duos dumtaxat dies illos excipiunt. Cavalieri tom. 3. cap. 2. Decreto 10. num. 3. subjungit sequentia. An in die obitus, seu depositionis Psalmi omittendi item sint, si Officium non dicatur ad præsentiam cadaveris, insurgit quæstio; quam negative decidimus. Ducimur autem, quod Rituale allegato loco, disponit de Exequiis præsentis corpore; unde ejusdem dispositio non quadrat casui: & præsertim quia idem Rituale infra titulo. *De Officio Defuncti*. assignat preces cum Psalmis, & subdit Orationes, pro die *Depositionis*, quin notet in hoc casu Psalmos esse omittendos;

Ora-

Orationes autem, quæ ibi assignantur pro die Depositionis, dicendæ dumtaxat sunt absente corpore; nam corpore præfente semper dicitur illa, quæ inter Exequias ponitur. Quid igitur inde? Indubie, quod Psalmi omittendi sunt ad præsentiam corporis, dicendi vero si cadaver præfens non fuerit. *Hæc citatus Auctor.*

9. De iisdem Psalmis dicendis post Vesperas, & Laudes a Sac. Rit. Congregatione tria emanarunt Decreta. *Primum.* In Officio Defunctorum in Vesperis, & Laudibus dicendi semper sunt Psalmi appositi: *De profundis*; & *Lauda anima mea Dominum*; & post Vesperas, & Laudes omittuntur iisdem Psalmi tantum in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, & in die depositionis Defuncti. S. R. C. 23. Junii 1736. *Alterum* Decretum sic sonat. Psalmi: *Lauda anima mea Dominum*; & *De profundis* omittuntur in precibus post Officium in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, & in die obitus, seu Depositionis Defuncti dumtaxat; cæteris autem diebus semper, & omnino dicantur. S. R. C. 3. Augusti 1737. Adeoque sive Officium dicatur Solemniter, sive non: sive dicantur tres Nocturni, sive solum unus: sive tandem duplicentur Antiphonæ, sive non, supradicti Psalmi nunquam omitti possunt, præter solos exceptos dies Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, & die obitus, seu depositionis Defuncti. *Tertium* denique Sac. Rit. Congr. Decretum sic statuit. Quando ab aliqua Congregatione dicitur totum Officium Defunctorum, non debet illud dici ut secunda die Novembris, omittendo Psalmos post Vesperas, & Matutinum positos in Officio Defunctorum. S. R. C. 5. Julii 1698. Ex hoc patet, quod quando apud nos juxta præscriptum Rubricarum (ut dictum est supra num. 6.) dicitur Solemniter totum Officium Defunctorum, tribus vicibus pro Fratribus, & Benefactoribus, & semel pro Defunctis Parentibus omnium Fra-

trum, prædictos Psalmos non esse omittendos. Secus tamen dicendum est de Officio Generalissimo, quod dicitur post Festum omnium Sanctorum Ordinis nostri; nam Rubrica particularis Breviarii nostri *num. 23.* hoc comparat cum Officio Defunctorum, quod dicitur secunda Novembris.

10. Ex his omnibus clare patet, quam perperam, imo perverse faciant illi, qui non solum dictos Psalmos, præsertim post Laudes omittunt, sed insuper alias preces, imo & ipsam Orationem omittunt, & post repetitam Antiphonam post Canticum *Benedictus* statim incipiunt cantare Missam. Hujusmodi Sacrorum Rituum transgressores, & Sacræ Congregationis Decretorum postpositores utique maximarum pænarum se se reos efficiunt.

11. Tradunt quidem nonnulli, uti habet Cavalieri *tom. 3. cap. 2. Decreto 9. num. 14.* quod quando post Officium Defunctorum statim sequitur Missa de Requiem, tunc post Orationem Officii Defunctorum, non esse addendos versiculos: *Requiem æternam &c.*, & *Requiescant &c.*, ducti ea ratione; quia dum finita aliqua Hora Canonica Officii diei statim dicitur, & jungitur Officium Defunctorum, Rubrica Breviarii præscribit, ut dicto post Orationem Officii Divini: *Benedicamus Domino*, & responso: *Deo gratias*: omittatur versus: *Fidelium animæ &c.* Omittere vero in fine Officii Defunctorum ipsam Orationem cum antecedentibus precibus, & versiculis, est apertum peccatum contra ordinationem Ecclesiæ, simile peccato illi, si post dictam Tertiam Officii Divini, post ultimum Psalmum sola dicta Antiphona, statim inciperet Missa, omissa Oratione complente ipsam Horam Canonicam.

12. Ulterius adhuc observandum venit, quod in toto Officio Defunctorum omnia semper dici debent, ut habentur

tur in Breviario, five illud dicatur pro pluribus, five pro uno solo: nempe *Requiem æternam dona eis &c. Lux perpetua luceat eis. Collocet eas Dominus. Ne tradas Bestiis animas &c.*: & excipiuntur solummodo versus precum, qui dicuntur ante Orationem, qui versus, si pro uno fiat Officium, dicuntur in numero singulari, sicuti & Oratio sequens, prout habetur in Breviario. Preces autem, quæ incipiunt dicta Antiphona post *Magnificat*, vel *Benedictus*, a *Pater noster*, semper dicuntur flexis genibus, etiam illis diebus, quibus omittuntur Psalmi: *Lauda anima mea, & De profundis.*

## CAPUT XXVI.

DE

### COMMEMORATIONE OMNIUM FIDELIUM DEFUNCTORUM.

I. In Festo Omnium Sanctorum, vel si hoc Festum venerit in Sabbato, die Dominica, pro secundis Vesperis Sacrista præparet tempestive in Sacristia Paramenta Solemnia alba pro Celebrante, & Assistentibus pro Vesperis de Festo: nec non etiam Paramenta nigra, quæ nigra Paramenta pro Vesperis Defunctorum ante inceptionem Vesperarum de Festo poterit portare ad Chorum, ibique in aliquo congruo loco collocare, ut finitis Vesperis de Festo, illa Celebrans, & Assistentes statim in Choro assumere possint: ubi vero Chorus est ante Altare, Paramenta nigra poterint interim reponi super Credentia prope Altari: ubi denique Sacristia non procul distat ab Altari, Paramenta nigra poterunt relinqui exposita in Sacristia.

2. Ad Altare majus Sacrista tempestive pariter ante Vesperas apponat Pallium, seu Antependium nigrum, super

puod tamen aliud album Festivum ita disponat, ut finitis Vesperis de Festo statim facile possit amoveri Pallium album, & nigrum relinqui pro Vesperis Defunctorum. Castrum doloris, seu Tumulum, ut vocari solet, ponatur in Ecclesia, non in Presbyterio, sed extra illud.

3. Tempore convenienti Celebrans cum omnibus Assistentibus, suis respective solemnibus Paramentis Festivis ornati in Sacristia, procedunt ad Altare: & absolvuntur solemniter Vesperæ Festivæ, sicut traditum est supra *part. 2. cap. 10. De Vesperis Solemn.*

4. Finitis Vesperis, & dicto *Benedicamus Domino*, dum a Choro cantatur, & respondetur: *Deo gratias*, si Paramenta nigra sint jam collocata in Choro, Celebrans cum Assistentibus, facta debita reverentia Altari, ingrediuntur Chorum, ibique Paramenta alba deponunt, & assumunt nigra; & Celebrans non addit versiculum *Fidelium animæ &c.*, sed stans ante Pulpitum intonat Antiphonam: *Placebo*, quam complet Chorus, & ea finita Cantores intonant Psalmum. Reliqua fiunt proportionate ad alias Vesperas; tempore Psalmorum tamen uterque Chorus sedet. Ubi vero Chorus est ante Altare, dicto *Benedicamus Domino*, ut supra, Celebrans cum Ministris, facta Altari debita reverentia, accedunt ad Credentiam, ubi Paramenta alba deponunt, & assumunt nigra, & iterum regrediuntur ante Altare, ubi genuflexi super infimo gradu aliquantulum orant, deinde surgunt, & accedunt ante Pulpitum, & Celebrans intonat Antiph. *Placebo*. Si vero Altare majus non procul distet a Sacristia, & ibi exposita sint Paramenta nigra; dicto *Benedicamus Domino*, ut supra, Celebrans cum Assistentibus, facta Altari debita reverentia, vadunt ad Sacristiam, & ibi deponunt Paramenta alba, & assumunt nigra, & mox sine mora revertuntur ad Altare, ubi genuflectunt super infimo Altaris gradu oran-  
tes

tes per aliquod breve spatium; deinde surgunt, & Chorum ingrediuntur, & Celebrans stans ante Pulpitum intonat Antiph. *Placebo*: postea deponit Pluviale, & ingreditur suum Stallum, & *Vesperæ Defunctorum* decantantur ut alias.

5. Dum post ultimum Psalmum repetitur a Choro Antiphona, Celebrans egreditur de Stallo, & adjuvantibus Ministris capit Pluviale. Finita Antiphona, ambo Acolythi cantant versum: *Audivi vocem &c.* Antiphonam ad *Magnificat* incipit Celebrans; qua a Choro decantata, Celebrans cum Assistentibus accedit ante Altare; sed in *Vesperis Defunctorum* Altare non debet incensari, sed Celebrans cum Assistentibus stantes ante Altare, dicunt alternatim Canticum *Magnificat*: quod si pauci sint in Choro, & Altare non distet a Choro, poterunt simul cum Choro Canticum cantare.

6. Repetita a Choro Antiphona post *Magnificat*, Celebrans incipit alta voce: *Pater noster*, & statim omnes genuflectunt. Dicto reliquo *Pater noster* secreto, Celebrans iterum clara voce cantat: *Et ne nos inducas &c.* Psalm. *Lauda anima mea Dominum*, hac die non dicitur, sed Celebrans adhuc genuflexus, cantat sequentes versiculos, Choro respondente, & ad versum *Dominus vobiscum* surgit Celebrans cum Assistentibus, aliis manentibus genuflexis, & cantat Orationem *Fidelium* cum conclusione longiori, & *Ceroferrarii* stant cum elevatis suis candelabris. Finita Oratione Celebrans addit versiculum: *Requiem æternam dona eis Domine*, & Cantores cantant: *Requiescant in pace*, & responso a Choro *Amen*, Celebrans cum suis Assistentibus, facta debita reverentia Altari, recedit ad Sacristiam. In Choro vero dicitur *Completerium*, & deinde terminatur tota devotio consveto modo. Et Sacerdos aliquis Superpelliceo, & Stola indutus in Sacristia, vadit per Ecclesiam ad Cimiterium, & Sepulchra aspergit aqua benedicta.

7. Secunda Novembris, vel si Festum Omnium Sanctorum venerit in Sabbato, tertia Novembris, summo mane dicitur Solemniter totum Officium Defunctorum. Post cantatam nonam Lectionem cantatur nonum Responsorium longius: *Libera me Domine de morte aeterna*. In fine Laudum ad preces hac die omittitur Psalmus: *De profundis*, & Oratio *Fidelium* cantatur cum conclusione longiori, ut supra in Vesperis dictum est.

8. De dicto Responsorio longiori: *Libera me Domine de morte aeterna* &c., generaliter notandum est, quod praefatum Responsorium solummodo dicitur in Officio in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum; & etiam semper quodocunque pro Defunctis, vel pro Defuncto dicuntur novem Lectiones: e contra vero quodocunque unum tantum dicitur Nocturnum, etiam in die Depositionis praesente corpore, praedictum Responsorium non est dicendum in Officio. Extra tamen Officium, praesertim in Absolutione ad Tumulum idem Responsorium dicitur, sive corpus sit praesens, sive absens, sicut etiam hac die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum: Oratio tamen ad Absolutionem, etiam hac die semper dicitur cum conclusione brevi.

9. De Missa Solemni pro Defunctis, nec non de Absolutione ad Tumulum post Missam, videantur dicta in Manductione celebrandi Missam pagina 527. & pag. 538.

10. Secundum antiquam, & laudabilem consuetudinem Provinciae, hac die (quod etiam quandoque aliis diebus fieri solet) finito Prandio omnes ex Refectorio vadunt ad Ecclesiam, recitantes per viam Psalmum *Miserere*, & ibi finitis gratiis, cantant Responsorium: *Libera me*, cum Oratione *Fidelium*, & postmodum Antiphonam: *Salve Regina*.

II. Circa hanc Antiphonam: *Salve Regina*, quæ non solum apud nos, sed etiam in aliis Ecclesiis horum Regnorum, ex antiqua, & laudabili consuetudine semper solet decantari post quamlibet Absolutionem ad Tumulum, notandum est, quod quando nostri Rubricancistæ in Directorio pro absolvendo Divino Officio, secunda Novembris in Commemoratione omnium Fidelium notant: *Post Missam Solemnem fit Absolutio ad Tumulum - - & dicto a Cantoribus: Requiescant in pace, & R. Amen, nihil aliud additur, nisi Antiphona: Si iniquitates, cum Psalmo: De profundis, redeundo ad Sacristiam.* Hæc Nota non debet ita intelligi, quod non debeat a Clero cantari Antiphona: *Salve Regina*; sed solum talis Nota fit conformiter ad sequens Sac. Rit. Congregationis Decretum. In Exequiis post Absolutionem, quæ fit super cadavera in die, obitus vel supra Tumulum in die Anniversario, dicto: *Requiescant in pace*, subjungi debet: *Anima ejus, & Animæ omnium Fidelium Defunctorum per misericordiam Dei requiescant in pace.* Sed super Lecticam, seu Castrum doloris in Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum, nihil est superaddendum S. R. C. 2. Decembr. 1684. Ex hoc tamen Decreto clare constat, quod in die obitus, vel Anniversario post Absolutionem, & Orationem, non statim dicto solum versu: *Requiem æternam dona eis &c.*, debeat addi: *Anima ejus, & Animæ omnium &c.*; sed prius etiam dici debet versus: *Requiescant in pace. R. Amen.* & postea primo subjungi debet: *Anima ejus, & Animæ omnium &c.*, prout expresse etiam habetur in nostro Breviario in fine Officii Defunctorum, post Orationes dicendas quando dicitur Officium pro aliquo Fratre Defuncto.

## CAPUT ULTIMUM.

DE

### DOMINICIS POST PENTECOSTEN, SI FUE- RINT PLURES QUAM 24.

1. Si Dominicæ post Pentecosten fuerint plures, quam viginti quatuor, tunc post Dominicam 23. si contingat posterioribus Dominicis (præter Dominicam ultimam) fieri Officium de ea, seu de Dominica, totum Officium dicitur ut alias in Dominicis per annum, & post Pentecosten, exceptis Lectionibus tertii Nocturni, Antiphonis ad *Benedictus*, & ad *Magnificat* in secundis Vesperis, & Oratione, quæ sumuntur ex Dominica illa, quæ superfuerat post Epiphaniam.

2. Quo ad Missam quoque bene observandum est, non debere dici illam Missam, quæ habetur posita in Missali post Epiphaniam; sed debet dici ea, quæ ponitur in Missali post Dominicam 24. post Pentecosten: nam tales Missæ solum quo ad Orationes, Epistolas, & Evangelia conveniunt; jam vero Introitus, Graduale, Versus post Alleluia, Offertorium, & Communio, hæc omnia sunt diversa in Missis, quæ sunt dicendæ in hoc casu post Dominicam 23. post Pentecosten, ab illis, quæ habentur in Missis post Epiphaniam.



APPEN-

# APPENDIX

DE

## PRÆCIPUIS INDULGENTIIS ORDINI NOSTRO CONCESSIS.

I. **O**mnes Ecclesiæ nostræ, ac Monialium nostri Instituti gaudent Indulgentiis Plenariis perpetuis, incipientibus a primis Vesperis usque ad occasum Solis Festi, pro omnibus Christi Fidelibus vere pœnitentibus, & Confessis, ac Sacra Communione refectis; pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, pias ad Deum preces effundentibus: diebus sequentibus.

Die 16. Januarii. In Festo SS. Berardi, & Sociorum Martyrum. Ex concessione Benedicti XIV. 18. Octobris. 1741.

Die 31. Januarii. In Festo B. Ludovicæ de Albertonibus; primo concessa ad annos 14. a Clemente XI. 22. Decembr. 1714. & solet renovari, & reconcedi post ipsos elapsos ad alios 14. annos, ut novissime fuit renovata, & reconcessa ad alios 14. annos a Clemente XIV. 11. Aprilis. 1772.

Die 5. Februarii. In Festo BB. Petri Baptistæ, & Socior. Mart. Ex concessione Clementis XII. 13. Julii. 1739.

Die 22. Febr. In Festo S. Margaritæ de Cortona. Ex concessione Benedicti XIII. 26. Julii. 1728.

Die 9. Martii. In Festo S. Catharinæ Virginis Bononiensis. Ex concessione Clementis XI. 21. Martii 1714.

Die 16. Aprilis. In Festo S. Raphaëlis Archang. Ex concessione Clementis XII. 30. Martii 1735.

- Die 13. Maii. In Festo S. Petri Regalati Conf. Ex concessione Benedicti XIV. 23. Augusti. 1746.
- Die 17. Maii. In Festo S. Paschalis Baylon. Conf. Ex concessione Alexandri VIII. 7. Sept. 1690.
- Die 20. Maii. In Festo S. Bernardini Conf. Ex concessione Sixti V. 28. Septembr. 1585.
- Die 13. Junii. In Festo S. Antonii de Padua Conf. Ex concessione Sixti V. 28. Sept. 1585.
- Die 19. Junii. In Festo B. Michelinæ vid. Ex concessione Clementis XII. 27. Sept. 1737.
- Die 9. Julii. In Festo BB. Nicolai, & Soc. Mart. Ex concessione Benedicti XIII. 6. Decembr. 1728. Dominica post Octavam SS. Petri, & Pauli Apost. In Festo B. Joannis de Dukla Conf. pro omnibus Ecclesiis tam Fratrum, quam Monialium Ministro Generali ordinis S. Francisci de Observantia subjeetorum in Regno Poloniae, & Magno Ducatu Litvaniae existentibus. Ex concessione Benedicti XIV. 25. Januarii 1742.
- Die 14. Julii. In Festo S. Bonaventuræ E. C. E. D. Ex concessione Sixti V. 28. Sept. 1585.
- Die 24. Julii. In Festo S. Francisci Solani Conf. Ex concessione Benedicti XIII. 14. Aug. 1727.
- Die 2. Augusti. In Festo Portiunculæ. In ipsa Capella Portiunculæ a D. N. JESU Christo concessa anno 1221. ab Honorio III. confirmata. A Gregorio XV. 4. Julii 1622. ad alias Ecclesias nostri Ordinis extensa. Ab Innocentio XI. 22. Januarii 1687. Animabus in Purgatorio existentibus applicabilis. De hac Indulgentia Portiunculæ vide plura paulo inferius. *num.* 2.
- Die 12. Aug. In Festo S. Claræ Virg. Ex concessione Sixti V. 28. Septembr. 1585.
- Die 19. Aug. In Festo S. Ludovici Ep. Conf. Ex concessione Sixti V. 28. Sept. 1585.

- Die 25. Aug. In Festo S. Ludovici Regis. Ex concessione Benedicti XIV. in Ecclesiis Fratrum Minorum pro omnibus Christi Fidelibus. In Ecclesiis vero Monialium nostri Ordini subjectarum, pro iisdem Monialibus, & conviventibus tantum. 17. Martii 1755.
- Die 4. Septembr. In Festo translationis S. Rosæ Virg. Viterbiensis. Ex concessione Clementis XI. 14. Januarii 1701.
- Die 17. Septembr. In Festo Sacrorum Stigmatum S. P. N. Francisci. Ex concessione Clementis XII. 31. Aug. 1731.
- Die 4. Octobr. In Festo S. P. N. Francisci. Ex concessione Sixti V. 28. Sept. 1585.
- Die 13. Oct. In Festo SS. Danielis, & Soc. Mart. Ex concess. Benedicti XIV. 29. Januarii 1748.
- Die 19. Oct. In Festo S. Petri de Alcantara Conf. Ex concessione Clementis IX. 2. Octobr. 1669.
- Die 23. Oct. In Festo S. Joannis a Capistrano Conf. Ex concess. Alexandri VIII. 7. Sept. 1690.
- Die 12. Novembr. In Festo S. Didaci Conf. Ex concessione Clementis VIII. 26. Maii 1598.
- Die 19. Novembr. In Festo S. Elisabeth Vid. Reg. Hungar. Ex concessione Benedicti XIV. in Ecclesiis Fratrum Minorum pro omnibus Christi Fidelibus. In Ecclesiis vero Monialium nostri Ordini subjectarum, pro iisdem Monialibus, & conviventibus tantum. 17. Martii 1755.
- Die 27. Novembr. In Festo omnium Sanctorum Trium Ordinum S. P. N. Francisci. Ex concessione Clementis XIII. 21. Maii 1766.
- Die 28. Novembr. In Festo S. Jacobi de Marchia Conf. Ex concessione Benedicti XIII. 14. Augusti 1727.
- Die 8. Decembr. In Festo Immaculatæ Conceptionis B. V. Mariæ. Ex concessione Benedicti XIII. 12. Dec. 1729.

De Indulgentia in articulo mortis videatur in Statutis Provincialibus pag. 242. num. 3.

De Indulgentiis Viæ Crucis videatur in iisdem Statutis. pagina 144.

2. Indulgentia Portiunculæ pro secunda die Augusti, a primis Vesperis usque ad occasum Solis diei hujusmodi potest obtineri, seu acquiri toties, quoties a Christi Fidelibus aliqua Ecclesia Ordinis S. P. N. Francisci visitatur, & ibidem ad mentem Pontificis oratur; nempe semel pro se ipso, & aliis vicibus pro Animabus Purgatorii: interposita inter unam, & aliam visitationem aliqua mora. Ita plurimi Auctores, ut videre est aqud Felicem Potestatem, Reiffenstuel, Lucium Ferraris, & alios; id clare colligentes tum ex communi praxi ubique, etiam Romæ observata, nedum a simplicibus, sed etiam a Viris doctis, & Primatibus: tum ex sequenti responsione, & declaratione Sac. Congregationis Concilii. Cum enim in vim Decreti sub Innocentio XI. editi 7. Mart. 1678. ubi disponitur: *Semel autem dumtaxat in die plenariam Indulgentiam in certos dies Ecclesiam visitantibus concessam, vel aliud pium opus peragentibus, lucrifieri, dubitaretur, an Indulgentiam præfactam Portiunculæ lucrarentur Fideles toties, quoties Ecclesiam visitarent?* Pro declaratione dubii fuerunt preces Sac. Congregationi Cardinalium exhibitæ, ut sequitur. Episcopus Labacensis a parte Imperii Orator devotus EE. VV. humiliter exponit, quod non obstante Decreto Innocentii XI. de Apocryphis Indulgentiis sub die 7. Martii 1678. quo declaravit: *Semel dumtaxat in die plenariam Indulgentiam in certos dies Ecclesiam visitantibus concessam, lucrifieri,* pergunt Fratres Ordinis S. Francisci Reformatorum de Provincia Carniolæ Populo persuadere: Indulgentiam pro die secunda Augusti de Portiuncula nuncupatam, eorum Ecclesiam visitantibus concessam, toties, quoties eadem die lucrifieri posse. Cum autem hujusmodi abusus ad Summum Pontificem ab Ordinariis deferri jubeat

Sac.

Sac Congregatio Concilii Tridentini Sess. 25. de Reform. cap. 21. in Decreto de Indulgentiis. Idcirco Orator quærit, & declarari petit: An prædicta Indulgentia de Portiuncula nuncupata etiam comprehendatur sub Decreto, & Declaratione San. mem. Innocentii XI. supradicta? Pro gratia &c. Die 17. Julii 1700. Sac. Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, audita relatione Procuratoris Generalis, & Ministri Provincialis, censuit servandum esse solitum (apud impressorem Cameralem). Et sic sæpius respondit eadem Sac. Congregatio Concilii; & novissime in una Ordinis S. Francisci. 4. Decembr. 1723.

3. Sixtus IV. Constitutione, quæ incipit: *Cum præ-excelsa*. 27. Febr. 1476. omnes Indulgentias concessas pro Festo, & per Octavam Corporis Christi, concessit etiam pro Festo, & per Octavam Immaculatæ Conceptionis B. V. Mariæ in nostris Ecclesiis.

4. Clemens VIII. Constit. quæ incip. *Sanctissimi Nominis*. 25. Febr. 1593. omnes Indulgentias concessas pro Festo Corporis Christi, concessit etiam in nostris Ecclesiis pro Festo Dulcissimi, & Sanctissimi Nominis JESU; dummodo assistentes Divinis Officiis dicant quinque Pater, & Ave pro felici Statu Romani Pontificis, & Sac. Rom. Ecclesiæ adversus Mahumericam, & Lutheranam perfidiam, ac pro universali Principum, & aliorum Fidelium pace.

5. Callistus III. 1457. Pro Festo Transfigurationis D. N. I. C. concessit recitantibus, & assistentibus Divinis Officiis in nostris Ecclesiis easdem Indulgentias, quæ sunt concessæ pro Festo Corporis Christi.

6. Omnes Fideles assistentes Divinis Officiis tam in nostris, quam quibuscunque aliis Ecclesiis in Festo, & in Octava Corporis Christi, lucrantur sequentes Indulgentias: Scilicet pro Missa 400. dies: pro Matutino 400. dies: pro qualibet Vespera 400. dies: pro qualibet Hora parva 160.

dies. Et in quibuslibet infra Octavam dies pro singulis Matutinalium, Missarum, & Vesperarum 200. dies: ac pro reliquis Horis 80. dies. Item sequentibus Processiones, & Missas devote celebrantibus tam in Festo, quam in aliis Octavæ diebus pro pace, & tranquillitate Ecclesiæ orantibus, ac Sacramentum in Festo hujusmodi sumentibus, conceduntur 200. dies. Sic concesserunt Urbanus IV. Martinus V. & Eugenius IV.

7. Ex concessione Leonis X. ut dictum est supra *part. 2. cap. 9. num. 8.* Fratres, & Sorores de Ordine Minorum recitando Coronam B. M. V. ex 72. Ave Maria, & 7. Pater noster, cum adhuc uno Pater, & Ave pro Summo Pontifice, lucrantur Indulgentiam plenariam.

8. Idem Leo X. concessit omnibus Fratribus Minoribus Regularis observantiæ, ac Monialibus S. Claræ, & Tertii Ordinis quod dicendo quinque Pater noster, cum totidem Ave Maria, & in fine cujuslibet Ave, Gloria Patri &c., ad intentionem Pontificis, & aliud Pater, & Ave pro ipso Pontifice concedente Indulgentias, lucrentur Indulgentias omnes tam plenarias, quam non plenarias concessas Ecclesiis Romanis, Hierosolymitanis, Compostellanis, & Portiunculæ, quacunque hora diei, vel noctis. Hæc Indulgentia obtinuit Nomenclaturam Stationis SS. Sacramenti, quia acquiritur recitando prædicta sex Pater, & Ave, & Gloria Patri ante Venerabile Altaris Sacramentum, juxta primam concessionem Leonis X. Habetur hæc Indulgentia etiam annotata in Rubricis particulare nostris Breviarii Franciscani, confirmatis ab Innocentio XII. quæ Rubricæ *num. 88.* sic habent. Circa Stationem SS. Sacramenti ex sex Pater noster, & Ave Maria, cum totidem Gloria Patri coalescentem, quotidie, & præsertim die Sabbati observandum est Statutum Julii III. *cap. 5.* sic decernens. In omnibus etiam Conventibus statim post Ave Maria, Fratres omnes ad Ecclesiam vadant, & ante SS. Sacramentum dicant brachiis extensis sex Pater noster, & totidem Ave  
Ma-

Maria, & Gloria Patri, ultimum pro eodem SS. D. N. Papa pro lucranda Indulgentia plenaria. Et num. 89. *Eadem Rubrica subjungit.* Cui Statuto consonat omnino aliud hujus tenoris. (Et quia Indulgentiæ Stationis SS. Sacramenti revocata non sunt, ipsius recitatio quotidiana omnibus tam Fratribus, quam Monialibus, & Tertiariis Sæcularibus enixe commendatur) Quod adest insertum, & specificè confirmatum in Brevi, cujus initium: *Debitum Pastoralis.* a SS. D. N. Innocentio XII. die 19. Maii 1694. benigne concessio. *Hæc est Rubrica Breviarii nostri.*

9. Ex allata Rubrica duo obiter hic observanda occurrunt. *Unum:* Rubrica præcipit, ut præfata sex Pater, & Ave, cum Gloria Patri, dicantur brachiis extensis; non autem, ut nonnulli delicatuli facere solent, manibus ante pectus extensis, quod faciendum præscribit Rubrica Missalis in Missa. *Alterum:* quod omnia sex Pater noster, Ave Maria, & Gloria Patri debeant dici pro lucranda Indulgentia: quinque quidem ad intentionem Pontificis; quam intentionem plures Summi Pontifices concedentes Indulgentias exprimere solent his verbis: Pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione: sextum vero pro Summo Pontifice. Non vero ut nonnulli ideotæ asserere solent: dicant quinque Pater noster, & Ave Maria cum Gloria Patri, in honorem quinque Vulnerum D. N. J. C. & sextum ad lucrandam Indulgentiam pro Summo Pontifice.

10. Alexander VII. 11. Junii 1659. Fratribus Minoribus de corpore observantiæ peragentibus Spiritualia mortificationis, & Orationis mentalis Exercitia per octo dies, si per id temporis spatium vere pœnitentes, & confessi SS. Sacramentum Eucharistiæ sumpserint, ac pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quoties id egerint, plenariam concessit Indulgentiam.

11. Innocentius XII. 24. Decembr. 1692. Constitutione incipiente: *Ad ea*, quæ habetur in Rubricis particul. nostri Breviarii num. 177. & 178. concessit omnibus, & singulis Fratibus Ordinis Minorum S. Francisci de observantia, ac etiam Tertiariis, nec non omnibus Confratribus, & Confororibus quarumcunque Confraternitatum, & Societatum, in eorundem Fratrum, & Monialium Ecclesiis canonicè erectarum, & erigendarum, qui per quadrantem horæ Orationi mentali vacaverint, pro qualibet vice centum dies: qui vero per duos quadrantes continuatos, vel saltem per quadrantem horæ singulis diebus, & per totum mensem dabunt operam, & vere pœnitentes, & confessi SS. Eucharistiæ Sacramentum sumplerint, ac pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam semel quolibet mense lucrantur Indulgentiam, etiam per modum Suffragii Defunctis applicabilem.

12. Benedictus XIV. in suo Brevis, quod incipit. *Cum sicut dilectus*. 24. Martii 1741. indulgit, ut sequitur. Cum in cujuscunque Presbyteri, vel Clerici, aut Laici Ordinis Fratrum Minorum de Observantia, nec non Reformatorum, Tertiariorum, ac Monialium Ordini subjectarum, die obitus, vel aliis diebus, per Constitutiones Ordinis aliquas Missas unusquisque Frater dictorum Ordinum in Sacro Presbyteratus Ordine constitutus celebrare debeat. Auctoritate Apostolica benigne concessit, & indulgit, ut quodocunque Sacerdos aliquis dicti Ordinis, aut Reformationis prædictam Missam, vel in die obitus præfatorum Presbyterorum, ac Clericorum, ac Laicorum, nec non etiam Monialium Ordini præfato subjectarum: ac quo ad Moniales in earum respectu Ecclesiis, Sacerdos quoque Sæcularis, vel alterius Ordinis Regularis; vel in alio die ad quodcunque Altare Ecclesiarum dictarum Ordinis, & Reformatorum, tam hætenus erectarum, quam in posterum erigendarum, pro illorum,

rum, & illarum Anima, quæ Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, celebrabit, Missa hujusmodi animæ pro qua celebrabitur, perinde suffragetur, ac si ad Altare Privilegiatum celebrata fuisset.

13. Benedictus XIV. per Apostolicum rescriptum 17. Decembr. 1748. quod deinde 21. Januarii 1756. confirmavit per Breve, quod incipit: *Cælestium munerum*. Concessit omnibus Ecclesiis Ordinis nostri, & Monialium, unum Altare Privilegiatum pro Defunctis quotidianum, & perpetuum; pro Missis tamen quæ a Fratibus Ordinis S. Francisci in Altaribus hujusmodi, per Ordinarios respectively designandis, celebrabuntur.

14. Idem Benedictus XIV. per suum Breve, quod incipit: *Cælestium munerum Thesauros*. 21. Januarii 1756. Omnibus Patribus, & Fratibus, nec non etiam Monialibus Iurisdictioni Ministri Generalis totius Ordinis Minorum subjectis Senibus, Infirmis, atque Imbecillibus, qui ex causis hujusmodi senectutis, infirmitatis, ac imbecillitatis in Valetudinariis diversantur, benigne concessit, quod visitato Oratorio, aut Sacello in eorum Valetudinario existente, omnes Indulgentias hætenus concessas, & in posterum a Summis Pontificibus concedendas Ecclesiis ejusdem Ordinis, lucrari possint, ac valeant, ac si ipsas Ecclesias ejusdem Ordinis visitarent, reliquis expletis juxta præscriptum explendis. Insuper Altare privilegium quotidianum perpetuum concessum cuilibet Ecclesiæ dictorum Fratrum Minorum, etiam Altaribus in Oratoriis Valetudinariorum respectively existentibus pro Religiosis Senibus, Infirmis, atque Imbecillibus inibi celebrantibus, clementissime concessit.

15. Clementi XIII. porrectus fuit Supplex Libellus tenoris sequentis. Beatissime Pater. Supplex, ac devotus Orator Pr. Fr. Benedictus Kotficki Ord. Min. Observ. Provinc. Russiæ Minister Provincialis, penes oscula S. Pedum exponit Sanctitati vestræ, juxta antiquissima Provinciæ suæ

Statuta, illud Subditos sibi inter Fratres piissimum charitatis reperiri opus, quo omnes Religiosi Sacerdotes animas Defunctorum Fratrum, Consanguineorum, ac Benefactorum, mutuis Suffragiis per celebrationem Sacrificii Missæ adjuvare solent. Orator vero cupiens opus istud ampliori Succursu animabus prædictis in pœnas Purgatorii Altissimi Decreto destinatis suffragari, supplicat humillime Sanctitati Vestræ pro benigna declaratione, quamlibet Missam a Sacerdotibus Religiosis dictæ Provinciæ pro Defunctis Fratribus, Consanguineis, ac Benefactoribus celebrandam, proinde modo dictis animabus Suffragari, ac si ad Altare Privilegiatum, celebrata fuerit. Et Deus &c. *Rescriptum.* Ex Audientia Sanctissimi die 3. Martii 1768. Sanctissimus benigne annuit pro gratia, ut Missæ, quæ in die ab obitu Fratrum Ord. Minor. de Observantia, eorumque Consanguineorum, & Affinium, usque ad secundum inclusive gradum; nec non Benefactorum: vel alio die pro animabus eorundem, ad quodcunque Altare cujusvis Ecclesiæ prædicti Ordinis, & Provinciæ Ruffiæ, per Fratres Ordinis prædicti juxta Statuta celebrantur, perinde habeantur, & Suffragentur, ac si ad Altare Apostolico Privilegio pro Defunctis decoratum celebrata fuissent.

16. Paulus V. per specialem Bullam, quæ incipit. *Romanus Pontifex.* 23. Maii 1606. editam, ob varia dubia, incertitudines, & confusionem earum, omnes, & singulas Indulgentiam quibuscunque ordinibus, & Institutis Regularibus hujusmodi, etiam Mendicantibus, & quibuslibet Personis Regularibus concessas, perpetuo revocavit; atque ipsarum loco novas concessit. Indulgentiæ autem certæ de novo concessæ per dictum Paulum V. omnibus Personis Regularibus quorumvis Ordinum, sunt sequentes. I. Habitum Regularem a legitimis Superioribus, causa profitendo in eo, suscipientibus, & vere pœnitentibus, confessis, ac Sacra Communionem refectis: Indulgentia plenaria. II. Professio-

nem

nem (ut supra) emittentibus: Indulgentia plenaria. III. Cui-  
 libet Religioso intra Claustra sui Monasterii viventi, qui in  
 Festo Principali sui Ordinis confessus, ac Sacra Communion-  
 e refectus fuerit, aut Missam celebrans, pro Christianorum  
 Principum concordia, hæresum extirpatione, Romani Pon-  
 tificis Salute, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, pias  
 ad Deum preces effuderit: Indulgentia plenaria. IV. In  
 cuiusvis vero mortis articulo, si pariter vere pœnitens, &  
 confessus, ac Sacra Communione refectus; vel si id facere  
 nequiverit, saltem contritus, Nomen JESU ore, si potue-  
 rit, si autem, corde devote invocaverit: Indulgentia plena-  
 ria. V. Qui primam Missam, canonicè promotus, & con-  
 fessus celebraverit; vel confessus, & Communicatus eidem  
 Missæ interfuerit; aut ipso die Missam similiter celebraverit:  
 Indulgentia plenaria. VI. Spiritualia Exercitia per decem  
 dies facientibus: Indulgentia plenaria. (*Nobis illam peragen-  
 tibus per dies octo, Indulgentiam plenariam postea concessit Ale-  
 xander VII. ut dictum est supra num. 10.*). VII. Religiosi in-  
 tra Claustra viventes, qui suam Ecclesiam devote visitaverint,  
 & ut præfertur oraverint, consequuntur easdem Indulgen-  
 tias, quas visitantes Ecclesias Urbis, & extra eam diebus  
 Stationum consequuntur, in omnibus diebus (*nempe in omni-  
 bus diebus tantum Stationum in Missali Romano descriptis, ut de-  
 claravit Sac. Congregatio Indulgentiis, Sacrisque Reliquiis præ-  
 posita, approbante Innocentio XI. 7. Martii 1678.*) perinde ac  
 si ipsas Urbis Ecclesias personaliter visitarent. VIII. Omnibus  
 Religiosis intra Claustra viventibus, qui quinquies Oratio-  
 nem, Dominicam, & Salutationem Angelicam ante Altare  
 eorum Ecclesiæ dixerint, in quolibet die quinque annos, &  
 totidem quadragenas. *In nostra Provincia quolibet die post  
 absolutum Matutinum in Choro dicuntur extensis brachiis ante  
 majus Altare quinque Pater noster, & totidem Ave Maria,  
 cum Gloria Patri.* IX. Easdem Indulgentias lucrantur exi-  
 stentes extra Claustra de licentia suorum Superiorum tan-

quam Prædicatores, & Lectores, si dictas preces ante quolibet Altare dixerint. X. Religiosi, qui per mensem integrum singulis diebus spatio mediæ horæ Orationem mentalem fecerint, ac confessi, & Sacra Communione ultima Dominica mensis refecti fuerint, lucrantur sexaginta annos, & totidem quadragenas. (*Pro Nostratibus vide supra num. II. concessionem factam ab Innocentio XII.*). XI. Qui vero contrito corde, & pœnitentes eorum culpas, & peccata, ac imperfectiones in Capitulis culparum accusabunt, & spiritualiter communicabunt, & exercitium virtutum facient, tres annos, & totidem quadragenas. XII. Missiones ad Terras Infidelium acceptantibus &c. Indulgentia plenaria.

17. Benedictus XIII. in suo Breui, quod incipit: *Injunctæ nobis*. 14. Septembr. 1724. Omnibus, & singulis Christi Fidelibus vere pœnitentibus, & confessis, ac Sacra Communionem refectis, qui mane, aut meridie, seu Vespere ad pulsum campanæ: *Angelus Domini nuntiavit Mariæ, & concepit de Spiritu Sancto. Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Et verbum Caro factum est, & habitavit in nobis.* Cum tribus *Ave Maria*, flexis genibus devote recitaverint, & pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ, exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, plenariam in uno die cujuslibet mensis dumtaxat, per unumquemque Christi Fidelem ad sui libitum eligendo, lucrificandam, omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concessit. In reliquis vero anni diebus iisdem Christi Fidelibus vere contritis, quoties id egerint, centum dierum Indulgentiam concessit. Die 5. Decembr. 1727. idem Summus Pontifex Benedictus XIII. adjecit sequens Indultum. Quia vero Sanctitati suæ expositum fuit, quod sæpe Regulares, alique in Religiosis Domibus commorantes, & tempore quo mane, meridie, aut vespere campanæ pulsantur, quibusdam actionibus ad Regularem observantiam spectantibus detinentur, & ideo easdem preces  
reci-

recitare tunc temporis minime possunt; ac insuper præfatorum nomine humillime supplicatum fuit, ut ex Apostolicæ Sedis dispensatione prædictas preces alio tempore recitando, easdem Indulgentias lucrari valeant. Quapropter SS. D. N. audito voto Sac. Congregationis Indulgentiis, Sacrisque Reliquiis præpositæ, benigne indulfit, ut Regulares omnes, alique in Religiosis Domibus commorantes, si dum ut supra campanæ pulsantur, aliquod opus exercent, quod ad Regularem observantiam pertineat, nihilominus supra memoratas Indulgentias acquirere possint, dummodo statim, ac opus prædictum expletum fuerit, preces supra memoratas flexis genibus devote recitent. Tandem Benedictus XIV. 20. Aprilis 1742. Statuit, ut qualibet die Sabbati vespere, & tota die Dominica prædictæ preces dicantur stando, similiter ut toto tempore Paschali (quod terminatur ad primas Vesperas SS. Trinitatis) loco prædictarum precum dicatur stando Antiphona: *Regina Celi Co.*, cum versu, & Oratione: *Deus, qui per resurrectionem &c.*: qui vero nesciunt prædictam Antiphonam, recitent pro lucrandis Indulgentiis consuetas preces: *Angelus Domini.*

18. Clemens XII. in suo Brevi incipiente. *Cælestes Ecclesiæ.* 14. Augusti 1736. Omnibus & singulis Christi Fidelibus, qui sub horam noctis ad pulsam campanæ Psalmum: *De profundis*, vel semel Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam, cum versiculo. *Requiem æternam &c.*: in Suffragium animarum Christi Fidelium Defunctorum, flexis genibus devote recitaverint, quo die id egerint, centum dierum Indulgentias concessit. Et insuper iisdem Christi Fidelibus vere pœnitentibus, & confessis, ac Sacra Communionem refectis, qui per annum præmissa peregerint, ac pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, & Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, plenariam in uno die cujuslibet anni duntaxat, per unumquemque Fidelem ad sui libitum eligendo

lucrificandam omnium peccatorum suorum Indulgentiam concessit, & elargitus est. Insuper prout declaravit idem Clemens XII. 12. Decembr. ejusdem anni. Ista Indulgentia possunt acquiri, sive prædictæ Orationes recitentur ante, sive post horam noctis juxta cujusque loci consuetudinem.

19. Gregorius XV. 10. Nembr. 1622. concessit Fratribus Minoribus, quod possint omnes Indulgentias, & opera meritoria applicare per modum Suffragii Animabus Purgatorii.

20. Plures aliæ Indulgentiæ videri possunt apud Auctores, præsertim Patrem Lucium Ferraris, verbo *Indulgentia*; sicuti etiam conditiones requisitæ pro lucrands Indulgentiis. Ex quo Auctore adhuc adduntur sequentes Indulgentiæ. Pro devota, & reverenti nominatione SS. Nominis JESU, & MARIÆ a Sixto V. in Constitutione incipiente *Reddituri*: concessæ sunt Indulgentiæ sequentes, his expressis verbis. Quia non est aliud Nomen sub cælo, in quo nos oporteat Salvos fieri, nisi Nomen JESU, idcirco omnibus, & Singulis Christi Fidelibus, qui hoc modo salutaverint alios, nempe suo vulgari, seu latino sermone: Laudetur Jesus Christus; & his, qui sic responderint: in sæcula, vel Amen, aut semper, utrisque tam Salutantibus, quam respondentibus quinquaginta, ubicunque id factum fuerit. Qui autem Nomen JESU nominaverint reverenter, vel Nomen MARIÆ, viginti quinque dies: Qui vero in mortis articulo ore, vel corde (si ore non potuerint) idem Nomen invocaverint, dummodo ante habuerint consuetudinem sic salutandi, vel nominandi idem Nomen JESU, plenariam omnium peccatorum Indulgentiam, & remissionem. Quique Litanias ejusdem Sanctissimi Nominis recitaverint, trecentos: Qui Litanias ejusdem B. Virginis Mariæ, ducentos; Nec non Prædicatoribus Verbi Dei, qui inter prædicandum ad hunc modum Salutandi, invocandi, & recitandi, seu nominandi Nomen JESU, & MARIÆ auditores

mo-

monuerint, & quicumque hanc Salutationis formam usui esse curaverint, easdem Indulgentias, ac peccatorum remissiones consequantur, auctoritate, & tenore præmissis concedimus, & largimur. Volumus autem, ut prædictæ Litanæ Nominis JESU, & B. V. MARIÆ juxta morem, & consuetudinem in Romana Curia, & Domo Beatissimæ Virginis MARIÆ usitatum recitentur. Hæc de verbo ad verbum in citata Sixti V. Constitutione incipiente *Reddituri*. Et insuper alios Salutantes suo vulgari, sive latino idiomate: Laudetur Jesus Christus; & respondentes: In Sæcula, vel Amen, aut semper; lucrantur alios centum dies Indulgentiæ ex concessione Benedicti XIII. die 12. Januarii 1728.

21. Hoc tamen bene notandum est, quod multi Auctores, etiam Recentiores doceant, uti etiam habetur apud Reiffenstuel *tom. 1. tract. 12. dist. 3. quæst. 5. num. 49. & 50.* quod quando in Forma Indulgentiarum præscribitur Confessio, & lucraturus Indulgentiam habeat peccatum mortale, non sufficit sola Contritio, sed requiritur actualis Confessio: quando vero Indulgentiam lucraturus nullum habet peccatum mortale, sed sola venialia, licet tutius, & consultius sit facere Confessionem de solis venialibus, nihil ominus satis probabile est, tunc non requiri Confessionem actualem. Bene inquam notandum est, talem Sententiam nullatenus amplius posse sustineri, propter recentissimum Decretum Sac. Congregationis Indulgentiis, Sacrisque Reliquiis præpositæ, tenoris sequentis. Ut Christi Fideles scire possint, quid sibi tenendum foret pro acquirendis Indulgentiis in Sententiarum varietate super intelligentia verborum: *Qui vere penitentes, Confessi, ac Sacra Communionem refecti Ecclesiam visitaverint: quæ in Indulgentiarum Brevibus inferi solet; in Sac. Congregatione Indulgentiis, Sacrisque Reliquiis præposita discussis die 31. Martii proxime præteriti nonnullis diebus; Eadem Sac. Congregatio fuit in voto, Confessionem Sacramentalem, quando in Brevibus apponitur pro Indulgentiarum*

gentiarum consecutione, peragi omnino debere etiam ab his, qui sibi lethalis peccati conscii non sunt; nec non præfatam Confessionem suffragari etiam posse, si expleatur in Vigilia Festivitatibus. Quod autem ad Ecclesiæ visitationem spectat eam impleri posse sive ante, sive post aliorum piorum implementum S. Congr. Indulg. & Sac. Reliq. præposita. 19. Maii 1759. approbante XIII. Postea hoc Decretum per aliud Decretum Eiusdem Sacræ Congregationis moderatum, & declaratum fuit, ut sequitur. Decretum S. Congregationis Indulgentiis, & Sacris Reliquiis præposita a SS. D. N. Clemente XIII. approbatum. Cum Sacra Congregatio Indulgentiis, & Sacris Reliquiis præposita die 31. mensis Martii anno 1759. fuerit in voto &c.

## DECRETUM.

### SACRÆ CONGREGATIONIS INDULGENTIIS ET SACRIS RELIQUIIS PRÆPOSITÆ A SS. D. N. CLEMENTE XIII. APPROBATUM.

Cum Sacra Congregatio Indulgentiis, & Sacris Reliquiis præposita die 31. mensis Martii anno 1759. fuerit in voto Confessionem Sacramentalem, quando in Brevibus apponitur pro Indulgentiæ consecutione, peragi omnino debere, etiam ab his, qui sibi lethalis peccati conscii non sunt; nec non præfatam Confessionem suffragari etiam posse, si in vigilia Festivitatibus expleatur; Votumque Congregationis Sanctissimus Dominus Noster CLEMENS PP. XIII. benigne approbaverit, illudque typis publicari sub datum 19. Maii prædicti anni mandaverit; quamplures Supplices libelli tum Regularium Communitatum, & præsertim Monialium; tum etiam Parochorum, & nonnullorum Episcoporum pro suis Diocesibus porrecti sunt, quibus maxima exponebatur difficultas, quæ interdum, imo persæpe incidit pro Sacramentali Confessione, sive in Festo, vel ad minus in vigilia peragenda. Quamobrem ut adeo proficius Indulgentiarum Thesaurus reddatur Fidelibus ac commode comparandus, enixis precibus supplicabant Sanctitati suæ, ut opportuno aliquo remedio de Apostolica benignitate providere dignaretur:

naretur: quibus precibus ad prædictam Sacram Congregationem remissis, propositum in ea fuit Dubium: *An, & quomodo sit consulendum Sanctissimo super præfati Decreti executione, vel declaratione in casu &c.* Et responsum fuit: Consulendum Sanctissimo Domino Nostro, ut concedere dignetur Indultum omnibus Christi Fidelibus, qui frequenti peccatorum Confessione animam studentes expiare, semel saltem in hebdomada ad Sacramentum Pœnitentiæ accedere, nisi legitime impediuntur, consueverunt, & nullius lethalis culpæ a se post peractam ultimam Confessionem commissæ sibi conscii sunt, ut omnes, & quascunque Indulgentias consequi possint, etiam sine actuali Confessione, quæ cæteroquin juxta præfati Decreti definitionem ad eas lucrandas necessaria esset. Nihil tamen innovando circa Indulgentias Jubilæi, tam ordinarii, quam extraordinarii, aliasque ad instar Jubilæi concessas; pro quibus assequendis, sicut & alia opera injuncta, ita & Sacramentalis Confessio, tempore in earum concessione præscripto, peragantur. Et facta per me infra scriptum ejusdem Sacræ Congregationis Secretarium de præmissis omnibus Sanctissimo Domino Nostro relatione, Sanctitas sua piis Bonorum desideriiis, ac votis satisfacere, & Indulgentiarum gratias iis potissimum, qui pie, sancteque vivendo, donis Divinæ Misericordiæ digniores efficiuntur elargiri quam maxime cupiens, benigne annuit, & præfatum Indultum in forma superscripta expediri, & publicari mandavit, quibuscunque in contrarium non obstantibus. Datum ex Secretaria Sacræ Congregationis Indulgentiarum die 9. Decemb. 1763.

N. CARDINALIS ANTONELLUS,  
*Præfectus. J. de Comitibus Sac. Cong. Indulg. Secr.*

22. Notandum pariter est Decretum ejusdem Sac. Congregationis circa Indulgentias editum, ac per Innocentium XI. die 7. Martii 1678. approbatum, ubi circa finem declaratur. *Semel dumtaxat in die plenariam Indulgentiam in certos dies Ecclesiam visitantibus concessam, vel aliud pium opus peragentibus lucriferi.* Ab hac universali Declaratione, ut videre est apud omnes Auctores nostros, Indulgentia Portiunculæ excipitur. De qua dictum est superius num. 2. Possunt tamen eadem die lucrari plures Indulgentiæ plenariæ

Uu

diver-

diversæ rationis; pro se ipso quidem solum unam, alias vero pro Defunctis: pro quibus lucrandis, licet sufficiat una Confessio, & Communio, alia tamen opera, & preces pro singulis Indulgentiis assignatæ, repeti, seu pro singulis Indulgentiis singula opera, & preces peragi debent. Videatur Reiffenstuel *citata dist. 3.*

23. Felix Potestas in suo Examine Confessariorum *tom. 1. part. 4. cap. 8.* cum aliis docet, quod ille, qui ignorat Indulgentiam, adhuc illam lucratur, si opus injunctum exequatur, & intentionem faciat, quod velit lucrari Indulgentias omnes lucrabiles. Quolibet mane in præparatione Missæ protestari soleo (inquit de se ipso Felix Potestas loco citato) me intendere lucrari, tam pro me, quam pro Defunctis, Indulgentias omnes, quas mediante eo Sacrificio lucrari possum. Alii in ipsis precibus Matutinis, ut habetur in Libello: *Vade mecum piorum Sacerdotum. pag. 15. num. 13.* sic solent protestari: Volo, & statuo omnium participem me facere, quantum possibile est, Indulgentiarum per preces, & actiones hujus diei, & illas applicare per modum Suffragii pro animabus Purgatorii: Eandemque intentionem per diem ante singulares pias actiones renovare.

24. Quod attinet preces dicendas pro lucrandis Indulgentiis, eæ debent esse Oratio vocalis: & non sufficit, si fiat cum voluntariis distractionibus, quia talis distracta Oratio non est devota, & pia, nec apta ad impetrandum id, quod Pontifex intendit. De his precibus P. Joannes Reuter in sua Theologia Morali *part. 4. tract. 5. cap. 10. quæst. 4. §. in fine,* docet. Si dicatur in Bulla: *Qui ad tempus oraverit;* sufficit medius quadrans. Et P. Reiffenstuel in sua Theologia Morali *tom. 1. tract. 12. dist. 3. quæst. 9. Appendice 1. Addit. 2.* habet sequentia. Resp. 2. Si certæ, & specificæ preces in Bulla sub visitatione Ecclesiarum non determinantur, Suarez,

rez, Henriquez, & Bonacina existimant sufficere quascunque minimas, si attentam mente persolvantur: ast in praxi merito consulenda tanquam securior Sententia Rodriguez, Coninch, & Dominici Viva, requirentium Orationem congruam, tanquam medium magis proportionatum ad obtinendum finem á Pontifice intentum. Profecto Doctores teste P. Kazenberger *tract. de Indulg. part. 2. quæst. 10.* svadent communiter, si aliud pro recitatione non præscribitur, ut saltem sex Pater, & Ave, cum Credo recitentur. *Hæc ex P. Reiffenstuel.* Deinde pro lucranda Indulgentia plénaria Stationis SS. Sacramenti, expresse præscribuntur sex Pater, & Ave, cum totidem Gloria Patri, ut dictum est supra *num. 8.* Tandem secundum communem praxim, & observantiam, Confessarii injungere solent pro lucranda Indulgentia sex Pater, & Ave, cum totidem Gloria Patri, & unum Credo; Communis autem praxis, & consuetudo vim legis obtinere dicitur: adeoque a tali praxi non est recedendum quo ad minores preces.

25. Omnes autem Christi Fideles, volentes lucrari Indulgentias, bene advertere debent ad hæc verba: *vere pœnitentibus*, sive ea: *vere contritis*; quibus verbis uti solent Summi Pontifices in concedendis Indulgentiis, & quibus verbis significant sinceram omnium delictorum detestationem, cum firmo animi proposito deinceps non relabendi. Unde Cardinalis Cajetanus memorata citata formula: *vere pœnitentibus*, ait *Indulgentiam non consequi pœnitentes negligentes, sed pœnitentes sollicitos; qui soli sunt vere pœnitentes.* Et constat ex Gregorio VII. qui Licolnienti Episcopo Indulgentiam petenti concessit ea lege, ut pro viribus satisfaceret, inquires. *Absolutionem præterea peccatorum tuorum, sicut rogasti, auctoritate Apostolorum Petri, & Pauli fulti, tibi mittere dignum duximus; si tamen bonis operibus inhærendo, commissos excessus plangendo, quantum valueris, corporis tui habitaculum Deo*

*mundum Templum exhibueris. Quod factum Cardinalis Baro-  
nius in suis Annalibus ad annum 1073. referens, ait: Ut  
appareat, quod sedes Apostolica Indulgentias illis communicat,  
qui quantum suppetunt vires, bene operari non prætermittunt:  
non autem ignavis, otiosis, ac negligentia torpentibus.*

Hæc omnia cedant in Supremi NUMINIS  
Cultum PRINCIPIUM omnium nostrorum: In Ho-  
norem Immaculatæ Deiparæ Virginis MARIÆ:  
Inque omnium Sanctorum Venerationem, ut eo-  
rum interventu, ac intercessione ad eum pervenia-  
mus, cujus ineffabili Claritate illi jam perfruuntur,  
cui est unicus, ac ultimus omnium  
nostrorum.

F I N I S.



PRO MEMORIA  
D E C R E T U M.

ORDINIS MINORUM S. FRANCISCI  
DE OBSERVANTIA.

Cum alias die 11. Aug. 1770. ad preces Ministri Generalis Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia Sac. Rituum Congregatio, referente Eminentissimo, & Reverendissimo Domino Card. Torrigiani indulserit, ut in omnibus Ecclesiis dicti Ordinis singulis Sabbatis per Annum, exceptis privilegiatis, & Festis duplicibus 1. & 2. classis impeditis, celebrari posset Missa Votiva de Conceptione B. M. V. non omiffa tamen Missa Conventuali cum cantu de Feflo vel Feria occurrente: Nuper Idem P. Minister Generalis humillime supplicavit pro declaratione sequentis dubii - - - An per supra dictum Indultum inducta fuerit obligatio Missam Conventualem canendi etiam in Ecclesiis, ubi dicta obligatio non adest? Et Sac. eadem Congr. referente eodem Eminentissimo Domino Card. Torrigiani, benigne rescripsit: Gratiam concessam sub die 11. Aug. 1770. nullam inducere obligationem cantandi Missam Conventualem, ubi ea obligatio non fit, nec esse debeat juxta Constitutiones Apostolicas. Die 19. Jun. 1773.

L. † S.

M. CARD. MAREFUSCUS,  
*Præfectus. M. Gullo S. R. C. Secretarius.*

## SUPPLEX LIBELLUS.

Intus.

BEATISSIME PATER.

Fr. Eustachius a Neapoli Procurator Generalis Ord. Minor. Obf. S. P. Francisci, Sanctitatis Vestrae Pedibus advolutus obsequentissime exponit, quod pluries ad Ecclesias Personarum utriusque Sexus suo Patri Ministro Generali subjectarum Sacerdotes Sæculares, & Regulares accedunt, ibi Sacrum facturi. Quapropter ad vitandam confusionem, seu inordinationem quamlibet, demississime Procurator Generalis à S. V. facultatem implorat, ut perpetuis futuris temporibus Sacerdos quilibet, quoties ad quamlibet ex prædictis Ecclesiis Sacrificaturus accedit, Missali Franciscano profus in omnibus uti possit: cui similem ex parte gratiam S. M. Clemens XIV. Beatitudinis Vestrae Decessor pro Ecclesiis aliorum nonnullorum Ordinum Regularium indulgere dignatus fuit: ac nominatim anno 1773. pro Ecclesiis Ordinis Eremitarum S. Augustini Pontificio Rescripto suo per Secretariam Supplicum Libellorum sub die 18. Junii edito.

Rescriptum.

Ex audientia SSmi

Die 5. Septembris 1775.

Sanctissimus ex speciali gratia benigne juxta petita indulgit: Contrariis quibuscunque non obstantibus.

L. † S.

J. B. CARD. REZZONICO.

*Biblioteca de sepulchros de S. Bernardino*

## ERRATA CORRIGE.

- Pag. 66. Lin. 11. dexta, lege *dextra*.  
 . . . 67. . . . 4. Altere, lege *Altare*.  
 . . . 97. Num. 12. Lin. 8. benedicare, lege *benedicere*.  
 . . . 100. . . . 19. . . . 4. von, lege *non*.  
 . . . 101. . . . 20. . . . 5. dificiente, lege *deficiente*.  
 . . . 113. Lin. 7. & Thuriferario, lege *a Thuriferario*.  
 . . . 126. . . . 2. ab Altaris, lege *ab Altari*. Item Lin. 7. ornate,  
 lege *Orate*.  
 . . . 172. Num. 16. Lin. 3. Thuriferarius, lege *Thuriferario*.  
 . . . 174. Lin. 1. Subdiaconus, lege *Subdiaconum*.  
 . . . 182. Num. 7. Lin. 3. exponantur, lege *exponentur*.  
 . . . 189. . . . 11. Lin. 2. præmonea, lege *præmoneat*.  
 . . . 207. . . . in fine, Filium, lege *Filius*.  
 . . . 213. Caput VI, lege *IV*.  
 . . . 248. Num. 8. Lin. 11. benedictione, lege *benedictio*.  
 . . . 263. . . . 6. . . . 2. drocedit, lege *procedit*.  
 . . . 271. . . . 9. . . . 7. oblato, lege *oblata*.  
 . . . 330. . . . 16. . . . 4. indulgentiam, lege *indulgentias*.

344

Z BIBLIOTEKI  
SEMIXARUM  
SANDOMIERSKIEGO

Sojuecha  
Dnia 2.1.  
Mga

Amurru

Cro

Wiqueta

Wiqueta

C. Britanna

W

W. S. S. S.

Wiqueta

Wiqueta

Large decorative calligraphic flourishes and scribbles.



00042639

